EX BIBLIOTHECA
CAR. MORGENSTERN.
436

PETRI BEMBI EPISTOLARVM LEONIS DECIMI PONT. MAX. NOMINE SCRIPTARVM LIBRI XVI

Placuit præterea eiusdem autoris epistolas aliquot sanè quàm doctas adnectere.

VIDELICET

Ad Longolium III,
Ad Budæum II,
Ad Erasmum I.



Biblioth.
Academ.
Dorpat.

LVGDVNI,
Apud hæredes Simonis Vincentij.
1538.

Bg. 40

681
15165765X

PETRVS BEMBVS
Paulo tertio Pont. Max.
S. P. D.

CVM Latinus Iuuenalis internuntius apud remp. nostram tuus his proximis brumæ diebus Patauium venisset: proq; iure vetustæ nostræ necessitudinis apud me diuertisset: iocundissimis inter nos sermonibus percunctationibusq; habitis, & curato corpore bibliothecam est ingressus: erat enim eius cubiculo proxima. Itaq; libros singulos excutiens in volumen incidit sepositum, nec satis explicatum Epistolarum; quas quidem ego in Leonis Decimi Pontificatu maximo eius nomine conscripseram; non plane omnium: nam tot exemplа difficile fuisset vno volumine includere: erant enim prope innumerabilia: sed illarum tantummodo; quas porrò propterea, quod erat multorum euentuum & rerum variarum pleniores; in arculam aliorum scriptorum Romа proficiscens conieceram. Earum ille alias quot non sine voluptate, vt videbatur, perlectis: illius enim temporis libenter reminiscebatur; quo & ipse Leoni Decimo perfamiliaris fuit: reliquarum autem congerie inspecta; Quid tu, inquit, Bembe has lucubrationes tuas prodire in manus hominum non sinis? Debueras profecto. Nam & eius muneris; quo apud Pontificem illum maximum fungebare; erunt illæ quidem semper testes: & rerum ab illo gestarum memoriam continebũt: vt eius ipsius regni tanquam historiam videri possis, si eas ederis, confeciſſe. Te autem vnum maxime omnium conuenit; qui res Venetas posteris tradendi laborem susceperis; tui etiam Pontificis partem illam vitæ in illustri orbis terrarum theatro positam,

cursumq; muneris omnium maximi cognoscendum his tuis litteris posteritati mandauisse. Equidem fateor, is amici hominis & prudẽtis viri sermo me magnopere cõmouit. Cumq; multa ea de re inter nos essent dicta: addidissetq; ille, existimare sese tibi eam scribendi rationem valde placitũ & probatum iri: pollicitus ei sum, me, quod suadebat atque hortabatur, breui facturum: quod quidem nunc facio. Eas autem ad te Paule potissimum literas mitto: qui & Pontifex maximus es, vt Leo Decimus fuit; & in optimarum artium disciplinis multo, quàm ille, habitus doctior. Vera enim fateri omnes non solum honeste possumus; sed etiam debemus. Præter hæc vt meæ peruetĕris in te obseruantiæ, pietatis, cultus, hos sexdecim epistolarum libros: tot enim sunt: tanquam indices & quasi prædes tu à me primum, deinde cæteri abste habeant; valde cupio: eaq; me cogitatio vehementer delectat. Qui etiam eo iustius ad te libri veniunt omnibus politioribus literis & doctrinis perornatum: quo magis ipsi ea latinè loquuntur: quæ adhuc quidem satis vel ineptè, vel etiam perperam, nulla quidem certe cum dignitate, more exemploq; vrbanæ forensis disciplinæ solita sunt scribi ab epistolarum Pontificalium magistris: qui trigintà esse consueuerunt. Hæ quoniam epistolæ multis ad exteras persæpe nationes perferuntur: esse vsui nostra hæc diligentia potest non hominibus solum nostris: sed illis etiam; ad quos ea non Romane scribendi consuetudo, quod à Romanis Pontificibus proficiscitur, contagionem quandam affert tradentium maiestate fultam & comprobatam: vt errare se scribentes non existiment. In eo siquid ipsi profuerimus: tibi id vni maxime acceptum referri oportebit: cuius autoritate moti hos & digessimus libros & edidimus. Vale. Idibus Ianuarij. M D X V Patauio.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER I

Leonardo Lauredano reip. Venetorũ Prĩcipi.



TSi non dubito, quin ab lecto tuo homine & prudente & diligente ea libenter intellexeris, quæ hic proxime acciderũt: tamen illa ipsa si meis etiam literis ad te perferrentur; multo tibi iocundiora putaui fore. Nã cũ Iulius secundus Romanus Pontifex; quẽ quidẽ iã ad se reuocare Deus Opt. Max. cõstituerat; rebus ommibus, quæ ad breui morituros pertinẽt, sanctè cõpositis, ad extremũ vnctus Nono Cal. Martias de vita placidè cõstanterq; decessisset: atq; ego, qui tũ Cardinalẽ gerebã, cæteriq; ex eodẽ collegio principes eius funeri celebrãdo præstitutũ lege tẽpus dedissemus; diuinæ mẽtis aurã suppliciter precati, quæ incepta nostra cogitationesq; proueheret, vnũ in locũ in Vaticano conuenimus; vt nouũ Pontificem more maiorum legeremus. Itaq; quemadmodũ ei placuit; qui Petrum legit, vt suum vicariũ in terris gereret, cuius deinceps munus reliqui summi Pontifices gereremus; omniũ Cardinalium suffragia me in demortui locũ ad diẽ quintum Idus Martias legerunt, & summũ Pontificem creauerunt. Quæ

cum ita se habeãt; hæc ad te scripsi, non solũ vt scires me; quæ profecto quandiu inter Cardinales fui, te, remq; istam pub. magno amore sum complexus, à paterni animi beniuolentia atq; officio posthac non discessurum: sed etiam vt te certiorem facerem; magnam me iam spem recte atq; cum dignitate rem Romanam administrandi in Senatus tui, qui grauissimus semper est habitus, sapientia, consiliis, æquitate, quodq; omnium est maximũ, erga nos perueteri cõstantiq; amore posuisse. Datis prid. Id. Mart. M D X I I I Ante coronationem. Roma.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

II VLio secundo Pontifice Max. ex hominibus cõposite sanctéq; abeunte, cœlestemq; in patriã à summo reuocato deq; restituto Deo; quod quidem Nono Cal. Martias ante lucem fuit; ego & reliqui fratres mei Ecclesiæ Romanæ Cardinales, cum ei funus concelebrauissemus, in conclaue vna omnes secessimus: vbi sacris factis adhibitisq; precibus more institutoq; maiorũ, omnibus ad vnum suffragijs ad diem quintum Idus Martias me in eius locum sublegerunt, pontificemq; Max. declarauerunt. Cuius te rei certiorẽ facere volui; vt quoniã quo tẽpore in Cardinalium ordine versatus sum, te amaui semper equidẽ plurimũ; planè scires atq; consideres, me in posterũ etiam omnibus in rebus, quæ ad tuam dignitatẽ pertinebunt, propensum animum & paternam voluntatem allaturum. Datis Idib. Martijs. M D X I I I Ante coronationem. Roma.

Petro Bibienæ.

III CVm ingenium, probitatem, mores q; optimos; tum fidem & obseruantiam erga me tuã & iam inde à te sub maiorum meorum clientela susceptã, & post magna cũ tua laude multis in rebus declaratã atq; adhibitam

qui ignoret, nosq; cognouerit; esse neminem existimo: Sed quoniam inter reliqua tua in me Cardinalem periucunda perq; grata officia ea mihi optatissima fuerunt; quæ apud Venetos, quorum præclara vrbs multos iam annos te contiuuit, plurima & maxima mihi atq; meis præstitisti: nunc quidem, cum summi Dei largitate ac munere ad Petri nauis gubernacula regenda euocatus atq; constitutus sum; virtutem & fidem eandem tuam, quas plurimi semper feceram, honestandas mihi esse atq; ornandas putaui. Itaq; internuntium te meum atq; interpretem apud Leonardum Lauredanum Venetorum Principem remq; istam publicam atq; senatũ facio: cui te muneri diligenter administrando, idoneum propter tuam prudentiam; propter verò consuetudinẽ multorum annorum, quam habes cum ista ciuitate, illi etiam reipublicæ gratum & optatum magnopere confido fore. Dat. xvi. Cal. April. M D X I I I Ante coronationem. Roma.

Leonardo Lauredano Venetorum Principi.

IVssimus interpretem apud te remq; pub. tuam esse nostrum Petrum Bibienam cum prudentia & rerum gerendarum vsu præditũ hominẽ, tum in primis nobis & probatum & gratũ: scripsimusq; ad illũ ea de re. Quamobrem abste petimus; vt omnibus in rebus, quas is nostro nomine ad te perferet, eandẽ illi fidem habeas; quam haberes nobis ipsis, si te coram alloqueremur. Dat. xvi. Cal. April. M D X I I I Ante coronationem. Roma. IIII

Sigismundo Poloniæ Regi

INtelexi magna quidem cum molestia inter te atque Albertum Marchionem, vt appellant, Brandeburgensem societatis Marianorum Theutonicorum in Prusia magistrum, plurimas atq; maximas iam inde à vestris maiori- V

bus ortus atq; traditus dissensi ones extitisse: eamq; ob rem omnes homines, quibus vestræ vtriusq; rationes atque causæ cognitæ essent, magnopere vereri; ne post eum diem, qui dies erit pridie Id. Maias, magnum atque apertum bellum inter vos commoueatur; maximisq; cum gentium & populorum, qui vestro in imperio sunt, detrimentis atq; cladibus exerceatur: qui dies præstitutus à vobis fuit; quo die ille statueret vtrum à te imperata faceret, an se in libertatem vendicaret. Itaq; vel pro mea in omnem Christi populum cura & studio, vel maxime pro ea voluntate, quam quidem erga te beniuolam & propensam in primis habeo, grauiter tuli hoc ingressu atque initio mei Pontificatus certiorem me fieri, noua iam iamq; à vobis bella imminere, nouos armorum motus, noua incendia excitari: cum illud in primis cupiam; eiq; rei omnem meam curam & cogitationem adhibendam statuerim; vt ea, quæ dudum succensa ardere adhuc flagrareq; videntur, bella inimicitiæq; magnorum principum, modis omnibus restinguantur. Quod quidem Dei Opt. Max. auxilio; qui ad se tendentes, seq; vnum respicientes conatus hominum consiliaq; non deserit; breui fore confidebam. Quamobrem paterno te & amore & studio esse hortandum putaui; vt cursum atque impetum irarum tuarum tantisper sustineres, dum à me legatus amplissima cum potestate istuc venit: qui vestris causis & controuersijs cognitis, quæ æqua sint, amice statuat; concordesq; vos, si fieri potest, & pacatos reddat. Decreui enim meos legatos magnos viros ad plurimas quamprimum nationes mittere. Vel tu, si id tibi erit antiquius, rem totam integrasq; partes tuas Lateranensi concilio iam incepto agi remittas atque reijcias: à quo porrò maxime conuenit Regum & Ducum & magnorum principum contentiones cõtrouersiasq; terminari. Quod & nobis erit gratius; vt causa ipsa, cuius

nonnullas sæpius partes aliquot ante me Romani Pontifices recte vtriq; vestrum consulentes attigerunt, Romæ per consilium transigatur: & tibi certe cum ad rerum tuarum statum securitatemq; conducibilius, tum ad animi tui quietem & tranquillitatem longe aptius; non vnum modo Ro. Pontificem, sed vnà cum ipso etiam reliquos omnes vniuersamq; remp. vestrarum litium, expostulationum, discordiarum disceptatricem extitisse: cum existimandum sit, quæ totius reip. oculis perspecta decernuntur; ea & rectissime constituta, & firma atque solida plane fore. Iniquum est etiam & profecto miserum, optimas populosissimasq; nationes; quæ ad Christianæ ditionis atque gloriæ terminos propagandos vel propter fortitudinem animorumq; robur omnium aptissimæ, vel propter locorum naturam opportunissimæ videantur esse: suis inter se odijs conteri, suis ipsarum simultatibus infringi & debilitari. Tum illud vehementer timeo; ne si vos magnos principes hostes perpetui nostri Turcæ, quos habetis finitimos, conuersis contra vos armis concurrere male animatos senserint; magna ipsi ex ea re lætitia voluptateq; percepta opperientes, dum vestris cladibus vires opesq; vestræ fractæ ac debilitatæ sint, vnanimes atq; integri vos adoriantur; & magno vestro cum malo, quod Deus omen obruat, Christiano nomini notam aliquam insignem atque perpetuam inurant. Hoc cauere ipse; cui quidem vniuersi gregis mandata cura atque sanatio est; maxime omnium debeo: & profecto cauebo; si te de me, deq; re Christiana publica bene merendi studium cogitatioq; excitabit: qua nulla esse regibus magis propria, nulla honestior ac plane laudabilior potest. Quod quidem te facturum tua virtute atq; prudentia fretus sane confido. Atq; id quo lubentius facias; scire te volo eadem me de re ad Albertum literas daturum; ab eoq; postulaturum, vt se contineat.

Verum quo tu propter Regiam dignitatem atq; amplitudinem apud omnes homines maior excelsiorq; es; eo te cupimus priorē facilioremq; meis hortatibus præsto esse. Quāto enim te ipse leniorem & placabiliorem mihi & reipub. præstiteris; tanto se Deus omnibus tuis aggrediendis tractandisq; rebus magis benuolum atque propitium adiunget. Dat. xv. Cal. April. MDXIII Ante coronationem. Roma.

Episcopo Esermiæ designato Iulii Pont. Max. apud Venetos internuntio.

VI NEadte de eo, quòd Pōtifex Maximus factus sum, more maiorum scriberem; nuntij, qui de tua morte ad me allati sunt, sanè fecerunt: quos fuisse falsos, lætor; deq; incolumitate tua voluptatem magnā capio. Quæ scribis de tui gaudij magnitudine, deq; istius vrbis lætitia ex summo pontificatu meo percepta; ea nobis gratissima fuerunt: itaq; fore pro tua in nos obseruantia, proq; eo amore & charitate, quibus semper erga illam Rempub. fuimus, certum exploratūq; habebamus. Reliquas de quibus scribis, res in tuum aduentum reūcimus. Poteris autem; quoniam audita morte tua Petrum Bibienam veterem clientem & familiarem meum apud istam Rempub. meum internuntium esse volui; ad vrbem atque ad me duce isto & Senatu salutato redire. Dat. xv. Cal. April. MDXIII Ante coronationem. Roma.

Raimundo Cardonæ proregi, reliquisq; magistratibus regni Neapolitani.

VII CErtiores facti sumus Selimum Maumethem Turcarum regem classem validam & terrestres copias permagnas, quibus transmissis Rhodum insulam inua-

dat, summa diligentia cōparare: præmisisse etiam iam nunc naues longas, quas habebat paratas, ad tēctandos eius insulæ aditus, portusq; idoneos capiendos: vt bellum ex sententia conficere facilius atq; celerius possit. Quibus rebus cum in tempore occurrere, & societatis Hierosolimitanæ de re Romana deq; christiana vniuersa optime meritæ consulere incolumitati magnopere statuerim, te magistratusq; istius regni omnes diligentissime hortor; vt Guidonis eius societatis magistri, & Ludouici Galliæ Cisalpinæ Prioris eiusdem societatis promagistri, & Fabritij Legati procuratoribus commeatum omnis generis, armamenta, reliquasq; res ad munitionē & tutelam eius insulæ opportunas atq; idoneas vestris ex locis exportare libere permittatis: auxilio etiam, si opus erit, vestro ac diligentia ipsos ad ea quæ volent transportanda iuuetis: vt citius comparare se ad propulsandum bellum possint. Dat. xi. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Duci & Decurionibus Genuæ.

MAgnopere vos hortor: vt Hierosolimitanis militibus, qui duas naues ad bellū idoneas comparandi causa istuc veniūt, omnem vestram operā, curam, studium, auxiliū præbeatis; vt celeriter eas naues coēmere, atq; omnibus & ad nauigandum & ad bellum gerendum opportunis rebus ornare atq; instruere possint: seq; ūs insulamq; Rhodum tueri: quam ad opprimendā Turcarū Rex ingentem classem atq; exercitū comparat. Quod quidem eo etiam diligentius facio, vt vos commoneam; quod cognoui fœdere vos atq; sanctionibus inter illam societatem ciuitatemq; vestram interpositis ad id teneri. Quanquā quidem; quæ rei magnitudo atq; periculum est, ac certe vestra in me obseruantia; planè confido etiam sine vllis fœderibus VIII

ſponte vos ac libere nobis id petentibus tributuros. Dat. xi. Cal. Aprilis. MDXIII Anno primo. Roma.

Proſpero Columnæ.

IX QVod antea tuo nomine fecerat Fabritius Colũna frater tuus, vt mihi, quòd Pontifex Max. declaratus eſſem, gratularetur; te etiam per literas feciſſe, animúmq; tui lætitiam oſtendere cumulate voluiſſe, mihi certe gratiſſimum fuit: qui & te amaui; & virtutem tuam feci ſemper plurimi: quæ quidem te in primis virtus clarum apud omnes homines facit. Itaq; iſtam tuæ in me obſeruantiæ repetitam teſtificationem læto animo accipio. Quod autem ſcribis te nobis præſto ſemper futurum, offerſq; mihi te amantiſſimis verbis; velim ſic exiſtimes; mihi te & fuiſſe antea omni tempore chariſſimum, & nunc iſta tua in nos voluntate cognita eſſe etiam cariorem. Potes igitur, vel debes potius confidere; quæ ad tuam dignitatem conſeruandã augendamq; pertinebunt, ea tibi à me pro mea in te volũtate, proq; mei muneris ratione ſemper fore paratiſſima. Dat. viij. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Prolegato Piceni.

X RE nuntiatum mihi eſt, Eſinos his proxime præteritis interregni diebus contra bonos mores, contraq; iudicia à fratribus meis Bernardino ſanctæ Crucis & Antonio ſancti Vitalis Cardinalibus facta atq; à Romano pontifice comprobata, armatos in agrum Anconitanum hoſtiliter irruiſſe; eraſſatosq; quandu libuit domum reuertiſſe: Anconitanos autem & ipſos arma ſumpſiſſe; ſeq; vlciſci, controuerſiasq; cum Eſinis ſuas ferro decernere tẽtauiſſe. Quarum rerum indignitatem pro huius imperij maieſtate

grauiter, vt debui, tuli. Mando igitur tibi, vt magiſtratui & Xcuibus Eſinæ vrbis abſte appellandis denunties, ad nos ſe vt conferant: Anconis item ſex, quos voles, ciuibus impares vt idem faciant; die vtriſq; præſtituta ad nos veniendi, ac pœna, quanta tibi videbitur, committenda, ſi non venerint. Dat. viij. Cal. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Paulo Capello Veneto.

ET ſi etiam ſine tuis literis me ad ſummum pontificatum Dei Opt. Max. aura prouectum eſſe te magnopere lætari, pro tua in me vetere beniuolentia facile exiſtimare potuiſſem: tua tamen per literas ea de re voluptatis abſte perceptæ tam illuſtris ſignificatio mihi gratiſſima iocundiſſimáq; ſanè fuit. Et amaui enim te omni tempore, dum Cardinalem geſſi; & abſte amari volui: tuíq; omnibus in me ſtudijs atq; officijs functus es & optimi amiciſſimíq; hominis, & grati viri. Illud etiam pergratum nobis accidit; quod ſcribis ciuitatem iſtam veſtram & Senatum eũ nuntium hilari animo priuatim publicéq; accepiſſe. In quo cum ipſi illud egeritis, vt noſtro erga vos beniuolo atq; propenſo animo pares officij ac pietatis partes attuliſſe videamini; nos id curabimus, quoad Romanæ rei dignitas rationesq; patientur; vt nec fruſtra nec immeritò nos ad noſtri pontificatus nuntium gauiſos fuiſſe perpetuo cognoſcatis. Dat. vij. Cal. April. Anno primo. Roma. XI

Guidoni magno Magiſtro & conuentui Rhodio.

AD diem nonum Cal. Martij Iulio ſecundo Pontifice Max. cœleſtibus reſtituto; quam quidem ille migrationem omnibus ſancte obeundi muneribus perfunctus placidè atq; conſtãter pertulit; fratres mei Eccleſiæ XII

Romanæ Cardinales, quorum ipse in collegio tunc eum magistratum exercebam, cunctis suffragijs demoti tui mihi locum atq; munus detulerunt; Pontificemq; maximum fecerunt. Quæ de re dandas ad vos esse literas duxi, non solum vt de mea declaratione certiores ipse vos facerem; sed etiam vel maxime vt illud sciretis, me pro antiquo perpetuoq; vestro in re Christiana cõseruanda studio diligentia laboribus atq; in Romanos pontifices pietate & fide vobis ordinemq; vestro nulla in re, quæ ad vestram incolumitatem dignitatemq; pertineat, defuturum. Cæterum ex ijs literis; quas Iulio Pont. Max. iiij. Non. Feb. dedistis; ea, quæ Selimus Turcarum Rex contra vos insulamq; vestram cogitet, facile cognoui; quantumq; iam longarum nauium, quantũ militum habeat in vicinis vobis portubus & locis. Quam quidem vt debui rem grauiter moleste q; tuli. Itaq; cum vestra postulata mihi maxime probarentur; omnibus vestræ societatis militibus, qui Rhodi non essent, imperaui, vt ante Cal. Maias, vel summum ante Id. Maias se ad vos conferant: Omnes etiam Christianos homines aliquid hoc in bello muneris vobis defendendis hostibusq; vestris propulsandis obeuntes omni animorum contracta labe purgaumus; literasq; ea de re dedimus conceptis verbis: quos quidem fore permultos, expectationemq; hominum longe superaturos puto. Legatum præterea vestrum cum duabus nauibus magnis commeatu, armamentis, rebus bellicis omnibus, & bono in primis milite optime instructis ad vos propediẽ transmittam. Hortor autem vos; vt forti atq; inuicto animo huius belli rationem administretis; memineritisq; quantã quamq; veram gloriam maiores vestri Rhodo insula ab exercitibus classibusq; Sultani huius Selimi aui defensa sint consequuti. Quo in bello quoniam pietatem, quoniam Christi rem, quoniam Dei Opt. Max. causam defenditis; sperandum certe

est, omnia vobis prospere atq; feliciter euentura. De me vero ita vobis ipsi pollicemini, vel potius plane recipite; pro istius insulæ vestræq; societatis defensione me omnes meas vires, opes, omnium studia prompturum; in vnumq; collaturum. Extremũ illud est; vt me de rebus singulis, quæ istic agantur, certiorem quamcreberrime quamq; diligentissime faciatis. Dat. vij. Cal. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Thomæ Campegio Episco. Feltrinorum designato internuntio apud Ducem Mediolanensium.

ET magna nobis beniuolentia Cardinalem gerentibus cum Palauicinorum familia intercessit: & nunc Dei benignitate ac munere ampliori loco positi eius ipsius gentis erga nos Romanosq; pontifices egregia promerita memoria repetentes, illud in primis magnopere confidimus, ad nostrorum oppidorum Parmæ Placentiæq; conseruationem & incolumitatem eam familiam magno esse vsui semper posse, magnoq; ea de causa eius familiæ fidẽ & diligentiam nobis adiumẽto futuras. Itaq; Galeatium Palauicinum in nostris nobis militibus placet esse; & cataphractis equitibus centum præesse: eiq; ea stipendia dari volumus; quibus eum militum numerum alat; quæ dari nostris totidem equitum præfectis consueuerũt. Quos quidem centem equites celeriter ab illo confici magnopere cupio: vt minus moræ sit, dum se vtiliter gerere, nobisq; præsto esse possit. Hanc tu illi rem significabis meis verbis: quemadmodũ etiam Iulius Medices Archiepiscopus Florentinorum designatus & Bernardus Bibiena Quæstor noster his de rebus diligentius ad te perscribent. Dat. iiij. Cal. April. M D X I I I Anno primo. Roma. XIII

Marco Antonio Columnæ.

XIIII ET animi tui præstantiam & fidem erga me Romanos q; Pontifices tuam, omnibus in rebus facile cognoui. Itaque te de altera facio equidem plurimi; virtus q; tua nobis antea probata & cognita eo nunc & optatior est & iocundior; quo ad voluntatem illam meam, quam tibi dudum perspectam esse non dubito, amplificandi dignitatem tuam, Deus Opt. Max. etiam facultatem adiunxit. De altera nihil miror; qui antehac & huius reipublicæ maiestatem omni semper studio ac pietate fueris prosequutus, & nos amaueris; eandem te habere nunc, vel etiam propensiorem in vtros q; voluntatem; cum & tui amantes nos ampliori loco positos, & illam ad hominis tibi amicissimi curam, & procurationem videas peruenisse. Cæterum de militum numero in ista vrbe nobis charissima retinendo, reliquis q; de rebus, quæ scribis; ea nobis omnia valde probantur. Iis de rebus quoniam literas ad Episcopum Polæ Bononiæ magistrum dedi; eas ad literas te remitto: ex quibus ea, quæ per vos curari atq; administrari volumus, perspicies. Dat. V. Calend. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XV INtelleximus oppidum nostrum Regium Lepidi de re Romana optime meritum propter plurimas grauissimas q; ea in vrbe atque agro multorum exercituum moras, quas aliquot annos pertulit, ita fessum laboribus, ita iam exhaustum impensis ac prope consumptum esse; tuos vt milites, quos Regij & in Regiensi habes, alere vlterius non queat. Quamobrem ego; qui eam ciuitatem valde diligo, incolumémq; esse, quanquam hoc quidem fieri iam vix

potest, maxime cupio; te etiam atque etiam hortor; vt ad tua erga nos nondum hoc loci positos plurima illustria q; promerita hoc etiam adiungas; quod quidem nobis erit maximum atq; luculentissimum; vt ex eo oppido atq; agro tuos milites deducas: ne Regienses pro suo erga nos studio vltima se damna pati sentiant; difficillimo q; tempore suis præsidijs apud me nullum esse locum conquerantur. Id tu si feceris; tam nobis erit gratum, quam si tantundem atq; etiam eo amplius oneris Romæ ipsi detraxisses. Dat. tertio Cal. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Magistratibus Regij Lepidi.

ET fides erga Romanos Pontifices, & pietas erga nos vestra; quas quidem multis in rebus perspeximus; nobis gratissimæ iocundissimæ q; cecidérunt. Itaq; scire vos volumus, istam nobis ciuitatem vos q; singulos plane carissimos esse: incolumitatem q; vestrã & fortunas omneis eo à me studio defensum iri; vt vos vestri officij nunquam pœniteat. Quod cum faciam; ad eam procurationem; quam præstare omnibus ijs, qui ad huius reip. fidem se contulerunt, eius q; sub tutela sunt, pro cura magistratus mei magnopere debeo; propriam etiam voluntatem erga vos amorem q; præcipuum & germanum adiungam. Quod attinet ad Neapolis Proregis milites à vestra vrbe vestro q; agro deducendos; scripsimus ad illum hac de re diligenter: confido q; vos ea, quæ vultis, consequuturos. Prid. Cal. April. Anno primo. Roma. XVI

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ.

PRocuratores Regiensium; quorum ciuitatem optime de rep. esse promeritam omnes homines intelligunt; apud me conquesti sunt; propterea quod annos aliquot plurimorum exercituum & impressiones exceperunt XVII

& moras pertulerunt, ita se nunc attritos, ita plane confectos esse; vt Proregis Neapolitani milites ferre alereq; nullo modo possint. Itaq; à me precibus omnibus orantes obsecrantesq; contenderunt; ne pro suis erga nos fidei, obseruantiæ, studiorum, laborum meritis damna vltima perpeterentur; darem operam, eam vrbem atq; agrum vti Prorex suis militibus subleuaret. Id ille ni faceret; quo pacto quaq; via tantum ipsi oneris sustinere, tantum perferre calamitatis possent, plane affirmarunt se nescire. Eas ego preces, vt debebam, pro cura pontificatus mei proq; mea in illos charitate neq; inanes esse neq; irritas cum magnopere cuperem; æquissima enim postulabant; literas ad Proregem dedi ea de re quàm potui studiosiores & diligentiores. Quem quidem tametsi confido; quemadmodum sæpe mihi aliàs, dum Cardinalem gererem, plurimis maximisq; in rebus satisfecit; ita nunc etiam pro sua in me obseruantia facile, quæ volo, esse facturum: cupio tamen, magnopereq; abstepeto; vt rem apud illum iuues: tuaq; illa mirifica prudentia incredibiliq; lenitate, quibus quidem virtutibus magnopere abundas, hac in re sic vtare; vt quæ ipsum per se facturum puto, te hortatore libentius atq; celerius faciat: prædemq; te illi des; id ab eo si consequemur, permagni nos eam rem beneficij loco esse habituros. Tibi quidem certe tantum debeo; vt ad meum pristinum erga te amorem necessitudinemq; nostram magnus cumulus sit accessurus. Dat. Prid. Cal. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Iuliano Medici Fratri. Florentiam.

XVIII EX tuis literis intellexi, te à legato istius reipub. atque tuo, qui apud Ludouicum Regem Gallorum est, certiorem esse factum, de summi pontificis munere mihi

credito Regem illum magnam lætitiam cepisse: deq; me multa grauissimis amantissimisq; verbis fuisse loquutum. Quæq; idem Rex de te cum illo egerit summa cum tua dignitate & illustri testificatione amoris erga te sui, quantumq; tibi tribuerit, libentissime cognoui. Iocunda etiam mihi fuit voluntas; quàm præ te fers, gratum te ei atq; memorem illius in te beniuolentiæ ostendendi: rationesq; tuæ; quibus me de tractanda pace vti cogitem hortaris; multæ illæ quidem prudenterq; collectæ, mihi magnopere probantur. Quibus de rebus omnibus hoc te primum scire volo; nullam me ad rem tam pronũ tumq; propensum esse; quàm ad omnium Christianorum Principum animos sanctissimis concordiæ vinculis colligandos inter seq; conglutinandos; nihil plane tam cupere, quàm pacem. Quam quidem si pacem omni tempore humilioriq; in fortuna summopere concupiui; cuius tu meæ voluntatis optimus atque locupletissimus esse testis potes; certe nunc Pontifex maximus, cum Christi vicarium gero, qui pacis fons atq; autor pacem hominibus diligentissime cõmendauit; multo magis eam velle, multo curare impensius debeo. Neq; mea è memoria excidit, quantum Rex te amauerit, cum in Galliam turbulentis illis nostris temporibus te contulisses; quo ve loco apud se habuerit: quanta semper etiam in Gallorum reges cum patriæ, tum familiæ in primis nostræ obseruantia extiterit: in qua manere te, modo cum dignitate fiat, nõ solum volumus, sed etiam optamus. Eorundem Regum quanta fuerint in rem Romanam merita, quanta huius ipsius; non sum oblitus. Ipse quoq; si per illum non steterit; omnia ei paterna officia ita sum præstaturus; vt quæ tu, quæ familia nostra reliqua illi debet, etiã persoluere videamur voluisse. Quod si, vt scribis, eius animus ea quæ recta sunt cogitat; facile & ipsi inter nos conueniemus; & tu, quæ vis hac in re quæq;

optas, assequere: tuamq; apud me autoritatem, tuas cohortationes plurimum valuisse cognosces. Vnum illud cogitare te est æquissimum: vt quoniam rex te internuncio vti apud nos voluit; non tu illum minus ad bene de nobis merendum tuis literis excites, quam me ad illum amantissime complectendum es cohortatus. Extremum est; de quo te regem certiorem facere plane volo; vt intelligas me daturum operam, vt illum de pontificatu meo gaudisum fuisse, nunquam pœniteat: præsertim si æquas atq; honestas, hoc est cum huius reip. maiestate coniunctas pacis cõditiones proponet. Dat. prid. Cal. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Antonio Cardonæ Marchioni Padulæ.

XIX TVi præsentis ijs tractandis rebus, quæ ad te magna ex parte pertinent, valde egeo. Itaq; te hortor, quod bona cum venia Proregis Neapolitani fieri possit, ad nos venias. Dat. Cal. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XX QVoniam cum Antonio Marchione; sic enim appellant; Padulæ quædam nobis tractanda sunt rationem stipendiorum & conditiones ab eo cũ Florentinis ineundas firmandasq; spectantia, te hortamur; quatenus sine tuo incommodo fiat; ei permittas, vt ad nos se conferat. Dat. Cal. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Vladislao Pannoniæ Boëmiæq; Regi.

XXI NVntiatum nobis est, certos Boëmorum militum duces magnis pollicitationibus per fautores schismatis excitatos bellum cogitare: quo bello schismaticis auxilio sint; cumq; ijs cõuncti populos recte sentientes, quiq;

nobis parent, aggrediantur, remq; Christianam exagitent atq; perturbent. Id ipse ægre molesteq; ferens; qui quidem à Deo vocatus, vt Christi vicarium geram, Christiani gregis incolumitati salutiq; consulere in primis debeo; magnopere te hortor, absteq; amanter ac vere paterne peto; vt eos Boëmorum motus comprimas; ardoremq; animorum malis artibus solicitatum restinguas; ducesq; illos in officio contineas. Nam si se schismaticis adiunxerint; præterquam quod pœnam a Iulio secundo Pont. max. schismaticis constitutam ipsi committent; ego etiam pro mei officij ratione, quin eos sacris interdicam, pœnisq; grauissimis dedam, facere non potero. Erit itaq; optimum, ac propter tuam & eximiam in rebus omnibus prudentiam & perpetuam in Romanos Pont. pietatem expectatum abste, vel plane etiam postulatum; & tum illis salutare, tum tibi ad laudem & gloriam ampliss̃imum; des operam, vt Boëmis meliora cogitantibus facilius contra hostes Christiani nominis nostra arma conuerti possint. Id si feceris; cũ nobis, qui propenso animo erga te atq; beniuolo sumus, rem gratissimam facies; omniaq; ad tuam dignitatem atq; amplitudinem ornandam nostra studia cõfirmabis: tum de hac Rep. cuius nomen Regibus præcipue sanctissimum debet esse, longeq; commendatissimum; bene ampliterq; promerebere. Dat. Cal. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Sigismundo Poloniæ Regi.

POst eas literas, quas proxime ad te dedi, Maximilianus designatus Romanorum imperator mihi per literas & per legatum suum significauit, Regni sui ac totius Germaniæ permagni interesse, ne Marianorum Teutonicorum societas vlla in re vel armis vel etiam concordiæ nomine abste lædatur. Itaq; à nobis petijt, quorũ autoritatẽ XXII

apud omnes nationes maximi fore non dubitabat; curaremus eam rem; vtq; eæ controuersiæ, quæ inter vos sunt, aut iudicarentur, aut certe sustinerentur, efficeremus. Quamobrem ego; qui antea illis tantummodo de causis, quas ad te perscripsi, vehementer optabam, vt vel meo Legato, quem statuebam mittere decreui, vel sacro Lateranensi consilio, quod mihi magis probabatur, causam totam cognoscendam terminandamq; remitteres: nunc quidem, cum à Maximiliano certiores facti sumus ad se suumq; imperium atque ad omnes Germanos eas controuersias pertinere; petatq; à nobis vt pro nostri officij cura demus operam, ne quid ex ijs controuersijs detrimenti Christiana Resp. capiat; te magis magisq; hortari & monere volui, absteq; pro meo in te amore, proq; tua in eum quem gero Christi vicarium obseruantia iam & petere & liberius contendere; velis tuam causam, vt maiori cum dignitate transigatur, à Lateranensi consilio cognosci & terminari. Primum enim tua, deinde imperatoris totiusq; Germaniæ, demum etiam nostra maxime interest, quibus quidem ea societas præcipue subest, ei societati præiudicium non inferri vllo modo. Cogitare etiam illud debes, firmam quidem inter vos concordiæ rationem posse nullam inueniri; nullam esse pacem, nulla fœdera diutius permansura; quæ nõ eorum omnium, quorum interest, consensu voluntateq; sanciantur. Id autem, nisi Romæ conficitur, quo pacto fieri apte possit, plane non video. Quamobrem si in eam cogitationem diligentius incubueris, vt des operam, ne frustra scripsisse, ac temere in nostris hortationibus spem hæc vt volumus transigendi posuisse videamur; de ipsa certe Rep. deq; nobis bene te esse meritum, & ipse profitebor, & tu senties. Dat. Cal. Apri.

M D XIII Anno primo. Roma.

Enrico Regi Britanniæ.

XXIII

ET si ea; quæ de tua religione atq; in hãc Remp. nosq; ipsos propensa præstantiq; voluntate, deq; tuis plurimis egregijsq; virtutibus Episcopus Vnigorniensis Legatus tuus quotidie commemorat; mihi per se gratissima iocundissimaq; sunt: tamen illa ipsa gratiora etiam & iocundiora efficit eiusdem oratoris probitas, prudentia, virtus, atq; is, quo illum amplexus magnopere sum, amor charitasq; mea prope singularis. Itaq; cum de te ea, quæ volo, quæq; de Rege præstantissimo magnaq; spei adolescente possint dici, libenter exaudio: tum propterea, quod ab homine nobis amicissimo & virtute prædito tuæ virtutes prædicantur; vberiorem ea res nostram eam voluptatem facit. Spem enim capio fore; vt; quoniam animi tui magnitudinem atq; præstantiã cum egregia in Deum Opt. Max. pietate, in Romanos Pontifices obseruantia maxime coniunctam & consociatam esse intelligo; & tu de tuis virtutibus vberrimos iocundissimosq; fructus, & Christiana Resp. de te magnos prouentus, egregia incremẽta, illustres vtilitates sit perceptura. Quam te in cogitationem incumbere noctes atq; dies decet; vt in ista adolescentia florentiq; tua ætate ea fundamenta iacias virtutis & probitatis tuæ; quibus reliqua ætas omnis egregie præclareq; nitatur. Quod erit; si in huius pontificatus obseruantia non modo permanebis, sed etiam in dies singulos magis magisq; te accendes ad eius dignitatem maiestatem gloriam & tuendam & augendam. Id cum, vt spero, ipse feceris: curabo profecto ego enitarq; vt ea tibi à me ornamenta proficiscantur; quibus lætari facile possis te eiusmodi cogitationes suscepisse. Hæc autem, atq; his longe plura; deq; mea non solum spe, sed etiam erga te mente, quanquam multa cum oratore

tuo egerim; in meas tamen etiam ad te literas partem eorum aliquam facile conieci; vt tibi ipse omnia de me paterna officia polliceri vberius & cumulatius posses. Reliquum est, vt intelligas, eundem ipsum oratorem tuum; quem tum etiam, cum fortuna leuiore nitebamur, vnice semper dileximus; nunc, quia is egregiam tibi singularemq; operam præstat, à nobis etiam impensius amari. Eius enim & prudentiam atq; agendis rebus probitatem cognitam perspectamq; habuimus iam inde ab illis temporibus; cum is viri clarissimi patris tui istiusq; regni res negotiaq; procurabat summa atq; mirifica diligentia: & postea ex aduersis eius turbulentisq; rebus, quæ sunt illa tempora consequutæ, magnam molestiam cepimus: vtq; hominis plane probi & nobis amicissimi ægre molestéq; tulimus illam calamitatem. Quas ob res atque causas omnis cum eum tibi esse carissimum existimem; illud magnopere cupio, vt mea commendatione tibi sit etiam carior; omnibusq; in rebus, quæ ad eius dignitatem pertinebunt; quibus in rebus ei aspirare proueherēq; illum possit aura studij & fauoris tui; quæ quidem res erunt semper plurimæ atq; maximæ; & fidem illius erga te, & meam in illum beniuolentiam charitatemq; recordere. Dat. tertio Non. April. M D X III Roma.

Sacris Virginibus muratarum Florentiæ.

XXIIII NVmos aureos ducentos procuratori vestro curari iussi, munus quidem pro mea in vos voluntate sane pusillum: sed hoc leuius initium meam erga vos liberalitatem promendi vberiores in dies largitiones consequentur. Vos tantum & hortor singulas, & amanter ac paterne rogo; Deo opt. max. beatissimæq; matri semper virgini, quibus quidem vestras preces esse gratas & probatas

puto, eo nomine gratias agatis; quod me nihil omnino de sese meritum sui vicarium filij gerere in terris voluerunt; atq; in huius pontificatus tam illustri fastigio collocauerūt. Qua quidem in statione atque munere me vt excitent ad ea & cogitanda & procuranda, quæ suæ maxime voluntati consentanea sciunt esse, vt ab ijs suppliciter petatis; ego à vobis diligenter peto & postulo. Dat. tertio Non. April. M D X III Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

GAleatium, Antonium Mariam, Octauianū, & Christophorum fratres Marchiones Palauicinos; quorum egregiam erga Romanos Pontifices fidem & obseruantiam plurimis in rebus perspexi; tibi magnopere commendo: hortorq; te; vt omnibus in rebus, quæ quidem ad dignitatem eorum commodaq; pertineant, eos eorumq; necessarios tueare: cogitesq; si vniuersam illam familiam carissimam habueris, teq; illi commodum beniuolumq; præbueris; te mihi rem gratissimam esse facturum. Dat. tertio Non. April. M D X III Anno primo. Roma. XXV

Maximiliano Mariæ, Mediolanensium Duci.

ET antehac Galeatij, Antonij Mariæ, Octauiani fratrum Marchionum Palauicinorum, vniuersæq; eorum familiæ in hanc remp pietas perspecta & cognita nobis fuerat, cum in Cardinalium collegio versaremur: & nunc plane illam illustriorem fecit Christophorus eorum frater: qui accepto de Pontificatu nostro nuntio ad nos se contulit: ostenditq; quanti nos faceret multis amantissimisq; verbis. Itaq; eos ipsos, necessariosq; eorum omnes summopere diligimus; charissimosq; habemus, & certe sumus habituri. Hæc ideo scire te volui; vt tametsi confiderem vel propter familiæ splendorem, vel per sese charos tibi XXVI

eos fratres esse; haberes tamen ipsos multo etiam meo nomine chariores; omnibusq; eorum in rebus amori erga illos meo tantum tribueres; quantum pro ea, qua te amplector, charitate ij, qui mihi sunt charissimi, expectare à te non temere possunt. Itaq; eos tibi omnes commendo maiorem in modum: vtq; ipsos mea causa perhumaniter amplectare, plane abste peto. Erit id mihi sane gratissimum. Dat. tertio Non. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Ferdinando Hispaniæ Regi.

XXVII Præter eam; quam tu quidem omni tempore Romanæ Reip. fidem pietatemq; præstitisti; pro cuius autoritate maiestateq; defendēda plurimas grauissimasq; contentiones non es veritus subire atq; suscipere: præterq; illam singularem beniuolentiam; qua nos à mea, familiam vero nostram ab ineunte tua ætate es prosequutus: ea etiam res nos delectat; quod qui me leuioribus in fortunis degentem semper iuuisti, maioremq; esse voluisti; eundem te nūc, cum quidem hoc in statu & dignitate summi Pontificatus Dei Opt. Max. clemētia nos collocarit, libentiori animo confidimus omnia curaturum, quæ ad nostram cum huius imperij maiestate consociatam dignitatem tuendam amplificandamq; pertinebunt. Itaq; inter alia; quæ mihi quidem pro mea pietate voluptati atq; lætitiæ sunt; tuum & in Romanos Pontifices animum, & in me amorem in primis pono. Sed & hæc, & alia plura cum Hieronimo Vicco Legato tuo homine singulari, prudentia prædito uobisq; gratissimo communicauimus: qui ad te omnia diligenter perscribet. Ea tu intelliges: dabisq; operam; vt, quæ ad Petri nauis tranquillum prosperumq; cursum pertinent, ita cogites; vt tuam veterem in Christi vicarios pietatem nobis in puppi

sedentibus etiam auxisse videare. Ego certe nulla in re dignitati, amplitudini, gloriæq; tuæ deero. Dat. prid. Non. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Bernardino Seuerinati Bissinianorum Principi.

Quam mihi tuo nomine reddidit Mannæ pixidem XXVIII
miles Hierosolimitanus Vincentius; ea sane munus quidem & per se elegans, & mihi gratum fuit. Vincentium etiam; vt veterem familiarē meū, quemq; in primis diligo; & vidi ipsum libenter; & quæ abste attulit cognoui diligenter. Quibus in rebus ab eo meum consilium intelliges. Dat. viij. Id. April. M D XIII Anno primo. Roma.

Ioanni Boiardo Regiensi.

EA; quæ tu his diebus proximis & amanter, & forti XXIX
magnoq; animo egisti ista in ciuitate mihi carissima, deq; me optime merita in officio retinenda; mihi sane gratissima ceciderunt. Itaq; te de hac tua tam præstanti voluntate vehementer laudo; fidemq; & probitatem tuam facio plurimi: scireq; te volo; tuam mihi rem, dignitatem, familiam, tuos omneis magnæ curæ & esse nunc, & semper fore. Modo tu, quod reliquum est, eundem te in posterū, qui quidem adhuc fuisti, tuiq; similem & germanum præsta. Porrò beneficium optime te posuisse cognosces. Dat. vij. Id. April. Anno primo. Roma.

Thomæ Campegio Feltrimorum episcopo, & Cornelio Galanti, meis apud Ducem Mediolanensium internuntijs.

XXX MAndaui Bernardo Bibienæ Quæstori meo, scriberet ad vos ea, quæ scribenda erant hoc tempore: & erant illa quidem non minimi ponderis. Quãobrem eius literis fidem omnem habebitis: quæq; volo per vos fieri, sic ea conficietis; vt de vestra diligentia & studio vos & laudandos & ornandos putem. Dat. vi. Id. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Petri Bẽbi Epistolarũ Leonis decimi PONT. MAX. nomine scriptarum LIB. II

Petro Bibienæ nostro apud Venetos internuntio.

I ALLATVM ad nos est, Senatũ istũ Venetum remq; pub. cum Ludouico Gallorum Rege fœdus percussisse, pactionesq; inter se atq; illũ firmauisse. Ea de re quoniam neq; ab legato Veneto, neq; abste verbum vllum: esse autem ita de ista Rep. meriti videbamur, vt celari ab illa tantis de rebus non debuissemus: vera esse quæ feruntur non existimo. Quia verò a multis magnis illis quidem & probandis autoribus nuntiantur; nullam illis fidem adhibere plane non queo. Itaq;, quoniam res est eiusmodi, vt maximà momenta videatur habitura, maximasq; & periculosissimas rerum conuersiones allatura; has ad te literas per meum tabellarium magnis itineribus perferri volui: tibiq; mando; vt ab isto Senatu; in cuius quidem & erga Romanam Remp. illustri obseruantia, & erga me spectato pereueteriq; amore multũ confido; cures ea te de re fieri quàmdiligentissime certiorem: ipsumq; horteris ad omnes suas cogitationes nobiscum communicandas. Esse enim illi explo-

ratissimum debet, suam sibi incolumitatem dignitatem prope non maiori curæ esse; quam sunt mihi. Quibus de rebus omnibus per eundem tabellarium ad me rescribes, quæ cognoueris: dabisq; operã, vt is ad nos quàmocissime reuertatur. Dat. quinto Id. April. MDXIII Anno primo. Romæ.

Guidoni magno Magistro & conuentui Rhodio.

VIncentium equitem Hierosolimitanum veterem fa- II
miliarem meum vnice diligo: eius etiam & opera & fide & vtor multis in rebus hoc tempore, & vti in posterum cogito. Itaq; esse illum iussi apud me. Qua de re certiores vos fieri volui; vt, si is cum reliquis vestræ societatis militibus, qui quidem ad defendendam Rhodum præsto vobis esse compelluntur, non erit; culpam in ipsum ne vertatis; nẽ ve pœnis in illos à vobis constitutis, qui edictis vestris non paruerint, eum mulctandum statuatis: sed potius vti mea causa manere hic iusso æquos vos illi atq; beniuolos præbeatis. Erit id nobis gratum. Dat. quarto Id. April. MDXIII Anno primo. Roma.

Raphaello Besalu, & socijs apud Venetos Mercatoribus.

III MAndo vobis; vt omnem pecuniæ summam, quàm habetis ex rationibus Michaelis episcopi Monopolitani, eã Petro Bibienæ internũtio meo quàm primum curetis. Dat. tertio Id. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Antonio Mariæ Marchioni Palauicino.

IIII TVam quidem & fratrum tuorũ atq; vniuersæ propè familiæ gentisq; vestræ in summos Pont. fidem & pietatem, multis illam quidem in rebus mihi antea plane cognitam, nuper ex oratione Christophori fratis tui etiam libenter agnoui. Amorem autem & beniuolentiam officiaq; vestra; quæ quidem in me nondum Pontificem max. multa & præclara contulistis; nõ tam ex ipsius verbis, parce enim & pudenter eam rem attigit, quàm meo more illum intuens sum recordatus. Itaq; vos omnes, teq; in primis cum propter meas rationes, tum vestra ipsorum causa valde amo, habeoq; charissimos. Tuam verò præcipue virtutem etiam ornare magnopere cupio. Itaq; cùm primum se occasio dederit, vt militum res Romana indigeat; te vocabo, & in nostris exercitibus loco egregio habere, tuamq; dignitatẽ amplificare in primis curabo. Quanquam etiam fratres tuos eo tempore inornatos non relinquam. Hanc meam voluntatem latere te nolui; vt scires non solum amari te à me; sed etiam tuos omneis, teq; in primis magnæ mihi curæ esse. Dat. tertio Id. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Ioanni Paulo Balioni.

V MIttimus Perusiam Matthæũ familiarem, nostrum ad perquirendum Nicolaum Foroliuiensem; quem istic latere certiores facti sumus; curandumq; vt is in custodia quàm primum fieri potest, habeatur. Quamobrem magnopere te hortor, proq; nostra dignitate etiam atq; etiam moneo; vt Matthæum cura, studio, fauore tuo iuuenes; omnibusq; in rebus illi præsto sis; vt facilius atq; celerius ea, quæ volumus, curare atque conficere possit. Dat. Prid. Id. April. Anno primo. Roma.

Francisco Pulicæ.

VI ET diligentia tua in nostris mandatis peragendis, & Bretinori Decurionum alacritas & fides in illis accipiendis, mihi probatur. Quamobrem ad eas, quas ad me dedisti literas ita tibi respondeo; vt si tibi à Bretinorianis satisfactũ abunde est; culpamq; ab ijs ex eo tempore, quo te Bretinorum misimus, abesse cognosces; Præfecto nostrorum militũ, ipsisq; militibus mandes vt ad Bretinorum ne accedant, ne ve in agrum Bretinorianum impetũ faciant: & siqui in eo nunc sunt, vti inde quàm primum decedant; eorumq; res intactas posthac, atq; ipsos incolumes sinãt esse. Id ni fecerint; multã, quàm voles, eis statuendi tibi ius facultasq; esto. Quod verò attinet ad priorem eorum in nos mandatáq; nostra temeritatem & arrogantiã; ea de re volumus, vt Episcopus Polæ Bononiæ magistratus iudicet; cõdemnetq; illos, vti sibi æquum & iustũ videbitur. Alexandrum autem; quem istic in custodia scribis esse; eidẽ magistratui mittes; vt is de eo modis omnibus quærere possit, quæ sunt quærẽda; & statuere, quæ statuẽda sunt. Quibus tu cõfectis rebus, & recte vt volumus cõstitutis ad nos te referes. Dat. Id. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Altobello Episcopo Polæ Bononiæ Magistratui.

VII DE Alexandro Nauio; quem ad te in custodia mitti iussi; diligenter abste quæstionem haberi volo, ad veritatem admissi facinoris inuestigandam: quo rectius quæ æqua sunt, decernere atq; statuere possis. Eius potestas tibi fiet à Francisco Pulica interruntio apud Bretinorianos meo: ad quem literas dedi ea de re. Id tu pro tua diligentia curabis: meq; facies de eo, quod egeris, certiorem. Præterea quoniam Nicolaum Foroliuiensem esse Perusiæ intellexi; isq; se vnà cum Ioanne Paulo Balione, qui est propediem ad Venetorum castra profecturus, fortasse in viam dabit, vt se in tutum recipiat; iterq; istac faciet: mando tibi; vt diligenter illum inuestigari ac perquiri cures. Qui si in illius comitatu erit; des operam, vt vel à Balione ipso tibi dedatur; vel à te intercipiatur: omnibusq; modis caueas, ne elabi subterfugereq; te possit. Cæterum tuæ prudentiæ permitto; vt prioris Bretinorianorum in nos audaciæ & sceleris de ipsis sumere pœnas possis. Æquum est autem, illud te prius diligenter inspicere, metu ne illi nostrorum militum tuos admittere ad sese homines, tua facere mandata recusarint. Id si ita est; ignoscere te eis volo, nec seuerius quicquam in eos decernere. Sin aliter se res habet; ex nostra dignitate negotium administrabis, quemadmodum tibi æquum & iustum esse videbitur. Dat. Id. April. M D X I I I Anno primo. Roma.

Francisco Mariæ, Vrbinatium Duci Vrbis & reip. militum Præfecto.

VIII ET virtus & diligentia in regendis exercitibus tua, egregiaq; in nos obseruantia; amor etiam erga familiam nostram tuus; qui profecto, dum nos ipsi in collegio

collegio Cardinalium versaremur, omnibus in rebus semper enituit; nũc quidem, cum Dei Opt. Max. benignitate summus nobis Pontificatus creditus delatusq; est; nos admonent, vt te ijs ornamentis afficiamus; quibus à nobis non præteritus hoc ingressu nostri muneris videri possis. Itaq; nobismet ipsi pollicentes, eundem tuum animum, eandem nobis fidem posthac non solum præstitum abste, sed auctum etiam & cumulatum iri; neque modo adolescentiam, sed virtutes etiam tuas suum certe robur incrementumq; capturas; quo eras loco & statu apud Iulium patruum tuum, qui Pontifex max. ante nos fuit; in eodem etiam apud nos esse te volumus: tibiq; imperium nostrorum exercituum, quo cum imperio nunc es, in annum quidem proximum certe, in alterum autem, quoad nobis libebit, extendimus & prorogamus, cum eadem, quam habes, turma ducentorum equitum cataphractorum, & leuis armaturæ equitum centum; eodemq; ad eos alendos stipendio tibi soluto dari nummum aureorum tricies mille; ad te verò ipsum decies & ter mille atque octingentorum quadraginta quatuor. Quod quidem certe munus meæ in te benuolentiæ si vt libenti animo tibi à me defertur, ita tu eo munere gnauiter atq; strenue fueris vsus; quemadmodum plane confidimus te facturum; non vereor, ne ad veterem meum vere paternum in te amorem adiunctis in dies singulos recentibus tuis in rempub. meritis à nobis omnia sis impetraturus; quæ ad tua commoda, dignitatem, amplitudinem ab huius Pontificatus maiestate non abhorrentia pertinebunt. Dat. xvi. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Petro Bibienæ internuntio.

IX Scripsimus de mense Martij Leonardo Lauredano Venetiarũ Principi; mandaret vt fructus ecclesiæ Adriænæ, qui per ipsius ministros contra fas impediri dicebãtur, Beltrandi Episcopi Adriæ procuratoribus restituerentur. Id quoniam factum adhuc non est: causam autem eius rei dicunt esse; quod quibusdam sacris virginibus Venetis in Ferrariensi agro sui item fructus iniuste detinentur; mãdo tibi, vt eundem Leonardum horteris; quæ Episcopo Adriano contra ius detenta sunt; quoniam is nihil habet cũ illis virginibus commune; ea reddi aliquando tandem eius procuratoribus imperet. Qui verò illarum virginum fructus à Ferrariensibus intercepti dicuntur esse; de ijs me cõfidat esse ius petentibus administraturum. Dat. xij. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Octauiano Episcopo Laudis Pompeiæ designato.

X Cvm pluribus te de causis alloqui magnopere cupiã; valde te hortor; vt ad vrbem venias: vt possim coram tecum agere, quæ volo. Erit id mihi vehementer gratum. Dat. ix. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XI Qvoniam Octauianum Episcopũ Laudis Pompeiæ Designatum pluribus de causis esse hic magnopere cupio; peto abste, vt illi ad nos vt veniat, non permittas solum; sed etiam suadeas: quem quidẽ sum, si venerit, amanter paterneq; suscepturus. Dat. ix. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Magistratibus Ariminensium.

MAndo vobis; vt Achillem Taurellium cum suis equitibus omnibus vestrum in agrum recipiatis; & quæ dari nostris militibus solita sunt, ei militibusq; eius dari iubeatis: neq; difficiles vos præbeatis ea in re; quemadmodum quidem mihi demonstratum est solere vos persæpe facere. Id autem eo vobis erit leuius; quo isti ipsi paucos apud vos dies sunt milites commoraturi. Dat. ix. Cal. Maias. Anno primo. Roma. XII

Thomæ Episcopo Feltrinorum internuntio.

EXemplum literarum, quas ad Maximilianum Mariam Ducem Mediolanensium dedi, de restituenda Marco Cardinali Senogallienſi oppidi Cugnoli possessione, habebis cum his literis. Tibi verò mando; vt cum ipso Duce agas curesq; diligenter eam rem; quam tu ijs ex literis velle me magnopere cognosces: vt Cardinalis ius suum obtineat: ne iam mihi sæpius eadem de re sit scribendum. Dat. sexto Cal. Maias. Anno primo. Roma. XIII

Alfonso Atestino Ferrariensium Duci.

FRanciscum & Pasotũ Fantutios ciues Bononienses, bene de nobis meritos captos à tuis ministris complures iam menses, in custodia magistratus tui habent. Eos quoniam & amo ipsos; & mihi admodum indecorum est meos homines honestos viros sic affectos & captos abste detineri: constitutum mihi erat, cum hic esses, te præsentem alloqui ac planè abste petere, vt eos permitteres domum redire. Veruntamen id facere anteq; ea, quam habes mecum, magni ponderis causa componeretur, habeaq; finem suum; sane nolebam: ne quæ leuiora essent, grauioribus anteferrentur. Itaq; tu quia confecta nondũ re XIIII

Roma discedere voluisti; Eantutiorum liberationem etiam differre aliud in tempus statuerã: & profecto distulissem; nisi, vt postea intellexi, tantula illis mora, quorum mihi salus charissima debet esse, magnum esset detrimentum, magnam calamitatem allatura. Nam præterquam quod in custodia esse atq; in carcere per se miserũ calamitosumq; est: permagni eorum interest ipsos hoc tempore cum domi esse posse, tum vel maxime ad nos accedere suarũ fortunarum prope omnium constituendarum causã. Quamobrem ne rei eiusmodi tam per se piæ, tam mihi debitæ, tam illis salutaris confectio diutius proferatur; te tam nunc etiã atq; etiam hortor, vt eos missos facias; vt redire in patriam, atq; ad me venire possint. In eo tametsi boni principis munere eris ipse functus; quod per te facere semper debes; tuum tamen tum facilem & liberalem, tum verò propensum ad bene de me merendum animum etiã libenter agnoscam. Dat. quinto Cal. Maias. Anno primo. Roma.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

XV INtelleximus de Alexandro Gabloneta procuratore tuo certiorem te esse factum, quosdam principes in Italia viros contra te cogitare; armaq; ab ijs comparari, quibus te ditionemq; tuam aggrediantur. Itaq; te precibus omnibus petere; ne tuos populos tuasq; fortunas vllorum hominum cupiditate atq; libidine turbari diuexariq; pateremur. Quas ad res ita illi respondimus; existimare nos neminem quidem in nostri Signiferi ditionem armis inuasurũ; præsertim nobis charissimi, atq; in nostræ beniuolentiæ tutelam & curam amantissime recepti. Veruntamen si quis erit tam à nobis alienus, in te vt sit atq; in tuos eiusmodi quidpiam moliturus; pollicitiilli sumus, nos tibi præsto futuros, eiq; interminaturos, vt se contineat. Quod si ij nostri

monitus atq; minæ nihil proderunt: exercitus ipsos nostros Franciscumq; Mariam, Vrbinatium Ducem, generũ tuum cum imperio ad te defendendum, hostesq; tuos, quos esse nostros existimabimus, propulsandos & profligandos mittemus. Itaq; te volumus bono animo esse, atq; existimare vrbem istam nobis tuam tuosq; populos non minori curæ esse; quàm quæ vrbes quiq; populi sub nostra ipsorum ditione sunt: eandem vtrosq; fortunam, idem periculum subituros. Quæ quidem omnia tametsi Alexandrum ipsum ad te scripsisse diligenter existimo: volui tamen nostris etiam literis ad te perferri: vt per me quoq; de meo in te animo ac voluntate fieres certior. Dat. tertio Cal. Maias. Anno primo. Roma.

S. Daciæ Regi.

PErlatum est ad me, quod quidem mihi iocundissimum fuit, magno te istarum nationum fauore incredibiliq; voluntate Regem Daciæ salutatum, illustris viri patris tui loco bene atq; laudabiliter regnare; adolescentiæq; tuæ annos egregia spe tuorum de te populorum firmare: itaq; eiusdem patris tui desiderium præsenti tua præstantiq; virtute facile leniri. Quam nos rem, euentumq; tum fortunæ tum prudentiæ in primis tuæ animi erga te nostri propensione sociantes, te paterna nostra charitate ac pietate amantissime complectimur: omniaq; tibi, quæ quidem ad Regium honorem dignitatemq; tuam confirmandam augendamq; pertinebunt, quoad nostræ rationes patientur, libentissime polliceor. Quoniã autẽ ea nostra mens est, is animus; vt Christiani Reges atq; Principes, qui dissentiunt inter se, concilientur; vt ad Christiani hostes omnis repellendos, suscipiendumq; contra Turcas bellum, cõuertere cogitationes nostras possimus, te hortor; vt hanc nostram XVI

voluntatem iuues. Id optime fiet; si in Reges Christianos, quiqui sunt, tua arma non mouebis; tuasq; vires non exercebis. Quorum quidem quòd vnus in primis Henricus Britanniæ Rex multis de causis mihi esse charissimus debet: illud abste impensius peto & postulo; ne cum Regẽ eiusq; populos aut lacessas & perturbes ipse, aut id fieri permittas à tuis. Hoc nobis gratius facere nihil potes. Dat. tertio Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Hippolyto Cardinali Atestino.

XVII EX tuis literis intellexi id, quod etiam sine iis exploratum mihi erat; Pontificatus mei nuntio audito te magnam lætitiam cepisse. Itaq; mihi ea de re officiosissime amantissimisq; verbis gratularis. Aegre fers etiam suffragiorum ferendorum tempore te non affuisse. Quæ quidem mihi omnia optatissima legenti iocundissimaq; fuerunt: ex animo enim beniuolentissimo mihi dudum perspecto & cognito sanè proueniunt. Magnopere autem vellem eo te tempore Romæ fuisse: rem enim nostram, qui tuus est in me amor, profecto in primis iuuisses. De meo verò in te animo ita te volo existimare: amorem meum; qui quidem antea erga te atq; Alfonsum Ducem Ferrariensiũ fratrem tuum eximius semper fuit; hac in re Dei Opt. Max. benignitate ac munere etiam auctum multiplicatumq; esse: vt quo maior ipse sum, eo vterq; vestrum & coniunctior mihi sit, & certe charior. Quod autem mihi eũdem fratrẽ tuum commendas: voluit is iustis quidem de causis, quas ab ipso intelliges, infectis rebus suis Roma proficisci. Spero tamen, quoniam eius rei fundamenta iecimus; quod superest, me daturum operam; vt intelligatis vos mihi ambos incolumitatemq; vestram magnæ curæ esse. Dat. tertio Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Paulo Germano Migdelburgensi Forosempronienſium Episcopo.

EGregiam in omni prope disciplina doctrinam tuam, XVIII plurimarumq; optimarum artium scientiam maximi semper feci. Quamobrem excellens tuum ingenium studio ac fauore meo commendare aliqua nunc iam in re atq; prosequi cupiens, libros de Pascæ obseruatione, ac mortis Dominicæ die; quos nouissime confecisti, volo, atq; igni & aquæ interdico & mando, nẽquis imprimere possit, imprimi ve facere, aut impressos venundare, quoad vixeris; præter te, vt vsum aliquem ex tuis laboribus hac etiam ex parte percipias; ipsiq; tui libri diligentius impressi in lucem prodeant. Dat. prid. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Sigismundo Regi Poloniæ.

PRoximis diebus te hortari vnis atq; alteris literis nõ XIX destitimus; controuersiam, quam cum Alberto Prussiæ Magistro aliquot iã annos habes, habuistiq; cum eorum nonnullis, qui ante illũ magistri fuerunt; vt aliquando tandem terminati sine armis posset; velles eam sacro Lateranensi Concilio remittere; à quo quidem maxime conuenit Regum causas disceptationesq; iudicari. Qua in re si meis hortationibus animum adhibuisti; quæq; te facere ipse æquum & iustum putabam, ea concordi inter te atq; illum voluntate es iam ita complexus, vt ei Concilio vterq; vestrum suam causam remittendam statuerit; eiusmodi nuntium læto animo accipiam: teq; de tua ista lenitate atq; in Remp. obseruantia magnopere commendabo. Sin autem; quemadmodũ & à Thoma sancti Martini, & ab A.

ſancti Sixti Cardinalibus; qui te ſummopere diligunt, & quibus incolumitas tua, dignitas, amplitudo magnæ curæ eſt, nuper intellexi, lubens ipſe paratuſq; es ad ea pacta fœderaq; ſeruanda, quæ quidem ſolenniter inter vos nouiſſime ſtatuta ſanctaq; ſunt, quæq; propediem ſunt ſancienda; tua iſta voluntas etiam atq; ad pacem propenſus animus mihi plane vehementer probatur. Teq; magnopere hortor, ab illis ipſis, quas commemoraui, tum factis tum fiendis pactionibus ne recedas: modo eiuſmodi ſint; quibus arma & diſcordiæ auferãtur, pax atq; trãquillitas exoriatur. Si enim is exitus iſtic aut partus iam eſt, aut comparari, modo velitis, poteſt; quid attinet noua iudicia quærere: quæ quidem vt ſuum ad finem perduci poſſint; neq; breuis tẽporis, neq; parui ſumptus propter locorum longinquitatem indigeant neceſſe eſt? Quamobrem abſte nunc quidem vehementer quæſo & opto; primum vt in eadem ſententia te confirmes ac plane perſtes: deinde vt nullam prorſus anſam Pruſiæ Magiſtro des à pacto inter vos fœdere diſcindendi: vel potius vt omnia cogites, omnia præmunias, omnia moliare; quibus ille nihil queri de te, nihil inuenire cauſæ poſſit ad pacem concordiamq; reiiciendam. Hoc nos horturi monereq; te non magis noſtrum eſt; quanquam id quidem noſtrum maxime: pacem enim à Domino relictam nobis atque traditam aliis velle communicare magnopere omnes debemus; quãm tuum etiam modis omnibus præſtare atq; efficere, ne te fruſtra monuiſſe videamur. Qua in re præterquam quod tuæ tuorumq; populorum quieti optime abſte conſuletur; nobis etiam rem gratiſſimam facies: De re autem P. cuius te obſeruantiſſimum ſemper fuiſſe omnes prædicant, etiam bene merebere. Dat. prid. Cal. Maias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Alberto ſocietatis Marianorum Theutonicorum magno Magiſtro.

XX

SVperiori epiſtola te etiam atq; etiam monui, velles eam controuerſiam, quam cum Sigiſmundo Rege Poloniæ multos iam annos habes; vt aliquando res ipſa atq; cauſa confici ſine armis poſſet; vel tantiſper ſuſtinere, dum noſter Legatus ad iſtas regiones mitteretur; qui quæ æqua eſſent, inter vos ſtatueret: vel ſacro Lateranenſi Concilio remittere: à quo maxime conuenit magnorum Principum cauſas diſceptationesq; iudicari. Nunc autem quoniam ijs de rebus diligentius perquirentes intelleximus proxime inter vos pactum ſanctumq; eſſe quid vterq; veſtrum facere, quibus ſtare conditionibus debeat: quo ex fœdere erat ſtatutum, vt quæ ſupereſſent controuerſiæ inter vos, pactis eæ atq; fœderibus ad octauum Idus Maias fiendis terminarentur: quanto maiore poſſim ſtudio ac diligentia te plane hortor; quæ ſolenniter celebrata inter te & Regem Poloniæ pacta conuentionesq; ſunt, eas ne reiicias; celebresq; quæ ſunt celebranda, ſic plane, ſi erunt eiuſmodi; vt bella contentionesq; deponantur; ſecuritas atq; ocium ſubſequatur. Nam ſi is iſtic finis vel paratus iam eſt, vel parari vobis volentibus poteſt: quid opus eſt nouorum iudiciorum: ad quæ quidem terminanda neq; breuiſſimi temporis, neq; minimæ impenſæ propter regionum longinquitatem vterq; veſtrum indigebit? Quanquam, vt verum fatear, pupugit me rumor quidam tibi plane non honorificus, mihi etiam permoleſtus; qui multorum iam vocibus & ſermone percrebuit; iactantium, per te fieri, abſteq; impediri, ne res ad exitum perducatur. Quare his quidem literis impenſius etiam abſte poſtulo & peto; vt quibus pactionibus pollicitus es te ſaturum; ijs ne te laxes; fidemq; tuam præſtes; omniaq;

agas, coneris, efficias denique, vt pax inter vos conficiatur: neque Rex Poloniæ conqueri de te apud nos vllo modo possit. Quam plane te ad rem vel hortari vel monere, non magis mei muneris est; quod tamen est in primis meum; quàm tui etiam efficere, ne frustra operam posuisse nos appareat. Ita enim & tuæ tuorumque quieti magnopere consules; & tua in nos præclare officia constabunt. Dat. prid. Cal. Maias. MDXIII Anno primo. Romæ.

Conuentui & societati Marianorum Theutonicorum.

XXI SCribimus Alberto Marchioni Brandeburgensi societatis vestræ Magistro; eumque etiã atque etiam hortamur, vt ei controuersiæ, quam cum Sigismundo Rege Poloniæ habet, finem atque modum adhibeat; quantumque in se est, efficiat, vt ad pacis tandem studium res consensumque perducatur. Tum illud addimus; vt quoniam nobis renuntiatum est per illum stare, quominus causa eum quem commemorauimus exitum habeat; det operam nequis ipsum nolle pacem atque concordiam apud nos queri iure possit. Quæ quidem omnia vobis etiam perscribere volui: cum quia exploratum habeo conuentum istum vestrum magnæ apud illum autoritatis esse; eaque fere cogitare ipsum atque agere, quæ vobis vnis probantur: tum quod intelligo huius ipsius culpam rei, quod adhuc confecta non sit, in vos reijci. Itaque vos vniuersos & hortor & paterne moneo non id solum; vt Magistrum vestrum ad pacem atque concordiã cum Rege Poloniæ ineundam ne impediatis, sed vt omni etiam vestra diligentia & autoritate cõpellatis, ad ea pacta fœderaque, quæ confecta proxime inter illos sunt, amplectenda atque seruanda: quæ vero conficienda sunt, ea vt conficiat vt discordia omnis atque dissensio tam vtriusque eorum detri-

mentosa, tam indigna Christianis Principibus, tam nobis molesta aliquem aliquando tandem exitum nanciscatur: ne dissentientibus studijs nationes istæ, quæ ad Christianam gloriam augendam atque propagandam sunt aptissimæ, simultates inter se atque odia semper exerceant, suis semper viribus conterantur. Id si vos in animum induxeritis, communique consilio effeceritis; egregie de me atque ampliter vos esse meritos profitebor: rem vero atque operam ipsis vobis magnopere debitam, & virtute dignam vestra bonitateque habebitis. Dat. prid. Cal. Maias. MDXIII Anno primo. Romæ.

Magistratui Bononiæ.

DEmonstratum mihi est nostra interesse, vt Regij Lepidi forum aliquot peditũ tutela muniatur. Quamobrem mando tibi, vt ex ijs militibus, qui apud te sunt, vigintiquinque pedites, qui præfectum suum habeant strenuum aliquem ac idoneum virum, illò mittas. Ante tamen quàm id facias, nostrũ hoc consiliũ cum Rufino Regiensium Magistratu communicabis. Qui si etiam equitatu peditatuque opus esse duxerit ad reliquum oppidum, eiusque agrum muniendum; XXV equites leuis armaturæ cum peditibus alteris totidem eorumque præfectis ad eum mittes. Dat. Cal. Maij MDXIII Anno primo. Romæ. XXII

Rufino Regii Lepidi Magistratui.

INtellexi operæpretium esse, istius oppidi forum aliquo militum numero præmuniri. Quamobrem mandaui Bononiæ Magistratui, vt XXV pedites ad te mitteret cum eorum præfecto. Quibus tu stipendium dari solitum ex istius ærarij prouentibus conficies. Cæterum si ad XXIII

reliquum oppidum eiusq; agrum tuendum vel peditatus alicuius vel equitatus indigebis; eos à Bononiæ Magistratu, cum erit opus, petes. Dat. Cal. Maij. Anno primo. Roma.

Marco Martello Regii Lepidi Quæstori.

XXIIII Mando tibi, vt quæ Iulij secundi Pont. max. tempore ex salis aliarumq; rerum vectigalibus ærario isti nostro publicanorum reliqua debebantur; ea omnia cures atq; exigas. Quam quidē tu ad rem istius Magistratus opis atq; auxilij si indigebis; volo, hisq; ipsis literis eimando, vt te omnibus in rebus ita iuuet; vt negotium recte atq; celeriter conficiatur. Dat. Cal. Maij. M D X I I I Anno primo. Roma

Ciuibus & mercatoribus Lucensibus tribus.

XXV Fide atq; integritate vestra optimorum hominum ac præstantium virorum testimonio præclare cognita vnicuiq; vestrū largior; vt & merces vestras omnis generis in Galliam transalpinā mittere; & in Gallia quicquid libuerit mercium emere, & emptū in Italiam transportare: summatimq; mercaturam exercere, omniaq; agere, vt soliti estis, & vobis vsui venerit, libere atq; secure liceat duobus anni temporibus & mercatibus, qui Lugdum fiunt ad Augusti atq; Nouembris Calendas. Dat. xij. Cal. Ium. Anno primo. Roma.

Euangelistæ Tarasconio, & Iacobo Gambaro meis apud Placentinos internuntijs.

XXVI Mando vobis, vt si Raimundus Cardona noster fœderatorumq; nostrorum Imperator exercitum sibi à Ferdinando Hispaniarum Rege creditum

educere è Gallia citeriore voluerit; ipsum exercitumq; eius nostro nomine recipiatis; atq; à Placentia quo ei libuerit versus per loca prouincias q; nostras comitemini: curamq; & diligentiam adhibeatis; vt quæ solita sunt per nostros homines amicissimus exercitibus parari; ea ipsi militibusq; eius per vos parentur: quos quidē meos Internuntios procuratores q; hac in re atq; illo traducēdo exercitu volo esse. Dat. x. Cal. Iunias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Monachis Neapolitanis.

INtellexi velle vos Gaspari Hispani præfecti militum ea XXVII dauer ab illo, quo illatum consentientibus vobis fuerat, loco in alium minus idoneum locum transferre. Quam rem quoniam eos, quorum interest, ægre molestēq; ferre audio: vos hortor; ne eorum animos ea de causa mœrore afficiatis; cadauerq; ne amoueatis. A quo si religione impedimini, vel aliqua alia mutādi loci satis iusta causa vos mouet; id omne ad nos defertote: qui, quod erit æquum atq; iustum, statuemus. Dat. vij. Cal. Iunias. M D X I I I Anno primo. Roma.

Hannibali, Antonio Galeatio, Alexādro, Hermeti Bentiuolis germanis fratribus.

OBsequium humilitas q; vestra; quam ad me paratim ipsi accedentes pedibusq; meis aduoluti, paratim per internuntios idem agentes modis omnibus supplices præstitistis; precesq; interpositæ vestræ atque effusæ lachrymæ largiter; quibus quidem subiectissimè petūstis, vt vestras, quales cunq; essent, in Romanos Pontifices culpas erratāq; ne plecterem; ignoscerem q; vobis necessitate potius & vi, q; vel sponte vel vllo certo consilio cōpulsis ea facere, quæ feci stis; me in eam cogitationem adduxerunt, vt vos non indignos venia ducerem. Quare sic existi- XXVIII

mans, vobis mala multa aliquot perpessis annos nihil esse antiquius, quàm sub hoc imperio posse honeste pacateq; viuere; vestrũ istum bonum, vt videtur, perhumilemq; animũ fauore vel amore potius amplectens meo, nec tàm pœna, quàm pœnitentia vestra contentus, primum quidem vobis cum vestra in eos, qui ante me fuerunt, Romanos Pont. omnis generis delicta; tum pœnas ob id lege Iulia constitutas remitto atq; abolco itu quidem, si mihi prædes dederitis sestertium duum milium, vos à meo & eorum, qui mihi successuri sunt, Pontificum Maximorum imperio mandatisq; non discessuros; neq; quicquam vnquam contra me atq; illos tentaturos. Domos deinde, villas, fundos, bonaq; omnia sacerdotijs exceptis; quæ quidem bona ante diem Calendarum Nouembris M D X I, Ioannes Bentiuolus & Geneuera parentes vestri vestrumq; singuli quocũq; nomine habebatis, possidebatis; ea vobis vniuersa, etiam si in alios translata sunt, condono ea lege; dum quæ à vobis rerum & pecuniarum summæ debentur, quibus de summis liquet; earum creditoribus antea satisfactum sit: quibus verò de summis nondum liquet; de ijs vos omnibus, cum liquebit satisfacturos: deq; uri stando prædes à vobis cautionesq; sint datæ: quos prædes quasq; cautiones esse idoneas magistratibus sit probatum. Denique vniuersam vestram familiam atq; eos omnes; qui aut vobiscum exilio mulctati sunt, aut quoniam vestrarum partium sunt habiti, postea in exilium sunt missi; quiq; vos sequuti sunt; eundem ad statum conditionemq; repono atq; restituo: & præter hæc ad patriam etiam reditum illis omnibus tutum atq; liberum mando esse; ijs exceptis, qui hominem occiderint: quos quidem volo in eo, quo nunc sunt, exilio, priuatione, interdictis manere; vtpote malæ fidei homines, atq; immeritos, quibus quicquam tale res hæc publica largiatur. Volo item,

vt illi, quorum nomina in nostris ad Episcopum Polæ Bononiæ Magistratum dandis propediem literis ex eo numero excipiemus; ad patriam ne redeant; neve recuperationem bonorum suorum adipiscantur, quoad aliter iussero. Quoniam autem perdifficile admodum vobis futurum intelligo, duum milium sestertium prædes ærario dandos nostro reperire, qui perpetui maneant: satis habebimus eos à vobis per triennium duraturos & valituros dari: quo in tempore aut rem totam terminabo; aut alteros à vobis prædes datum iri, quoad opus erit, iubebo. Quæ quidem omnia de plena Christi gratia munificoq; sinu deprompta collataq; in vos si ad bonam mentem reuersos perinde accepisse vos intellexero, vt propensa perpetuaq; vestra in nos obseruãtia, cultu, studijs, officijs, diligentia huius vos nostri muneris in posterum esse meriti atq; grati videamini; voluntas erga vos mea pronusq; ad incolumitatem vestram animus etiam augebitur: deq; vestro ipsorum ad patriam atq; lares vestros reditu, quem adhuc vobis liberisq; vestris præcludimus; ea, quæ à nobis precibus omnibus petüstis, quæq; vultis, aliquando statuemus. Dat. vij. Cal. Iun. Anno primo. Roma.

Bononiæ Magistratui.

XXIX

MAximilianum, Romanorum Imperatorem designatum summopere amo: eiusq; maiestas, amplitudo, dignitas, resq; omnes mihi magnæ curæ sunt. Itaq; cum intelligam in illius oppido Mutinæ periculũ esse, ne per seditiosos homines tumultus aliquis excitetur; qui in eius fraudem vergat, inclinationemq; afferat eius rebus; q̃bus de omnibus valde quidẽ solicitus sum: mãdo tibi; vt si Vitus Frusto, q̃ eius nomine ei oppido præest, seditionũ

& nouarum rerum causa, quas is commoueri videat, abste auxilium petierit; omnem eam armatorum hominum & militum nostrorum manum illi mittas ad vrbem tuendam tumultusq; compescendos; quam is volet: curesq; omni studio, vt Imperatoris res tam sint tutæ; quàm huius reip. atq; nostræ. Dat. prid. Cal. Iun. Anno primo. Roma.

Heluetiorum pagis duodecim.

XXX Lectis vestris literis, quibus à me petitis, vt declarationem vestram de Episcopo Gebennensi factam vellim ratum probatamq; esse. Equidem libenter hac in re vestris postulatis annuissem; nisi Duci Allobrogum antea scripsissem mihi statutum esse, cuius nomen ad Episcopatum illum sim sublecturus. Itaq; vos potius hortor, vt cum ipsum, quem nominabo, gratum optatumq; habeatis. Id si feceritis; & erit mihi sane gratum; & reip. dignitatis per vos ratio habebitur. Dat. prid. Cal. Iun. M D XIII Anno primo. Roma.

Magistratui Regii Lepidi, & M. Martello Quæstori.

XXXI Volo & vobis mando; vt omnes istius ærarij prouentus & vectigalia pristinum ad statum & rationem, atque eam, quam lege Iulia formam acceperant, reuocetis: eaq; deinceps vtamini. Calend. Maij. M D XIII Anno primo. Roma.

Petro Bibienæ Internuntio.

XXXII Exemplum literarum, quibus literis ad Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem scribimus Franciscum Marchionem Mantuæ in nostram fidem esse receptum, ipsasq; literas cum his ad te literis mitto; vt & nunc quidem eam illi rem meo nomine significes, reddasq;, quas

quas ad eum literas dedi; & posthac quibuscunq; in rebus Francisco ipsi apud istum senatum esse vsui possis, eum iuues, vti & hominem de nobis optime meritum nobisq; charissimum, & Signiferum nostrum, & in fidem nostram receptum. Dat. vi. Non. Maias. Anno primo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

FRanciscum Gonzagam Marchionem Mantuæ vrbemq; eius & ditionem in beniuolentiæ nostræ fidem & patrocinium recepi. Nam & amaui hominem, cũ inter Cardinales essem, omni tempore; & amari me ab illo plane perspexi: plurimaq; eius in nos familiamq; nostram egregia officia & studia extiterunt. Eam rem tibi esse cognitam volui; primum vt ipse pro eo, quo te remq; istam publicam amore charitateq; amplector, mea omnia, beniuolentiaq; in prmis rationes tibi senatuiq; tuo notas atq; declaratas facerem: deinde vt tu illum eiusq; oppidum, populos, reliqua omnia omnibus posthac in rebus ita tractares; vt intelligeret, cuius ipsius tuendi nos curam studiumq; susceperimus, cum non solum propter huius imperij maiestatem Signiferiq; officiũ, quem gerit; sed etiam quod à nobis vnice diligitur, abste tuaq; rep. esse tutissimum. Dat. vi. Non. Maias. M D XIII Anno primo. Roma. XXXII

Magistratibus Parmæ.

OPtimum vestrum in nos alacremq; animum, quem quidem mihi Benedictus Rubeus vestro nomine detulit; libenter agnosco. Et quoniam diligentiam adhibui, vt sub reip. imperium rediretis; redeuntes nunc vos paterno amore charitateq; amplector atq; recipio: dabiturq; à me quidem opera, vt vos ciuitatemq; istam perinde tractem; vt neq; meæ me diligentiæ in ea recuperanda, neq; vos vestri in rep. recolenda studij obseruantiæq; pœniteat. XXXIII

Dat. tertio Non. Maias. Anno primo. Roma.

Magistratibus Placentiæ.

XXXV ET obsequium vestrum & cultus, quem mihi Lazarus Maluicinus & Nicolaus Scottus Interpretes vestri diligenter præstiterunt; gratus mihi atq; optatus accidit. Itaq; de eo vos studio; quod quidem maximum, vt sub huius reip. imperium rediretis, communi omnium consensu adhibuistis; & laudo; & redeuntes in fidem meam clientelamq; recipio: daboq; operam, vt magis magisq; in dies singulos id voluisse vos atq; fecisse lætemini. Dat. tertio Non. Maias. Anno primo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum apud Mediolanenses Internuntio.

XXXVI MAndo tibi, vt oppida Placentiam & Parmã sub reip. imperium redeuntia nostro nomine recipias, liberaliterq; tractes; quemadmodum quidem eorum ciuium erga nos voluntas, studium, pietasq; postulat. Dat. tertio Non. Maias. Anno primo. Roma.

M. Antonio Columnæ.

XXXVII MAndo tibi, vt Cotignolam oppidum in deditionẽ nostro nomine recipias; itaq; tractes; vt eius municipibus atq; incolis nihil detrimenti tuis à militibus inferatur. Cæterum quod ad arrogantiam ipsorum attinet, mulctamq; ea de causa Decurionibus statuendam; quid fieri oporteat, scribam ad Bononiæ Magistratum propediem. Dat. tertio Non. Maias. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ.

XXXVIII MAndo tibi vt Achillis Taurelli, cui nuper præfecturam militarem cõtuli, eiusq; militibus stationes eo in loco, qui tibi esse opportunior videbitur: eisq; dari mandes tectum, lignum, stipulam; vti solitum est; maximeq; conuenit. Dat. quinto Id. Maias. Anno primo. Roma.

Guido Vainæ.

CVm tibi certum statutumq; sit Roma discedere; idq; XXXIX vt nobis volẽtibus tibi facere liceat, precibus omnibus petieris: vti de Iulio Secundo, cuius stipendia annos aliquot multa cum laude feceris; optime merito tibi quod petis, do atq; tribuo. Itaq; & Roma proficiscendi, & ad quascunq; nationes Reges populos te conferendi, atque vbi volueris gentium commorandi, harum literarum significatione tibi facultas esto: teq; illis ipsis, ad quos accesseris; quemadmodum quidem de viro egregiæ expectataeq; virtutis, deq; homine meis omnibus valde amico mihiq; percharo facere me conuenit, studiose diligenterq; commendo. Dat. tertio Id. Maias. Anno primo. Roma.

Francisco Marchioni Mantuæ.

INter Petiliani Comites; quemadmodum appellant; & XL meam familiam meq; ipsum in primis, quo tempore Cardinalem gessi, plurima beniuolentiæ necessitudinisq; officia paria & mutua extiterunt: vt nihil nolle nos eorum causa, nihil ipsi nostra potuerint, quod ab amantissimis coniunctissimisq; hominibus esset petendum. Ea necessitudo à maioribus nostris constituta eo nunc quidem cum ijs, qui superstites sunt, seruatur à me diligentius; quo ipsi magis de rep. benemerentur; cui præesse me Dei largitas atq; benignitas voluit. Quamobrem etiam atq; etiam abste peto; vt Colæ Chiappino bonorum, quæ ab egregio viro patre suo amantissimo tui sibi relicta in Brixiano habet, Asulanam possessionem ne perturbes: sed ipsum patris sui hæreditate optime parta frui permittas vel quia ita te velle

æquum honestumq; est; vel quod in eo mihi ipsi gratissimũ feceris. Dat. prid. Id. Maias. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ.

XLI EX tuis literis intellexi Cotignolæ oppidum sese nostris militibus dedidisse. Itaq; postulas vt tibi mentem meam in eo significem. Qua in re volo, & tibi mando, vt oppidanos ita mulctes itaq; punias; vt arrogantiæ, qua in nos sunt vsi, eos pœniteat, discantq; se gerere reuerenter, exemploq; cæteris sint, nihil temere faciendi. Dat. prid. Id. Maias. Anno primo. Roma.

Magistratui Foroliuiensium.

XLII MAndo tibi, vt quicquid stipendij nomine M. Antonio & Mutio Columnæ Præfectis equitum nostris ab ista ciuitate dudum instituti atq; recepti debetur: Debetur autem, vt mihi demonstratum est, Mutio quidem prope integrum solidum; M. Antonio verò non minima certe portio: id, eis omne subductis rationibus curari iubeas sine vlla mora. Dat. quarto Non. Iun. Anno primo. Roma.

Alfonso Ateſtino Ferrariensium Duci.

XLIII SVperioribus diebus te sum per literas hortatus velles Franciscum & Pasottum Fantutios ciues Bononienses huius Reip. homines captos à tuis liberos missosq; facere, sperans me id abste pro Reip. dignitate facile impetraturum. Postea verò quàm ab Hadrianorum Episcopo legato tuo cognoui te laxiorem quidem illi commodioremq; carceris conditionem mea causa dedisse: de libertate verò eis restituenda tempus ad deliberandũ sumpsisse dum Hippolitus Cardinalis frater tuus Romam accederet: iterũ te atq; sæpius & hortor & moneo, cogites, quàm sit honestũ

nostros municipes, honestissimos viros abste captos tandiu detineri. Quæ quidem res quoniam sine nostræ dignitatis diminutione differri diutius non potest; præterq; quod illis nihil tale meritis mora omnis laboriosissima ærumnosissimaq; est: abste magnopere peto, ne Fantutiorum liberationi tempus vllum vlterius des: vt gratus erga Deum humanisq; animus, atq; officiosa in eius Vicarium mens esse tua facile appareat: quo nihil potest esse laudabilius. Dat. octauo Id. Iun. Anno primo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

VEnit ad me Hercules Ateſtinus; narrauitq; mihi ab Augustinis ciuibus tuis ad sestertium ducenties sibi iampridem deberi: proq; ea summa adamãtem eum, quem ab ipsis Iulio Secundo diuenditum nos habemus, obligatum sibi esse affirmauit. Itaq; petijt agerem tecum, vt Augustinis mandares, sibi quod debent, persoluerent: id ni facerent; à me cuius in potestate adamas est, eos numos sese dixit petiturum. Quamobrem quoniam Iulio nihil omnino harum rerum denuntiatum fuit; isq; gemmam eam aperte mercatus omne illis pretium persolut, quo de pretio atq; summa pacta inter ipsos stipulationesq; extiterunt: ego sane, qui nihil eius rei habeo, quod non sit Reip. pecunia comparatum; te etiam atq; etiam hortor, cogas ipsos ciues tuos Herculi fidem soluere; vt & is perspicua in re neq; sanè noua peruenias ad suum, & mihi molestia ea de causa non exhibeatur. Dat. octauo Id. Iun. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ.

ET si mihi dubium nõ est, quin omnes nostri Præfecti militum paratissimi sint, quocunq; oporteat proficiscI: volo tamen, vt iis omnibus eorumq; vicariis XLV

qui istic sunt, significes, sese mihi rem gratissimam esse facturos, si quamprimum cum suis militibus Parmam Placentiamq; se conferent tantisper, dum ea municipia in ijs bellorum motibus, quos illis in locis excitari audio, se à me deserta esse destitutaq; ne arbitrentur: quæ quidem certe merita de nobis sunt, vt eorum incolumitatem salutem fortunas non negligamus. Id vt libentius faciant, recipere te eis volo, quartam alteram vnius anni stipendiorum partem, quàm adhuc non merent: à Quæstoribus repræsentatum iri. Quod si nihilo secius profectionis excusationẽ aliquam quispiam afferet; ei te volo dicere, abunde me ea incommoda repositurum: non enim facti modo prædicationem atq; laudem, sed etiam laborum suorum præmium consequetur. Dat. quinto Id. Iun. Anno primo. Roma.

Præfectis militum eorumq; vicariis.

XLVI CVm magnopere vos cupiam, cum ea manu, quam habetis, Parmam atq; Placentiam accedere ad ea municipia nobis quidem charissima tuẽda atq; muniendа; ne se illi à me ciues atq; municipes in his rerum motibus turbulentisq; temporibus vel oblitione præteritos, vel amore ac studio destitutos putent, scripsi ea de re ad Magistratum Bononiæ pluribus verbis: quas ad literas vos reijcio. His tantum vobis literis exploratum esse cupio; si eam profectionem alacri animo atq; studio susceperitis; apud me præclare posueritis. Dat. quinto Id. Iun. Anno primo. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER III

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.



ALLATVM est Heluetios pro tua I ditionisq; tuæ propugnatione cum Gallis apud Nouariam conflixisse, eosq; superauisse, ac prope ad interitionem pulsos fugatosq; redegisse. Ea res tametsi propter occisorum magnum numerum, qui quidem Christianæ Reip. esset sui aliquando potuissent, meum animum dolore admodum perculit; tamen pro tua in nos obseruantia & meo in te tuosq; omneis veteri singulariq; amore magnopere gauisus sum; qui te de statu rerum tuarũ deturbare atq; expellere sunt aggressi, eorum conatus cogitationesq; non solum irritas & inanes fuisse. sed ipsis etiam insignem cladẽ attulisse. Cuius quidẽ euenti atq; victoriæ Deo Opt. Max. qui te tueri atq; defendere volunt gratias agere, tantorũq; beneficiorũ summam illi acceptã referre te in primis decet: vt pius in illum esse, ac dignus eo munere maxime fuisse videare. Quod quidem fiet; si duci efferriq; te victoriæ dulcedine non sines; neq; statues eos omneis, qui contra te aliquid conati sunt, vsquequaq; velle te perdere ac persequi. Quã in cogitationẽ vt incumbas, leniss imeq; agas; eodem illo meo in te amore

beniuolentiaq; admonitus vel potius impulsus te rogo, & quidem valde rogo: atq; vt siquid à quoquam erratum peccatumq; est; est autem fortasse à multis; venia id magis, quàm vindicta dignum existimes, à te peto. Sic enim meorum, qui abalienati sunt, animos tibi beniuolos reddes: neq; infirmabis vllam rerum tuarum partem. Quî enim potes in vllos animaduertere; quin ditionis tuæ homines mulctes ac punias? Quod si sæpe facias; tuas ipsius opes debilitaueris. Accidet enim id, quod esse tibi exploratissimum debet; vt minus multa perficias; cum timore, nõ beniuolentia, erunt negotia constituenda. Extremum illud adiungitur; quod quidem haud scio, an omnium primum atq; maximum sit; quod si parces multis, si veniam pluribus dabis; imitatus Dominum fueris; qui tibi vires subministrauit ad tui nominis hostes fugandos atq; propulsandos. Nihil enim illo mitius, nihil iniuriarum minus retinens, nihil ad parcendum, ad miserãdum promius atq; profusius vnquã fuit. Quamobrem redeo ad illud, vt te amantissime horter, vt tua victoria quàm moderatissimo quamq; leuissimo animo vtare. Quod si feceris, neq; aures maluolis hominibus præbueris; id, quod solet esse difficillimum, efficies; prudentiamq; cum fortuna coniunges. Dat. tertio Id. Iun. Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

II HEluetiorum contra Gallos victoria: de qua nuntij nuper ad me sunt allati; non solum propter Maximiliani Insubrum Ducis incolumitatem fortunasq; eo prælio restitutas plane atq; confirmatas; sed etiam quia tu pro illo laborasti, mihi gratissima atq; iocundissima accidit. Quanquàm sane tot fortes homines, tot claros viros, tantam tamq; bellicosam manum; quæ quidem reipub.

Christianæ dignitatem tueri facile propagareq; potuisset, funditus peruisse non molestissime ferre non potui. Pacem enim maxime, non bella, hominumq; in Deum pietatem, nõ iacturam Christiani sanguinis, aut prælij dimicationem cupere singuli exoptareq; debemus. Quoniam autem ad Maximilianum dedi literas; quibus literis hortatus eum sum, ne omnes illos, qui aliqd in se conati moliti ve sint, dignos putaret quos vsq; ad internitionẽ persequeretur; peto abste, quem quidem scio plurimũ apud ipsum valere; vt auoritate tua studium meum iuues; ostendasq; ei nihil esse viro Principe dignius; nihil omnino laudabilius placabilitate, lenitate, misericordia; nihil contra detestabilius inclementia, iracundia, crudelitate. Itaq; velit iniuriarum oblinisci, mitemq; se atq; flexibilem ad humanitatem præbere: vt & dignus eo munere, & optimi trãquilliq; animi atq; in primis Deo grati esse maxime videatur; suorumq; populorũ non tam fortunas, quàm etiã animos possidere, eisq; amicissimis & beniuolentissimis vti possit. Id si feceris; & ipsi optime consulueris; & certe mihi, qui summa illũ beniuolentia sum cõplexus, quietemq; & multorũ finem laborũ cũ omnibus, tum illis maxime populis aliquãdo tandẽ dari cupio, feceris gratissimum. Dat. tertio Id. Iun. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

HEri pro meo singulari in te amore & studio te sum III per literas hortatus, velles in ista tua recenti cõtra Gallos victoria moderatissimo animo vti; neq; decere eos vniuersos, qui quidem aliquid in te conati sunt, esse vsquequaque persequendos: rationesq;, quæ me ad eas hortationes impellebant, illis in literis exposui. His autem literis Gulielmum Marchionem Montisferrati eadem de causa tibi magnopere diligenterq; commendo. Qui quoniam

tenuem ditionem, neq; opibus neq; viris præstantem habet; non potuit se inimicis tuis opponere, eisq; interdicere ne per ipsius fines contra te copias suas ducerent; aut etiam ne illis ex locis secum traherent, quos vellent: tibi idem permissurus; si tu in Galliam exercitum ducere voluisses. Quamobrem cum mihi omniũ Principum Christianorũ, omnium populorum salus incolumitasq; curæ esse maxime debeat; existimaui esse te commonefaciendum, malles in eum, qui præter ea nobis familiaeq; nostræ omni est necessitudine cõiunctissimus, liberalitatem & beniuolẽtiam, quàm vel odia vel crudelitatem exercere. Sic enim & quæ te digna sunt, statues; & ditionem tuæ ditioni proximam eo tibi officio magnopere deuincies; & mihi erit gratissimũ, si te in illum mitissimo esse animo atq; amicissimo intellexero. Deus etiã; qui tantum in te præsidij tantum gloriæ contulit; ea de re atq; clementia magis magisq; te in dies & amabit & tuebitur. Dat. secundo Id. Iun. Anno primo. Roma.

Raimundo Proregi Neapolis.

IIII GVlielmum Marchionem Montisferrati virum probum & spectata virtute hominẽ, & cum mihi plane charissimum, tum meis prope omnibus veteri beniuolentia & necessitudine coniunctissimum commendo tibi sane quàm diligenter: Petoq; abste; vt Maximiliano Insubrum Duci persuadeas, ne in eum ditionem ve eius velit quicquam durius aut acerbius cogitare propterea, quòd is Gallorum rebus non auersissimus fuerit. Is est enim eius regni status atq; conditio; vt inimicus esse Gallis etiam si velit non possit. Sed quoquo modo se res habet; mihi gratissimum feceris, & Dei Opt. voluntati maxime consentaneũ; qui suas iniurias obliuisci, quàm vindicare mauult; quemq; imitari nos oportet; si Gulielmũ cura, ope, studio, autoritate

tua iuueris. Idq; vt facias te planè rogo. Ipsum autem gratissimum & tua beniuolentia dignissimum cognoscres. Dat. Id. Iun. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Duci Mediolanensium.

PAlauicinorum gentem tibi quidem magnopere dedi- V
tam tuiq; nominis obseruantem omni tempore fuisse non dubito. Ego certe vniuersam singulari beniuolentia sum complexus. Itaq; te planè hortor; vt in hac tua illustri cõtra Gallos victoria Palauicinos omnes liberaliter tractes; habeasq; meo nomine commendatissimos. Quorum si quis etiam in his rerum mutationibus animorumq; fluctibus, quos hæc tempora tulerũt, à te alienior fuit; quanquàm id quidem credere vix possum; sed tamen si fuit; eam tu rem ne vindices, ne ve propterea in illum animaduertas, abste peto: sed vt leniss imo animo sis, atq;, vt Principem virum decet, planè mitissimo ac liberalissimo. Dat. Id. Iun. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

COnstantinum Cominatum Achæorũ Ducem Mace- VI
doniæq; Principẽ & concilij Lateranẽsis custodem; quẽ propter eius plurimas egregiasq; virtutes, atq; in Romanos Pont. meritã perq; veterẽ obseruantiã tuendũ mihi atq; ornandũ suscepi; auxilio tuo ijs in rebus, quas in Monteferratensi habet, egere magnopere intellexi. Eũ igitur tibi commendo in maiorem modum. Rem profecto mihi gratissimam feceris: si omnibus in rebus, in quibus illi esse vsui poterit studium & liberalitas tua, Constantinũ iuueris. In quo certe tuã in me obseruantiam maxime agnoscam. Id vt facias; pro meo quidem in te amore paterne, pro nostra verò in illum beniuolentia studiose diligenterq; abste peto. Dat. Id Iun. Anno primo. Roma.

Magistratui Parmensium.

VII CONtulit se ad militiam nostram Benedictus Rubeus Parmensis, cum leuis armaturæ equitibus L. De cuius fide egregiaq; voluntate ac virtute locupletissimos testes habeo municipes eius prope vniuersos. Quamobrem mãdo tibi, vt ei statiua tribuas, quo in loco agri Parmensis aptius atq; commodius id fieri posse constitues: stipendiumq; des, quemadmodum solitum est dari. Et præter hæc eum ita tractes; vt mihi esse planè charus videatur. Dat. xv. Cal. Iulij. Anno primo. Roma.

Guidoni Magno Magistro & conuentui Rhodio.

VIII SCripsit ad me Anconitanorum ciuitas nauem eorum permagnam Byzantium euntem, cui Vincentius Anconitanus præerat, mercibus Florentinorum & Picentium onustam apud Melum insulam à Santolino Rhodio pyratâ nulla Reip. Florentinæ, nulla huius imperij ratione habitâ captam atq; abductam fuisse. Eam ego rem, vt debui ægre molestéq; tuli; à vestris scilicet ciuibus; qui quidẽ omni tempore Christianæ Reip. propugnatores acerrimi omnibus ab hominibus sunt habiti; cum amicos & socios, tum etiam vectigales meos ita turpiter esse violatos. Itaq; te Conuentumq; istum tuum diligẽter maximopereq; hortor, des quo celerius fieri potest operam, vt ea nauis cũ mercibus omnibus, quæ quidem merces in ea erant tum cũ est capta, earum dominis sine vlla impensa restituatur. Aiunt enim pyratam illum sextertia centum sexaginta captiuis dimittendis, naui mercibusq; reddendis petiisse. Id tu cum pro Reip. dignitate efficies; vt ea, quæ omnium Christianorum cõmunis est mater, læsa proditaq; à tuis te, quasi gratum filium sui defensorem habeat: tum certe vt iustitiæ ser-

uids; ne cuiquam quicquam per tuos contra fas, contra æquum, contraq; bonos mores auferatur. Sed omnino etiam ea te causa mouere debet maximè, ne istius societatis optimum sanctissimumq; adhuc nomen illustrisq; gloria nostram hanc ignominiæ contrahat. Quibus quidem causis rationibusq; omnibus illud adiũges; te in eo mihi, qui tv sumopere diligo, rem gratissimam esse facturum. Dat. xvi. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiensi.

MAndo tibi, vt Petro Elisco Cesenæ Magistratui IX eum militum numerum mittas, quem is abste petierit, ad factiosos sceleratosq; latronum duces, quos illis in locis impune versari audio, compescendos & comprehendendos. Is enim animi nostri sensus est; vt qui male viuunt flagitiosiq; sunt, suorũ scelerum pœnas luant. Dat. xij. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Guid. Magno Mag. & Conuentui Rhodio.

SCriptis prioribus literis; quibus tecum egeram de nau X Anconitanorũ, quam Santolinus Rhodius intercepérat, restituenda; certior factus sum præter eorum, quos commemoraui, Senensium etiam ciuium sericas lanéasq; merces magni pretij ea in naui fuisse. Quamobrem vt idem illud conficias, eo maiori studio te nunc hortor; quo nobilissimæ vrbis & nostri studiosissimæ déq; nobis optimè meritæ ciuium damna detrimentaq; adiuncta sunt cũ Florentinorũ & Picentum iacturis. Itaq; ad eas hortationes, quas illæ meæ literæ continebant, magnum vt cumulum his additũ literis existimes ad te Conuentumq; istum accendẽdum, vt eam curam procurationemq; suscipiatis; magnopere à vobis peto. Erit id mihi supra quàm dici possit gratũ. Dat. xiij. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Alfonso Duci Ferrariensium.

XI SI te non amarem, neq; tua mihi dignitas curæ esset; tamen pro reip. maiestate te hortarer, velles Franciscum & Paulum ciues Vicetinos ex nobili Portorum familia honestos homines quodq; maxime ad rem pertinet, sacerdotio adlectos, quos quidem ad vrbem venientes captos in mari multos iam menses in custodia istic habes; aliquando tandem missos facere. Æquum est enim, vt qui omnium Christianorum omnibus in terris curam tuendorum & conseruandorum gero; eorum, qui Romæ in Cardinalium familijs, in ore Pontificum Maximorum, in sacerdotum collegio plures sunt annos laudabiliter versati, iacturas incommodaq; non negligam. Nunc autem, cum ea beniuolentia erga te sit nostra, vt tuarum actionum famæ nominis rationem habeamus; te etiam atq; etiam eadem de re his duxi literis esse commonefaciendum. Peto igitur abste, ne id vlterius malum sinas progredi; quod cum tibi in primis dedecori est, dum quos vbiq; gentium tutos esse conuenit, ij abste violantur, tum reip. fraudem indignitatemq; continet: quæ probos & egregios viros ac diu Romæ multa cum laude versatos sacris præsertim addictos male abste haberi aut negligat; aut si non negligit, tamen ferat. Sed ipsos quamprimum in libertatem restituas. Neq; enim quæ fortasse ratio illos capiendi tunc fuit; quanquam quidem nulla adduci ratio eius rei satis iusta potest; ea nunc est etiã retinendi: cum non solum commercia cum nostris hominibus & locis tua oppida tuiq; populi habeant; sed tu ipse quoq; fauore meo studio beniuolentia tuis iam in rebus non semel vsus fueris. Quamobrem ne vel Pontificis Maximi ratio, vel meus in te amor parum apud te habere ponderis videatur; erit tuæ & prudẽtiæ & probitatis, dare operam,

vt ij ad vrbem venire quamprimum possint. Dat. xij. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ.

QVoniam satis confidimus omnes nostros militum præfectos paratissimos esse, quocunq; opus est, sine vlla mora proficisci: mando tibi, vt eos omnes eorumq; vicarios, qui istic sunt adhibeas, eisq; meis verbis denunties, vt ad vrbem Veronam Maximiliano Imperatori contra Venetos defendendam se quamprimum conferant: qui quidem meritus de nobis est, ne eius ditionem vllis ab hominibus vexari diripiq; permittamus. Quod vt etiam facere libentius aggrediantur; recipere te eis volo quartam alteram vnius anni stipendiorum partem per Quæstores eis nostros propediem datũ iri. Dat. xiiij. Cal. Iul. Anno primo. Roma. XII

Magistratui Rauennæ.

ALlatum ad nos est Federicum Gonzagam Francisci Marchionis Mãtuæ filium; dum à me, ad quem quidem officij causa venerat, in patriam rediens iter per agrum Rauennatem faceret; ab agricolarũ magna manu, qui se in insidijs locauerãt, ita exceptum fuisse, vt parũ abfuerit, quin ab illis trucidaretur: inciditq; fuga atq; cursu extra illius agri fines se celeriter eripientem, equos, vestem suam atq; suorũ vi ab armatis interceptam direptamq; amisisse. Quod quoniam indignissimum factu est & à nostra dignitate meoq; studio alienissimum: qui non illum modo optime de me meritum; sed omnes etiam, qui bene viuunt, homines in huius reip. ditione tutos esse magnopere volo; mando tibi, vt super ea re quæras diligentissime, per scrutereq; eius sceleris omnes partes; atque in reos animaduertas, quemadmodũ tibi æquum & iustum videbitur: XIII

in primisq; vt ablata omnia restitui cures Federici procuratoribus, si reperiri poterunt: vel eorum pretium, si distracta fuerint. Quibus in rebus omnibus administrandis confidendisq; ita te geres; vt egregij adolescentis, qui quidem à me propter suam iam indolem & mores regios nobilitatemq; generis paternè diligitur, detrimentis per te atque iniuriæ recte atque abunde consulatur. Dat. viij. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Duci Mediolanensium.

XIIII CErtior factus sum Scipionem Fliscum & Hieronymum Adornium ad te atq; ad Heluetios fœderatos meos ex agro Genuensi magnis itineribus contendisse; vt te atque illos ad Octauiani Fregosij Genuensium Ducis nuper lecti res cogitationesq; perturbandas excitarent. Quamobrem statui has ad te literas quamprimùm dare; vt intelligeres eum me virum propter eius plurimas excellentesq; virtutes magni semper fecisse; atq; vniuersa nostra cum gente atq; familia omni officio necessitudinis coniunctissimum habuisse. Quas ad res accessit cum ipsius Octauiani, tum etiam Federici Archiepiscopi Salernitanorũ eius fratris viri omnium virtutum genere perornati, quem etiam inter sacrorum nostrorum ministros domesticos asciuimus, in Romanos quidem Pontifices perpetuus cultus; in me verò egregia præter id singularisq; obseruantia & studium: vt nihil ab illis vnquam prætermissum sit; quod ab optimis spectatissimisq; hominibus & Pontificum Maximorum studiosissimis optari expectariq; potuisset. Itaq; illos in fidem clientelamq; meam libentissime suscepi; animoq; meo gratissimos sane atq; charissimos habeo. Quapropter non solum te hortor, sed etiam magnopere abste peto; vt cum

cum his de causis omnibus, quas commemoraui, tum vel maxime, ne vlterius ea cuitus tum egregia tamq; illustris nouis rebus excitandis perturbetur; Scipionem & Hieronymum contra Octauianum aliquid abste postulantes ne audias; ne ve eos, quantum in te erit, impetrare ab Heluetijs quicquam sinas hac in re: sed persuadeas quiescere, tranquillitatemq; suæ potius amare patriæ, quod bonos viros facere egregiosq; ciues decet; quàm sua ipsorum desideria & cupiditates sequi. Quod si feceris; tuæ in me obseruãtiæ consuetudine atq; officio maxime vsus fueris; remq; feceris tũ & rectam per se & honestam, tum mihi in primis & gratam & iocundam & optatam: quemadmodũ etiam tecum aget Fabritius familiaris meus: quem ad te hac de causa his cum literis misi. Dat. viij. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Alfonso Duci Ferrariensium.

MAgnopere te hortor; vt si Raimundus Neapolis Prorex, qui exercitum fœderatorum cum imperio habet, tormenta vlla bellica, quæq; ad ea exercenda vsui sunt, abste petierit; eum tua ope iuues, commodesq; ei quibuscunq; in rebus poteris. Quod eo facere libentius debebis; quòd is tormentis illis ad defendendũ Maximiliani Imperatoris oppidum Veronam vti vult. Id si feceris quemadmodum te facturum confido; cum Ferdinãdo Hispaniæ Regi, tum erit mihi plane gratissimum. De Maximiliano verò ipso optime præclareq; merebere. Dat. viij. Cal. Iul. Anno primo Roma. XV

Eidem.

RES rationesq; omnes Archiepiscopi Rauennæ commendo tibi sane perdiligenter, eaq; præsertim, quæ ad immunitates eius pertinent. Is quoniã in primis XVI

cupit possessiones emphyteoticas; quæ quidem ad Ecclesiam suam reciderunt propterea, quod qui eas habebãt, pensionẽ quam tenebantur, non persoluerant, neq; pactionibus stetes rant, recuperandi sibi ius & potestatem dari; te hortor, vt ei te tam facilem hac in re tamq; benevolum præbeas; vt quæ à religioso Principe impetrari fas est, ea is absque commendatione mea impetret. Dat. septimo Calend. Iul. Anno primo. Romæ.

Francisco Mariæ Vrbinatium Duci.

XVII Scripsimus ad eam nostram militum equitumq; manũ, quæ Bononiæ atq; illis in locis hyemauit; vt quamprimum Veronam se conferrẽt, eamq; vrbem, quam vela le aggredi Venetos intelligo, tueantur & muniant. Quoniam autem puto fore, vt te quoq; cum tua manu illuc accedere oporteat; volo vt te tuosq; omneis viæ atq; itineri compares: nẽquid moræ per te sit, quin ei profectioni, cũ adnuero, præsto esse possis. Dat. quinto Cal. Iul. Anno primo. Romæ.

Heluetijs.

XVIII Scripsi nudiustertius ad vos; quantoq; amore Octauianum Genuensium Ducem complecterer, sane ostendi. Quem quoniam cũ ipsum maxime, tum etiam Federicum Archiepiscopum Salernitanorum eius fratrem familiarem meum mihiq; in sacrificijs assidentem in meam fidem tutelamq; receperam; hortatus sum vos, ne vllos homines cõtra eos quippiam apud vos molientes audiretis; ne ve permitteretis eam vrbem tam egregiam tamq; illustrem bellis ciuilibus diu vexatam, quæ sibi finem bellorum & laborum omnium in illo Duce creando magnopere sperauit fore, posthac vlterius nouis rebus excitandis conflictari; eaq;

de causa Fabritium familiarem meum ad vos cum mandatis misi: qui vobis mentem super ea re meam, quãm ipsi aperueram, latius atq; cõmodius explicaret. Nunc autem tametsi pro mea in vos singulari benevolentia, proq; vestro in Romanos Pontifices cultu existimem planè vos quæ volo esse facturos: tamen quia certior factus sum, eosdem illos, de quibus ad vos scripsi, à suis apud vos postulatis non recedere; sed omni conatu contendere, vt Fregosios fratres & à reip. administratione prohibeatis, & domo expellatis: iterum vos hortandos monendosq; esse magnopere existimaui, nẽquid omnino contra illos susciperetis. Ego enim, qui quidem mores eorũ & virtutes optime cognitas & perspectas habeo; vobis polliceor & spondeo, si id, quod peto feceritis, vos apud ipsos præclarissime posituros; suamq; illos benevolentiam, suum vobis studium cumulatissime præstaturos: eiusq; rei vadem me pro illis apud vos constituo; nẽquid amplius dubitare possitis; quin si à vobis contra illos quis impetrare quippiam volet, causam reijciatis. Nemo enim vobis illis fratribus amicior, nemo fide præstantior, nemo certe in officio constantior atq; perseuerantior est futurus. Quare tota hanc rem atq; causam ita vobis commendo; vt maiore studio & diligentia commendare nihil possim. Magni enim & nostra, & vestra, atq; in primis Maximiliani Mariæ Insubrum Ducis interest, eos fratres, de quorum fide probitate constantia magnopere confido, ei vrbi præesse: quæ magni sanè momenti ad res Italiæ vel turbandas, vel confirmãdas semper fuit. Dat. quarto Calend. Iul. Anno primo. Romæ.

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

XXIX ETsi existimem ijs te literis lectis, quas Fabritio familiari meo ad te dedi, ipsoq; audito in causa Eregosiorum ea quæ volo esse facturum: tamen quoniam postea intellexi te arcem Genuæ ab Octauiano petere, eamq; velle tuis militibus communire; vt securus esse possis eum tecũ in officio futurũ: has alteras etiam dandas ad te literas duxi; quibus te commonefacerem, ne quid omnino contra Octauianum statueres propter eam causam. Ego enim, cui tota eius viri vita, natura, mores omnes perspectissimi sunt; quiq; tum ipsum, tum Federicum Archiepiscopum Salernitanorum eius fratrem mea fide & clientela tum complexus; spondeo tibi, in meq; recipio, fore vtrunq; tui studiosissimum: ne quid tibi posthac dubitandum sit, quin omnes cõtra illos quippiam abste postulantes reijcias. Nemo enim illis tibi vel in beniuolentia officiosior, vel in fide atq; perseuerantia constantior, vel in reddenda gratia diligentior, vel in vicinitate vtilior & fructuosior est futurus. Itaq; nõ iam nostra modo & Reip. dignitatis maiestatisq; interest Octauiano & Federico nihil abste laboris nihil molestiæ adhiberi: sed maxime etiam tua, qui ab optimis illis fratribus & magni erectiq; animi viris & summa prudentia summaq; integritate præditis hominibus, quoad illi ciuitati præerũt, sperare debes plurimas te vtilitates adiumentaq; esse maxima atq; firmissima percepturum. Quas ob res omnes si non solum mihi rem gratissimam, sed tibi quoq; maxime cõmodam maximeq; salutarem facere vis; eos fratres ad illius Reip. administrationem à suis ciuibus vocatos non modo non vexabis ipse: sed si qui erunt, qui id facere quoquo modo animati sint, etiam defendes. Dat. quarto Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Francisco Mariæ Metaurensium Duci.

DE cura studio diligentiaq; tua in Fani Fortunæ municipum sedandis factionibus adhibita, de qua certior factus sum multorum sermonibus & literis epistolaq; tua grauiter & prudenter scripta: scire te volo, mihi in eo rem gratissimã te fecisse. Nihil enim æque cupio, quàm vt populi, quibus præsum, nulla inter se odia, nullas simultates exerceant: sed mutuis animorum studijs & beniuolentia coniungantur. Verum quia non solum bonarum rerum fundamenta iacere, sed eas etiam altius construere ac plane perficere oportet; etiam atq; etiã te hortor, vt adhibitis, si tibi videbitur, ad consiliorum tuorum administrationem teq; leuandum laboribus Episcopo Polycastrẽsi & Bernardo Cardulo familiari meo, opus iam abste præclare inceptum eriges, produces q; ad summum: desq; operam, vt illius oppidi ciuium omni ex parte odia simultatesq; sedentur ipsos quibuscunq; voles luendis pœnis dandisq; cautionibus obstringendo. Volo enim tibi liceat omnia facere atq; cõstituere super ea re, perinde atq; mihi si adessem liceret: nõ solum ratum sed plane etiam gratum habiturus, quicquid statueris, egeris, iusseris: dum id nium abste contendatur; vt earum inimicitiarum & factionum, quas extingui & aboleri cupio, nulla porro semina, nullæ renascendi facultates relinquantur. Quod si quemadmodum de tua virtute confido, ita rem confeceris: præterquã quod erit id mihi supra quàm dici possit gratum: Resp. tibi etiam multum debebit. Quarto Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Romanorũ Imperatori designato.

XX

HEri quemadmodum Deo Opt. Max. placuit, qui delinquentium interitum non vult, sed vt eos pœniteat &

XXI

viuant; Bernardinus Caraualiallis Episcopus & Federicus Seuerinas Diaconus Cardinales; quos antea propterea quod in Dei Ecclesia sacrosancta atram perniciosumq; scismatis nebulam excitauissent, Pisanumq; Concilium conflauissent, Iulius Secundus Pontifex Max. Cardinalatus amplitudine ac munere sacerdotijsq; omnibus mulctauerat, priuatosq; reddiderat; dura Zephiri coelestis afflati ad veram pœnitentiam reuertentes frequenti fratrum meorum Cardinalium Conuentu populari in veste ad pedes se nostros demissi supplicesq; proiecerunt; veniamq; suorum erratorum & delictorum precibus omnibus petierunt; paratosq; se dixerunt esse, quam ipsis cunq; pœnam statuissemus, eam luere & perpeti animis libentissimis: pollicitiq; sunt se posthac sacro Lateranensi Concilio semper adhæsuros, semper meæ fratrumq; meorum voluntati mandatisq; obtemperaturos. Quod ipsum tametsi antea per eam schedam manu sua scriptam fecerant, quæ in postremo eiusdem Concilij die perlecta pœnitentiam eorum humilitatemq; declarauit: idem tamen multo quidem clarius atque apertius præsentes egerunt: Pisanoq; Concilio repudiato altera à se perlecta scheda pleniore scilicet expressioris q; sentẽtiæ planeq; submissioris, quæcunq; in ea acta essent, damnauerunt, magnopereq; improbauerunt. Quamobrem, nos quos quidem ea lege vniuersæ Christianæ Reipub. Deus præposuit, vt nemini vere pœnitenti pietatis suæ, cuius nos ministros esse volut, fores occluderemus; humilitatem eorum, confessionem, pœnitentiam gratissimum Deo sacrificium sperantes futuras, eos ambos paterne quidem antea reprehensos atq; castigatos eorundem Cardinalium consensu ad Cardinalatus officium dignitatẽ sessionemq;, qua prius vtebantur, restituimus. Quod eo libentius feci; quod permutiosum illud scismatis vulnus, quo tunc Ecclesia Dei scissa

dissectaq; ab illis non solis sunt, eorum duorũ ad veram pœnitentiam reditu coire plane iam sanariq; videbatur. Ad cuius quidem scismatis nomen extinguendum atq; delendum ipse certe negligentior ac dissolutior si fuissem; tuæ tamen prudentes hortationes me in primis excitare potuissent, vt nihil prætermitterem; quod ad negotium conficiendum ad exitumq; perducendum posse aliquid afferre opis & facultatis videretur. Itaq; cum per me ipse nihil æque vnquam optauissem, quam in Dei sponsæ vultu eam notam cicatricemq; aboleri; te hortatore libentius atq; procliuius in eam cogitationem incubui; vt eos viros, quos commemorani, ab alienatos dudum à Rep. desciscentesq; ad veritatis fontem recta redeuntes via amice paterneq; exciperem. Qua omnino de re non solum nos, sed vniuersa vrbs visa est magnam voluptatem cepisse; seq; admodũ audito eiusce modi humilitatis pœnitentiæ restitutionisq; nuntio exhilarauisse. Ipse autem maximas Deo gratias cum egissem; qui suos de alienis facit, quiq; nobis dedit tanti sceleris comprimendi facultatem; hæc tibi omnia in primis duxi esse significanda: quem quidem pro tua in Rempub. conseruandam atq; amplificandam cura studio diligentia labore plane scio libenti animo has literas perlecturum: in quibus erit vtrarumq;, de quibus mentionem feci, schedarum & cum ijs abolitionis nostræ eorum peccati, restitutionisq; ad priorem statum exemplum: quo cognoscere singula melius atque facilius possis. Te verò: tametsi minus id quidem necesse est facere me; sed pro meo in te studio mihi tamen faciendum puto: amantissime sane hortor; vt, quod adhuc quidem semper fecisti, posthac etiam facias; piamq; matrem omnium Deum amantium Ecclesiam; cuius protegendæ causa post Christi vicarios maximum ipse in terris magistratum

geris; ab omnibus eius pacem atq; concordiam perturbantibus vindices atq; defendas. Dat. quarto Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Petro Bibienæ apud Venetos Internuntio.

XXII INtellexi Pontechianos; qui vicus in Rodigiensi est Hadrianæ dioceseos; nolle Aloisij Durantis ipsorum phano præfecti procuratoribus eos fructus decimasq; persolvere; qui fructus quæq; decimæ ad eum iure spectãt; idq; pernegare se facturos. Quod quoniam & periniquum quidẽ est, & à nostra dignitate valde alienum; mãdo tibi, vt Leonardum Lauredanum Venetiarum Principem meis verbis moneas, ne permittat ad templi sui fructus percipiẽdos vllis ab hominibus Duranti moram fieri: mandetq; magistratibus, dent operam, vt nihil posthac molestiæ põtechiani eius procuratoribus exhibeant. Ea in re tota omne tuum studiũ sic adhibebis, vt non videar frustra scripsisse. Erit hoc & honestum ipsum per se; & mihi in primis gratũ: illi autem etiam necessarium; qui ex ijs prouentibus se sustentat. Dat. prid. Cal. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XXIII ALlatum ad nos est, Sebastianum Bonum, Vincentiũ Venerium, & Bernardinum Taiapetram ciues Venetos; cum captiui apud Gallos quatuor ipsos annos fuissent; missos tandẽ factos, eq; Gallia in patriam redeuntes in tuo regno iterum captos fuisse; essecq; nunc apud Iacobum Galeranum Mediolanensium ciuem in custodia. Quod quoniam per se quidem illiberale admodum est, à tui vero nominis gloria etiam abhorrens; eos; qui nullam partem militiæ attigerunt, quiq; per tua loca, quo magis tuti

essent, iter faciebãt, pacis & quietis homines à tuis male haberi: etiam atq; etiam te hortor, velis eos sine vlla mercede quamprimùm missos facere. Quæ res eo etiam erit iustior; quod Mediolanenses ciues tui apud Venetos tã secure tamq; libere degunt; quam Mediolani: neq; illos quisquam captiuos vllis in eorum locis facit. Vterer pluribus verbis; nisi res satis per seipsa loqueretur. Vnum addam; quod quanti tibi faciendum sit, statues ipse: si Venetos liberaueris; occasionem eorum reip. eripies male in tuos cogitandi. Dat. quinto Non. Iul. Anno primo. Roma.

Ioacchino Marchioni Brandeburgensi.

ILiteræ tuæ, quibus mihi de Pontificatu Maximo gratularis, pergratæ mihi perq; iocundæ fuerunt. Nam & tuum in remp. obsequium atq; cultum, & in me ipsum, veterem obseruantiam & studium præ se tulerunt. Itaq; siquid erit, in quo amplificare tua commoda tuamq; dignitatem possim; meam tibi operam in eo libentissime pollíceor. Quod autem mihi Ioannem Planchefelem iurisperitum procuratorem tuum doctum sane hominem, & prudentem virum, & agendis rebus in primis idoneum diligenter commendas; facis & ex more boni Principis, & ex ipsius, vt mihi videtur, meritis. Quamobrem & complector iam illũ libenter per me ipse; & posthac tua cõmendatione mihi erit etiam charior. Dat. v. Non. Iul. Anno primo. Roma. XXIIII

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

IOannis Galeatij Corrigij ius; quod super oppido Castellatio, cuius est ipse dominus, vel, vt vulgo dicitur, Comes, ratione dotis auitæ habet; tibi magnopere commendo. Is eo oppido à Gallis vi atq; iniuria expulsus, quo primum tempore rebus Mediolanensibus sunt potiti; nunc, XXV

cum tu illos è tuo Regno expulisti, restitui per te in eius oppidi possessionem cupit: sperat̃q; fore; vt id, quod optat, nobis commendantibus facile assequatur. Ea opinio ne eũ fallat; abste peto cum ipsius, quem vnice diligo, causa; tum maxime tua: vt in ista tua surgenti adhuc ætate ea fundamenta iacias optimi iustissimiq; Principis; vt à te quilibet, quod sui iuris sit, facile se optenturum existimet; eaq; de causa & hominibus omnium Principum charissimus & Deo Opt. Max. omnium hominũ gratissimus esse possis. Dat. Non. Iulij. Anno primo. Roma.

Francisco Mariæ Metaurensium Duci.

XXVI Concesseram superioribus diebus Ioanni Mariæ Germano viro artis musices peritissimo meoq; familiari sane perueteri arcem Verruchianam per Vicarium custodiendam. Nunc autem quoniam certior factus sum vestrem arcis Præfectum oppidanosq; ipsos omne studiũ adhibituros esse; ne is aut eius Vicarius ad arcis custodiam admittatur: te hortor; vt Ioãni Mariæ tantum auxilij tui des; quantum ei satis sit ad meundam illius arcis custodiã. Dat. octauo Id. Iul. Anno primo. Roma.

Magistratibus Bononiensibus.

XXVII Ad ea, quæ nouissime Bernardo Bibienæ Quæstori meo scripsistis de ijs, qui se defendunt moramq; faciunt restitutioni de rebus Bentiuolorum fiendæ, appellationibus Romæ interpositis aliisq; eiusdẽmodi admiculis nixi; ita vobis & respondeo breuiter, & mando; vt ea tantum vobis curanda esse tractandaq; statuatis; quæ in nostris ad ipsos Bentiuolos fratres literis, quarum exemplum ad vos misimus, continentur: neq; vllius hominis tergiuersationes & moræ, quæ contra eas concessiones fiant,

vobis impedimento sint, quo minus, quæ imperauit, per vos conficiantur, ad exitumq; perducantur. Dat. vij Id. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

Grauiter ac permoleste accepi, te Fabritio familiari XXVIII. meo ad te propterea misso, vt tum Episcopo Comensi, tum Petro & Augustino & Philippo Trultijs fratribus possessiones bonorum vel hæreditatũ cretione vel alijs nominibus iure quæsitorum per te illis impeditæ restituerentur; respondisse, te, quæ feceris, iure fecisse; scireq; te nos ita iudicaturos fuisse, si rẽ atq; causam intellexissemus: misisse autem te magnis itineribus Romam cum literis certum hominem; qui me omnibus de rebus doceret. Nam neq; vllas abste literas accepi; neq; tuorum vidi quempiam: qui etiam si nulla itineris celeritate vsus esset; Romæ tamen esse hoc temporis potuisset. Vereor autem; ne dum abste facti rationem expecto; frumẽta eorum interea per tuos & messes, quæ adhuc quidem in agris sunt, & diripiantur, & distrahantur; eaq; de causa sint istæ interpositæ moræ. Quid enim in te admittere ij; qui apud nos viuunt, qui nobis præsto sunt, qui Reipub. operã suam dant, fratres Episcopusq; potuerunt? De eorum propinquis & necessarijs, si in aliquo deliquerunt; nihil tibi mando, quo minus in eos animaduertas, vt voles. Tametsi nihil Principe viro dignius, nihil est altis erectisq; animis magis proprium liberalitate atq; clementia. Hos; qui Romæ degunt; qui nostros ob oculos quotidie versantur; quiq; in Dei Ecclesia, in ipsa Petri pupe nostro se ministerio dedidérunt; eos quidem & tuendos mihi esse magnopere existimo; &, nisi per tuos impediri rectas & cogitationes & actiones meas patris, sane

tuebor. Nam velle te eis ire ipsum obuiam, existimare nullo modo possum. Verumtamen quoquo modo se res habet; non hortor modo, sed etiam atq; etiam abste peto; vt vel iustitiæ inductu, quam quidem tueri ipse omnibus modis debes; vel meo, qui tuas res omneis paterno amore charitateq; sum complexus, atq; ita complexus, vt nullas magis; sine vlla excusatione aut mora eorum, quos commemoraui, bonorum possessiones vniuersas atque integras ipsorum procuratoribus mandes restitui; tum etiam reponi, siquid ablatum interea fuerit. Ne ipse; qui pro tuo statu dignitateq; tuenda atque conseruanda nihil prætermitto aut cogitationis, aut studii, aut laboris, aut certe beniuolentiæ; homines honestissimos mihiq; carissimos ac bene de me meritos male à tuis habitos tueri apud te atq; defendere non possim: ne ve mihi toties eadem ad te de re sit scribendum. Quod quidem quàm indignum sit; existimare per te ipse facile potes; atq; vt existimes sane velim: quam verò ægre à me molesteq; feratur; idem tibi Fabritius exponet: quem ad te propterea remitto. Sexto Id. Iul. Anno primo. Roma

Altosaxo exercitus Heluetiorum Duci.

XXIX CVm de tuo forti magnoq; animo & in nos propensissimo, & à M. Cardinali Sedumo; qui de te nobiscũ sæpe summa cum tua laude ac dignitate est loquutus; & fama ipsa ac rumore nuntio ea, quæ de claro & excellenti viro dici possunt, auribus libentissimis audierim; & virtutem tuam plurimi facio; & te magnopere diligo. Itaque filium tuum ab eodem Cardinali mihi tuo nomine diligenter commendatum in ipso iam paternæ nostræ charitatis sinu collocatũ esse existimare te plane volo, ornaturus iuuenem,

tum primum se occasio nobis dederit, ijs ornamentis; quibus perspicere possis quantũ te amem. Neq; tamen non teipsum etiam multo maioribus aliquando præmijs atq; muneribus afficiam; vt agnoscere meam erga te voluntatem omnibus in rebus facile possis. Hortor autem te; vt quem adhuc quidem te in Dei ecclesiam Romanosq; Pontifices præbuisti; eundem posthac etiam præstes: gloriamq; tuam; quam es pie fortiterq; agendo consequutus; eisdem artibus non conserues solum, sed etiam augeas. Dat. quarto Id. Iul. Anno primo. Roma.

Anselmo Crafesio Acolyto.

XXX STudium & diligentia in rem Romanam atq; nos tua mihi sane gratissima accidit: quemadmodum cum M. Cardinali Seduno loquutus sum; qui mihi sæpe de te honorifice multa narrauit. Itaq; te sublegi ad ea sacerdotia; quæ putaui ex tuo vsu animæq; salute tibi fore: cuius rei literas ad te confectas mittimus: vt & bene sperare de nobis possis; & in tuo erga nos officio posthac libentius constantiusq; permaneas.

Dat. quarto Id. Iul.
Anno primo.
Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER IIII

Heluetijs libertatis Ecclesiasticæ defensoribus fœderatis nostris.

EQVIDEM cum in ea victoria, quã superioribus diebus maximã estis atq; clarissimam consequuti; vnum illud vel pro naturæ meæ sensu & lenitate, vel pro credito mihi communis parentis atq; Pontificis munere doluerim, tantum scilicet humani sanguinis effusum esse, tantam Christianorum hominum manum tamq; fortem cecidisse: valde tamen vehementerq; lator; vos, qui Ecclesiæ Romanæ libertatem defendendam tuendamq; suscepistis, vestros eiusdẽ libertatis hostes fugauisse propeq; deleuisse. Quã ex re magna vos gloria magnæq; vtilitates sunt subsequutæ. Neq; enim minorẽ ex vestris cõmodis honoribus incremẽtis voluptatem capio; quàm par est patrem capere in optimorum & charissimorum filiorum prosperis fœlicibusq; rebus. Illud etiam me voluptate magnopere afficit; quod qui legitimam Dei sponsam vexare, inconsutilemq; Christi tunicam scindere sunt aggressi; quos quidem antequam in eam cogitationem atq; scelus animum induxissent, omnium rerum gloria florere videbamus; vt primũ se malis conatibus dediderũt,

infecerunt q; scismaticis prauitatibus, imprecationumq; Iulianarum nostrissimis vocibus tacti percussiq; sunt; statim illis amarè omnia infeliciterq; ceciderũt: partaq; ab ipsis gloria simul cum regno ad eos, qui aut Ecclesiæ Romanæ parent, aut eam tuentur, facile trãsijt. Quibus de rebus omnibus ago maximas immortali optimoq; Deo gratias, agamq; dum viuam: qui abalienatos à se desciscentesq; reciput: suos aut iacentes subleuat, aut stantes non deserit. Vos autem, quos idem Deus suæ voluntatis esse ministros voluit; charissimos animoq; meo sensibusq; omnibus planè habeo coniunctissimos. Neq; vos moueant improborum voces, quæ vt intelligo iactantur temere illæ quidẽ atq; iniuste, nos relictos q; fœderatos nostros cõpositis & pacatis rebus vestrũ præteretq; nomen vestramq; beneuolentiam non curaturos. Nam me quidem ab eo fœdere, quod mihi vobiscũ est, quoad vos non pœnitebit, nihil profectò abducet. Quin illud etiã dies noctesq; cogito ac verso; quo nam vos pacto cum omnibus fœderatis mihi Regibus ac populis cõiunctos facere atq; fœderatos possim: vt & securiores esse maiori fulti præsidio possitis, & eorum omniũ adiumento & conspiratione ornatiores. Quod Dei benignitate breui futurũ confido. Itaq; hoc sic habetote; vt de mea prona propensaq; ad vos amandos ornandosq; voluntate studio beneuolentia vobis met ipsi omnia polliceamini; quæ expectari possunt ab huius reip. Præfecto vestri nominis amãtissimo vobiscumq; cõsociatissimo. Hortor autẽ vos, planeq; à vobis etiã atq; etiã peto & postulo; vt quẽadmodũ adhuc quidem egregie laudabiliterq; fecistis, seduci vos abalienariq; à nobis quorũquã malinolorũ artibus posthac ne permittatis: sed cõtrà erigatis potius; diligentiamq; vestrã eà in re etiam adaugeatis. Quibus de rebus omnibus Ennius Episcopus Verulanus aget vobiscum

latius. Dat. Prid. Id. Iul. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

II INtellexi, quod quidem mihi permolestum accidit, te quorundam non optimorum hominum hortationibus Augustinum Panigarolam Genuensem virum egregia virtute & iuris ciuilis scientia in primis clarum, una cum eius filio comprehendi à tuis custodiriq; iußisse, cum existimares vera esse posse, quæ de eo iactabantur; ipsum scilicet contra te ditionemq; tuam cogitauisse facereq; voluisse. Quam rem cum melius intellexisses, neq; quicquam vere ab eo contra te perpetratum comperisses; laxiorem ei te carcerem dari mandauisse: fortasse etiam nihil in illũ durius atq; acerbius præterea cogitare. Id autem non statim ab initio intellectũ est. Itaq; primus eius rei nuntius mihi, vt dixi; molestißimus fuit. Secundus aliquantum de mea priore molestia detraxit. Verum quoniã eum virũ propter eius egregias plurimasq; virtutes & excellentem doctrinam & amaui multum quidem antequã essem Pontifex Maximus; eiusq; in me beniuolentia opera studio multis in rebus vsus sum; & nũc etiã vti certis in causis maximis atque grauißimis cogitabam; eramq; ad illum ijs de rebus literas iam daturus: te, quantum consequi amore erga te meo possum, hortor; vt quicquid illud est, quod supereſt aut suspicionis aut causæ, quin illum missum facias; id omne mihi remittas & cõdones; ipsumq; Augustinum & eius filium rogatu meo statim nõ solum restitui mandes suis; sed etiam eo loco habeas apud te, quo habebas antea; tuamq; illi beneuolentiam integram atq; solidã reddas: quemadmodum & ipsius virtus meretur, & meæ in te charitati largiendum est: vt eo viro vti, atq; illi ea, quæ volo, curanda tractandaq; mandare quamprimum possim. Erit

Erit id mihi tam gratum, vt nihil gratius. Dat. xv. Cal. Aug. Anno primo. Roma.

Lucretiæ Duci Ferrariensium.

COgitationes tuas ardoremq; mentis & propensum III
ad religionem studiũ & amaui antea, plurimumq; semper feci, pulebrũ atq; arduũ existimans te in magna delitiarũ omnium affluentia propter domesticã amplitudinem splendoremq; positã continere in timore Dei cogitationes tuas; dareq; te in omnia pietatis officia, erectoq; animo cœlestia æternaq; spectare. Et nunc studium idem tuũ prosequi amplectiq; fauore aliquo meo cupiēs, id, de quo me diligentißime rogas, feci: vt quæcũq; tibi & Alexãder VI. & Iulius Secũdus Pontifices Maximi ad tuæ animæ salutẽ spectantia suis ad te datis literis concesserunt, aut etiam quoquomodo tibi condonauerũt; ea omnia, vti recte rationabiliterq; concessa magnopere probarem. Quod quidem & si erat ipsum satis amplũ per seſe ad id, quod optas cõsequendum: tamen quo melius atq; facilius voluntatem erga te meã perspicere possis; quatenus opus sit, eadẽ illa tibi ipse etiam cõcedo & largior. Quorũ omnium sensum non secus, atq; si eum his in literis expreßissem, certũ & ratum haberi volo: deleoq; quicquid officere huic meæ vel confirmationi, vel cõcessioni atq; muneri potest. His autem ad te dandis literis eo promptior fui; quod te spero de cœlesti Dei gratia deq; bonitatis eius fonte vberius haurientem in illius purũ cultum, atq; in omnia laudabilia & illi grata studia animumq; tuæ salutaria libentius etiã posthac atq; ardẽtius quotidie iturã. Reliquum est; vt tibi persuadeas, me earum rerũ omniũ, quæ honestam tui animi voluptatem, commoda præterea incolumitatemq; tuam contineant; nihil tibi vnquam negaturum. Dat. xiij. Cal. Aug. Anno primo. Roma.

Herculi Marescotto Bononiensi.

IIII GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt: & amo enim te quidem ipse: & ex te mihi omnia sunt iocunda. Itaq; velim tibi persuadeas charissimũ te mihi esse. Quoniam autem certior factus sum Ioannem Aloisium & Æmilium liberos tuos haud ita moderate temperanterq; viuere, vt ex te natos decet: de quibus meminisse potes quem tecum sermonem habuerim, dum Bononiæ Legatum agerem: volo vt illos Romam mittas tantisper, dum continere discant sese, paternamq; virtutem atq; modestiam imitari: quos quidem pro eo, quo te complector animo, & libenter videbo & tuebor diligentissime. Dat. x. Calend. Aug. Anno primo. Roma.

Marco Antonio Calumnæ.

V ALlatum ad nos est, te certis hominibus locum ad certamen singulare, tuis in oppidis, quæ oppida in huius reip. imperio sunt, concessisse. Id quoniam est contra Iulij Secundi Pontificis Max. literas; quibus in literis eam certaminis rationem grauissimis pœnis interdicit: mando tibi vt nullo pacto tuis in oppidis atq; locis certamen aliquod singulare permittas fieri: easq;, de quibus dixi, Iulianas literas omni ex parte & ipse per te ratas habeas, & haberi mandes à tuis: quarum exemplum his cum literis ad te misi. Dat. viij. Cal. Aug. M D X I I I. Anno primo. Roma.

Magistratui & XL. viris Bononiensibus.

VI QVoniam & vrbem Bononiam singulari beneuolentia sum complexus, & eius vrbis ciues incolasq; omnes pacate atq; tranquille posse degere maxime cupio: eos homines abesse ab ea vrbe volui, quibus

præsentibus vos minus odijs ciuilibusq; seditionibus vacuos putabam fore. Nunc autem cum intelligam redire Bonomam quotidie sine venia concessioneq; nostra nonnullos ex illis ipsis, quos dico: ea res cum propterea quod contra voluntatem meam in primis est, tum vel maxime quod sine fraude istius ciuitatis & bonorum offensione accidere non potest; ferenda mihi esse nullo pacto videtur. Itaq; volo edicoq;, vt qui dolo malo non datis cautionibus, & pretisq; eis conditionibus, quæ in nostris de Bentiuolorum restitutione scriptis literis continentur, ad vrbem istam reuertuntur; ij animaduersionibus per magistratum adhibitis puniantur; vt & ipsorum retundatur audacia, & reliqui discant nihil contra concessiones nostras audere. Eorum si quis erit; qui non tam malitiose, quam inconsideranter, neq; malo animo redierit ad suos: is exire confestim iubeatur de Bononiæ finibus. Prætereà quoniam certior factus sum illis plane absentibus, quos abesse in primis volui, non defore in ista ciuitate, qui sese in eorum locum ipsi subrogent; libidinemq; pro temperantia, audaciam pro virtute exercentes sibi vnis omnia licere arbitrentur: his vos literis commonefacio; vt eam animorum improbitatem esse vobis comprimendam statuatis modis omnibus, qui à iustitia proficiscantur; idq; in primis curandum, vt quæ iustis de causis à magistratu imperantur, ea quamprimum explicentur, conficianturq; non secus, ac si essent me præsente imperata: neque aliquis sit, qui ea negligat: quos quidem esse sæpe multos intelligo. Id si feceritis, temeritatemq; cetorum hominum vestrorum ciuium surgentem ac iam plane nimium lasciuientem compescueritis; mos certe, consuetudo, lenitasq; mea nihil immutabitur. Sin autem, quod vereor, indulgentia vestra de sua insolentia, vestri,

qui male viuunt, ciues mihi remittent; cogar ipse ea, quæ mihi opportunior esse videbitur, ratione publice istius vrbis indemnitati saluti(que) consulere. Ea enim mens est nostra; vt paucorum hominum causa populorum pax atque tranquillitas ne impediatur. Dat. viij. Cal. Augusti. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

VII EXistimabam te & meo rogatu & publicæ vtilitatis causa permotum Octauiani Fregosij Genuēsium Ducis rebus nullum negotium, nullā omnino molestiam allaturum; vt primum certior factus esses, illum fratrem(que) eius Federicum Salernitanorum Archiepiscopum in mea societatem esse receptos: illos(que) & fuisse antea mecum & cum mea familia vniuersa omni necessitudinis genere coniunctissimos; & nunc amari à me ita paterne, vt eos apud me in optimorum & charissimorū filiorum loco positos habeam. Putabam enim eos omnes, quos amarē tuerer(que) ipse, eosdem abste non minus tutos esse; quàm sint à me vel tui omnes, vel ipse tu: cuius incolumitas quantæ mihi curæ semper fuerit, non dicam; ne videar, beniuolentiā erga te meam verbis repetens, de tuo in me studio minus liberali velle conqueri. Nunc autem cum intelligā ipsum Octauianum solicitari à tuis posteaquam non vnas à me ijs de rebus literas acceperis; petiq(ue) tuo nomine quandam pecuniæ summam ab eius legatis, si se tutum esse à tuo imperio vult; nō potui non ægre molesteq(ue) ferre istam indignitatē: quam tamen ipsam proficisci abste vix adduci possum vt existimem. Itaque illam in tuos ministros libenter reijcio. Verum vtcunq(ue) se res habet; te quo maiore studio possum, hortor, neq(ue) solum hortor, sed plane etiam commonefacio; vel mando potius, eo

more scilicet; quo, qui amant, ijs, quorum amantes sunt, mandari ius habent æquissimum atq(ue) optimum; ne permittas Octauiani rebus tua causa quicquā molestiæ adhiberi: quæ tam mihi curæ nunc quidem sunt; quàm res Florentiæ atque nostræ; neq(ue) minus cordi vnquam fuerunt; quàm ipsæ tuæ semper fuerint. Sed potius si qui sunt, qui id facere conētur; eis tu aut persuadeas ne faciant; aut, quantum in te est, prohibeas: existimes(que): si modo ea cogitatio mouere animum tuum potest, vt Octauiano etiam amicus auxiliator(que) velis esse: nulla te in re æque de me mereri posse; ac si illi te beniuolum beneficum(que) præbueris. Iis autem virtutibus cū Octauianus ipse, tum eius est frater præditus; nullū vt officium ponere melius queas; quàm quod in eorum beneficio posueris; etiam si socij nostri non essent; nos(que) ipsi pro eorum incolumitate dignitate(que) vel conseruanda vel etiam augenda non laboraremus. Quod si vnquam quicquam operæ in eorum commodum quietem(que) adhibuisti; quod ab initio ex ipsis intelligebam fecisse te; scire te plane volo, id mihi tam esse gratum, quàm quod gratissimum. Dat. ix. Cal. Aug. M D XIII. Anno primo. Roma.

Marco Musuro Cretensi.

VIII CVm magnopere cupiam Græcorum sermonē & Græcas disciplinas iam prope abolitas atq(ue) deperditas restituere, & quantum in me positum est, consulere bonis artibus: exploratum(que) habeam & præstanti te doctrina & iudicio esse præditum singulari: mando tibi, vt suscipias diligentem curam adducendi ad nos è Græcia decem aut duodecim aut sane quot voles ipse, liberalis ingenij bonæq(ue) indolis pueros: vnde latinis hominibus linguæ illius verus germanus(que) vsus, rectaq(ue) cognitio, & tanquam seminarium

quoddam bonorum studiorum commode confici & compa-
rari possit. Qua de re Ioannes Lascaris vir propter suas
virtutes & multam iis in literis doctrinam mihi valde cha-
rus scribet ad te pluribus verbis. Te verò pro tua vetere
in me obseruantia, quæ opus esse ad eorum studiorum ratio-
nem & hanc rem, quam paro, cognoueris, sane cõfido sum-
ma diligentia curaturum. Dat. viij. Id. Aug.
M D XIII. Anno primo. Roma.

Varruchianæ arcis Præfecto.

IX CVm mea voluntas sit, vt tibi de salario, quod ex cu-
stodia arcis Verruchianæ debetur, integre satisfiat:
itemq; si quid aliud est, quod ad te iure aliquo spe-
ctet, de eo tibi pro iustitia consulatur; vt sine tuo damno ar-
cem ipsam vel Ioanni Mariæ familiari meo, cui eam arcem
concessi, vel eius procuratori tradere possis: mando tibi, vt
sine vlla excusatione aut mora ad nos venias: vt ex te intel-
ligere possim, quæ volo. Dabitur autẽ à me opera, vt rebus
tuis bene compositis Roma proficiscare. Dat. tertio Id.
Aug. Anno primo. Roma.

Maximiliano Imperatori designato.

X ANtonium Cominatum, quem ad me misisti, & vidi
& audiui libentissime cum propter ipsius virtutem
& in rebus, quas mecũ egit, enuntiandis mirificam
prudentiam; tum vel maxime quod absente veniebat; à quo
nihil mihi esse non gratissimum potest: Eum autem cum
celeriter confectis constitutisq;, de quibus agendum erat,
rebus ad te remittere maxime cuperem; tamen ea fuerunt
eiusmodi; vt is propter temporum difficultatem, dum dies
ex die ducimus spe expectationeq; ea, quæ volebamus, ex

sententia conficiendi, suum ad te reditum meo iussu ad hoc
diei distulerit. Quanquam quidem non illum idcirco nunc
ad te remitto; quod omnia, quæ per me confici cupiebas, con-
fecta iam explicataq; sint, de certis enim adhuc rebus consti-
tuere ea, de qua dixi, temporum difficultate impediente sa-
ne non potui. Sed volui, vt & rerum non confectarum
causas, & reliquarum rationem & statum mentemq; super
iis meam eodem Internuntio cognoscendi diutius tibi facul-
tas ne deesset. Itaq; illum ad te remitto: cui animum meum
aperui: eius omnem sensum, qua est probitate, ipsum ad te di-
ligenter perlaturum plane confido. Dat. Id. Aug.
Anno primo. Roma.

Angelo Cospo.

ACcipio excusationem tuam: quam affers de aduen- XI
tus Vlyssis fratris tui ad nos dilatione & mora,
ægram scilicet ipsius valetudinem: quæ quidem mi-
hi permolesta est: amo enim te atque illum, vt scis, charos-
q; habeo. Itaq; illi meis verbis denuntiabis, curet valetudinem
suam: quam quidem cum recuperarit; det se itineri, ad nos-
q; veniat: quemadmodum Bononiæ Magistratui etiam scribi-
mus hac de re: quas ad literas te atq; illum reiicio. Dat.
xviij. Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Herculi Marescotto.

AD tuas literas, quibus excusas te ad ea, quæ scripsi
de mittendis Romã liberis tuis; breuiter sic respon- XII
deo: amari te à me; excusationemq; tuam accipi bo-
nam in partem: Verum velle me, te omnino eos Romam mit-
tere: vt etiam Magistratui Bononiæ scripsi. Dat. xviij.
Cal. Sept. Anno primo. Roma.

Laurentio Maluitio.

XIII EXcusationem tuam, quã mecum per literas vteris de tuo ad nos aduẽtu, eatenus admitto; vt te bono in me animo esse planè existimem. Volo autem, & tibi mando; vt reiectis omnibus impedimentis Romam venias. Cæterum ad eas literas, quas hac de re tota Magistratui Bononiæ dedi, tu referes: quæq; tibi is meo nomine mandauerit, ea fácies sine vlla terguersatione aut mora. Dat. xviij. Calend. Sept. MDXIII. Anno primo. Romæ.

Annibali Bentiuolo.

XIIII ALlatum ad nos est te quædam contra meam & reip. dignitatem libertatemq; moliri: quod quidem vt crederem, non potui adduci. Excidisse enim ex animo tuo quã in te liberalitate vsus sim, non existimo. Itaq; potius à maleuolis hominibus ea iactari & fingi putaui. Verum ne illis, si qui sunt, tui vlterius criminandi des locum, tuq; eas calumnias diluas; te hortor, vt vna cum filio tuo Constantio ad me quamprimum venias: te enim ego atq; illum amico, vt soleo, animo paternoq; videbo: tuq; ijs de rebus, quæ tibi obijciuntur, præsens melius & facilius nobiscum transiges. Dat. quinto Cal. Sept. Anno primo. Romæ.

Magistratui Perusiæ.

XV HEri media in vrbe Carolus Gratianus sicariiq;, qui cum eo erant, quinq; Gentilem Martianum districtis gladijs aggressi trucidauerunt. Quæ res tam mihi molesta accidit; vt omnem curam adhibendam statuerim, vt illi latrones sui sceleris pœnas luant. Quamobrem

mando tibi cum indignationis nostræ, tum aquæ & ignis interdicti pœna; vt nihil prætermittas eorum, quæ ad illos omnes capiendos conferre iuuareq; te poterunt. Itaq; si de me bene mereri postulas; cura, enitere, confice; primum vt Carolum ipsum tanti facinoris caput, deinde reliquos quinq; comprehendas tradasq; custodiæ. Id si assequi poteris; statim ad me ea de re mittito. Scribo autem in hanc ferè sententiam Malatestæ Balioni: qui cum rem omnem communicabis. Spero enim ipsum pro ea, qua illum prosequor, charitate, proq; eius in me studio omnia facturum, quæ ad ea, quæ volumus, cõficienda pertinebunt. Tu verò si vlla in re alia studium diligentiamq; in me tuam ostendisti, aut ostendere cõcupuisti; hanc ipsam mihi te in posterum commendandi occasionem ne prætermiseris. Dat. quarto Cal. Sept. Anno primo. Romæ.

Malatestæ Balioni.

QVo te amore complexus semper fuerim; quantoq; studio ornandi tui, tuasq; fortunas dignitatemq; amplificandi tenear; profecto tibi esse debet explo- XVI
ratißimum. Multa enim atq; illustria mea in te paterna officia & studia extiterunt. Hanc beneuolentiam voluntatemq; erga te meam longe maiorẽ atq; in tua cõmoda paratiorem & proniorẽ efficiendi pulcherrima tibi sese facultas obtulit. Heri media in Vrbe Carolus Gratianus socijq;, qui cum ipso erant, quinq; Gentilem Martianum multis vulneribus cõfossum turpiter fœdeq; interfecerũt. Quæ res ita me vehementer commouit; vt omnem curam adhibendam statuerim, vt illi sicarij pro sui sceleris atrocitate puniantur. Quid enim vlli tutum, aut quis esse locus securus potest; si talia Romano prope in foro moliri atque patrare homines

audeant? Quamobrem mãdo tibi atque impero; vt vna cum Perusiæ magistratu des operam; vt Carolum socios q̃; quibuscunque modis atque artibus comprehendatis. Quam sane rem eo curare diligẽtius debebis; quod eius sceleris perpetratio notam atq; ignominiam affert Gentili Balioni propinquo tuo; qui cum nefarius ille trucidator Romam venerat. Itaque vt mentis animiq; mei sensum melius atque apertius intelligas: scire te plane volo; si mãdatis imperioq; meo ea in re obtemperaueris, Carolumq; ipsum & socios captos comprehensosq; Magistratui tradideris; me datum operam vt intelligas te mihi rem gratissimam fecisse; melioreq;, quàm adhuc fueris, loco apud me futurum. Sin aliter, ac spero deq; studio diligentiaq; tua confido, tibi statues esse faciendum; hoc est, si latrones illi tua cura tuoq; studio fulti non capientur; quo te magis amo, charioremq; habeo, fortunasq; tuas dignitatemq; amplificare magis cupio; eo te grauioribus indignationis odiiq; mei stimulis infectabor. Dat. quarto Cal. Septemb. MDXIII. Anno primo. Roma.

Malatestæ Balioni.

XVII INtellexi profectum te in Volscos esse, vt id municipium Hippolyto Atestino Cardinali traderes. In quo tametsi gratius mihi feciſſes, si eam profectionem mihi antea per literas significauisses, meq; vel mandante vel admonito suscepisses: te tamen de eo adhuc officio non culpo. Mando autem tibi atque ijs, qui tecum sunt, vt domum quamprimum redeatis; ne ve vllum aliud municipium aggrediamini. Quod si, antequam hæ tibi literæ sint redditæ, locum iam aliquem fueris aggressus; impero, vt eo statim relicto omnibusq; tuis abductis militibus ab eo recedas. Id qui non

feceris, ea pœna, quæ est de læsa maiestate, teneantur. Cæterum quoniam heri ad te scripsi de scelere per Carolum Gratianum socios q̃ perpetrato; te hortor, vt cura studio diligentia labore denique omni tuo mandata nostra explices. Nihil enim mihi aut gratius potes facere, quam si rem confeceris; aut molestius; quàm si mihi non parueris præstoq; fueris, quodq; magis indignationem in te meam excitare possit. Dat. tertio Cal. Septemb. Anno primo. Roma.

Magistratui Foroliuiensium.

ATtulerunt mihi non mediocrem molestiam ea, quæ XVIII scribis de parricidio isto in agro perpetrato. Quamobrem non diligentia solum tua, quam adhibes in conquirẽdis eius sceleris sicarijs mihi magnopere probatur: sed mando etiam tibi, vt in illis puniendis, si eos comprehendes, nihil remittas seueritatis: quæ cum iustitia coniuncta sit: sed ita agas; vt id, quod egeris, exemplum cæteris præbeat, quo exemplo ab eiusmodi concipiendis facinoribus absterreantur. Dat. prid. Cal. Sept. MDXIII. Anno primo. Roma.

Sixto Cardinali Sancti Petri ad vincula Procancellario.

SIgnificauit mihi Bernardus Bibiena Quæstor meus XIX Nicolai fratris tui nomine, Episcopatum te Lucensem Andreæ Franciotto velle tradere. Quæ quidem mihi res vehementer probatur. Amo enim valde hominem cum meã quidem sponte; tum vel maxime, quod is charissimus fuit Galeotto Cardinali fratri tuo; qui cum mihi, vt scis, summa necessitudo singularisq; beniuolentia interfuerat. Itaque non solum ea de re te magnopere laudo: sed hortor etiam, vt quod semel in animum induxisti tuum

velle facere te, id re efficias. Quod vt commodius facere possis; polliceor tibi, me & Episcopatus tui tibi quandiu vixeris, & Præfecturarum militum Hierosolimitanorũ, quas ille possidet, fructus ipsi Andreæ reseruaturũ. Quin etiam, si erit opus, tuq; ita statues esse faciendum; Episcopatus tui fructus aliorum sacerdotiorum fructibus, qui tantidem sunt, tibi facile compensabo: nihilq; prætermittam earum rerum, quas tu fieri voles; vt id iam ipsum libentius facias. Dat. prid. Non. Sept. M D XIII. Anno primo. Roma.

Regii Lepidi & Parmæ Magistratui.

XX DEistarum ciuitatũ nostrarũ nobisq; multas ob causas charissimarum Parmæ ac Regii propẽso spectatoq; in me animo quæ scripsisti multa cum ipsarum laude municipumq; prope omniũ cõmendatione; ea mihi optatissima fuere. Nihil enim æque cupio; quàm eos, qui hoc in Imperio sunt, cum esse ipsos egregia probataq; virtute; tum nostræ in eos beniuolentiæ atq; amori cumulatè respondere. Dabo autem operam; vt sese bene posuisse cogitationes suas eiusmodiq; officia cognoscant: meq; eorũ commodis vtilitati dignitati neq; negligentẽ, & certe gratũ experiantur. Quo enim ipsi ad huius Reip. Imperiũ & ardentius se contulerunt, & in eo constantius permanent; eo magis conuenit me omnia cogitare & statuere; quæ quidem aut hanc ipsorum egregiam voluntatem augeant; aut certæ perpetuam faciant. Quain re nihil omnino vel studij prætermittam vel laboris. Itaq; vtranq; ciuitatem meis verbis bono animo iubebis esse, tuq; eas iuste continenterq; reges. Quod facies; si te non tanquam ad tempus præpositum istis ciuitatibus; sed quasi verum atque à natura institutũ vniuscuiusq; ciuis esse te parentem existimabis. Dat. prid. Non. Sep. Anno primo. Roma.

Regii Lepidi Magistratui.

LEgi permoleste tuas literas; quibus me de duobus eis XXI uibus isto ipso in foro trucidatis certiorẽ facis. Itaq; quoniam municipes istos & magnopere diligo, & esse cupio quamtutissimos; ages contra illos, qui tam audax tamq; atrox facinus atq; scelus perpetrauerunt, non solum iuste, sed etiam seueritate summa; vt exemplum cæteris statuas ab eiusmodi facinoribus se continendi. Reliquis de rebus proximis ad te literis scripsi. Itaque nihil addam nunc quidem. Tu verò mandata nostra cõficies curabisq; diligenter, quæ curanda sunt. Dat. prid. Non. Sept. Anno primo. Roma.

Vladislao Pannoniæ Boemiæq; Regi.

LEctis tuis ad me fratresq; meos Cardinales literis; XXII quæ quo in discrimine tuum Pannoniæ Regnum ob Turcarum apparatum versaretur, significabant; & Martino Colocensis Ecclesiæ custode Internuntio tuo audito; statim vna omnes tota re diligenter atq; amãter cogitata statuimus; vt nihil eorum, quæ ad tuam ditionem tuendam, communesq; Christiani nominis hostes hoc tempore à tuis finibus repellendos esse vsui possent, à nobis prætermitteretur. Existimabamus enim & pro tua maiorumq; tuorũ in Romanos Pontifices obseruantia; & pro gentium, quæ tuo in Imperio sunt, fortitudine bellandiq; vsu prope assiduo quotidianoq; cum Turcis; si quo incommodo tuum istud Regnum tuiq; populi afficerentur; id omne huius certæ Reipub. nostrumq; singulorum incommodum plane futurum. Itaque, quod primum petisti de tributi auxilio; quantum quidẽ præsentium rerũ status atq; hæc tempora tulerunt; tibi id permisimus, vt opibus ad te leuandũ bellumq; administrandũ vti posses. Deinde, quod nos rogas, vt sedãdis

Christianorum Regum & Principum inter se dissidentium animis, atq; ad cõmune bellum contra Turcas incitandis curam & studium adhibeamus: in eo dies ac noctes cogitationes meas plane consumpsi. Mitto autem nunc quidem ad illos ea de causa Internuntios meos Episcopos viros autoritate experientia doctrinaq; præstantes; qui eorum controuersias componant, ipsosq; concilient. Quos quidem singulos tandiu hortari vrgereq; per eosdem Internuntios nõ desistam; quoad res ad eum, quem volumus exitum perducatur. Id si confieri per illos minus commode poterit: aliquot ex meis fratribus E. R. Cardinalibus legabo; qui ad illos properè se conferant; remq; conficiant. Qua confecta, fœderecq; ab Regibus mito tributũ ipsum per vniuersum Christianum orbem edictis amplissimis promulgabo: sacerdotibusq; cum sanctissimis, tum eloquentia clarissimis mandabo, vt omnes homines ad id non minus pium, quàm necessarium bellum accendãt: vt celerrime periclitanti sane, totq; iam dãna, tot porro calamitates perpessæ Christianæ Reip. tuoq; in primis Regno optime de ea merito succurratur. Quod quidem certe bellum hoc si tempore à nobis susciperetur; irritos conatus nostros omnes atq; inanes ipsa tempora facerent. Quis enim pecuniam, quis militem remotissimis à se gentibus tribuat; qui pro patria, pro liberis, pro salute sua arma domi tractare cogatur, hostemq; intra lares suos habeat? Neq; Principes sanè ipsi, etiã si populi sui velint, in præsenti rerum perturbatione militem egredi, pecuniam erogari, arma opes vllas exportari suis è finibus patiantur. Nos verò ipsi per nos mouere aggrediq; tantum rem fortasse possumus: sustinere atq; perficere non possumus. Quæ cũ ita sint; confido tamen, & pacem eam, quam omnes votis omnibus concupiuimus, Christianos inter Principes mature posse confici; & tua incõmoda, de quibus ad

nos scripsisti; vel cum fœnore celerrime reponi. Deus enim Opt. Max. qui ob eximium rerum optimarum euentũ præclarosq; exitus interdum malum sinit aliquod non maximũ existere; istos tuos labores, eum Turcarum apparatum ad conciliandos Christianorum Regum animos quasi molitionem quandam adhibet; quæ infectas odijs malisq; cupiditatibus obstructas eorũ mentes ad eam, quàm volumus, coitionem consensumq; attrahat; impiaq; illorum adhuc quidem arma ad mutuam aliquando tandem pietatem communemq; cum vtilitatem, tum etiã dignitatem conuertantur. Quamobrem fili mihi quidem charissime atq; optatissime erit tuæ fidei atq; prudentiæ in Domino atq; in eius viribus confidere. Neq; enim à militum robore & numero, aut ab apparatu vllo bellico; sed à Dei virtute, sed à Domini nutu de tuis atq; nostris hostibus tibi victoria est expectanda. Recordare, quæ is quondam facinora, quas res quamq; magnas per Gedeonis, per Ieptæ, Ionatæ, Dauidis, per Iudæ Machabæi manus confecerit: quarum rerum memoriam antiquæ literæ sempiternam esse voluerunt. Quæ profecto omnia maximam tibi afferre spem debent, eodẽ à Domino nihil omnino tuis conatibus in tempore defuturum. Atq; vt aliena vestustissimaq; prætereantur; ea repete; quæ ipso tuo in Regno Dominus apud Taurunum oppidum paucos ante nostram ætatem annos per Ioannem Capistranum cõfecit plebeium prope hominem; quem ad maximas tractandas res suæ porrò voluntatis & interpretem esse voluit & administrum. Nostra verò ætate Rhodij perexiguo militum numero gloriabundũ iam ac probe victorem Turcarum exercitum numerosissimum instructissimumq; fugauerunt. Non est debilior nunc, quàm olim fuerit, Dei Dominiq; nostri dextera: neq; tu Vladislae fili Ioanne Vaiuoda, qui vna cum Capistrano Turcas superauit, es inferior. Id ex eo intelligi

poteſt; quod dum hæc ipſa, quæ ſupra ſcripta ſunt, cogitationes noſtras exhauriunt, exercitasq; habent; tuæq; nos res maxime cõmouent: allatum ad nos eſt à tuorum militum puſilla ſanè manu multa milia Turcarum militum, quæ Illyricum vaſtabant, cæſa ad vnum interüſſe. Ita qui tibi ſemel affuit Deus; confidere profecto debes eum tibi poſthac rite præſertim atq; ſuppliciter precanti non defuturum. Cuius ego in terris vicarium gerens, fratresq; mei Cardinales; vt ad id redeam, quod initio dixi; nihil eorũ, quæ ad tui, qui nobis es chariſsimus; Regnorumq; tuorum, quæ profecto totius Chriſtianæ Reip. quaſi valli quidam & muri ſanè ſolidi cõtra illorum impetum ſemper fuere; propugnationem & defenſionem attineat, omittemus. Creueramus autem iam ante, quàm tuas ipſas literas accepiſſemus, rumore tantum eius rei audito, qui ad nos incertis autoribus & priuatorum literis afferebatur, vtpote tuis de rebus etiam ad primas eiuſmodi voces planè ſoliciti, Thomam Cardinalem Strigonienſem: qui Legatum noſtrum tuis in Regnis ageret: cuius tu prudentiam diligẽtiam fidelitatem erga te plurimis maximisq; in rebus optime omnium cognouiſti: vt iis, quæ nuntiabãtur, de imminenti Regnis tuis periculo obuiam celeriter iretur. Is tametſi iam ſe ad iter explicabat per ſeſe; mandaui tamen ei acceptis tuis literis, vt id etiam diligẽtius maturiusq; contenderet. In quo quidem ita nobis morem gerit; vt nihil illo fieri poſſit ardentius. Ex eo plenius meã in te tuasq; res paternam voluntatem & ſtudioſiſsimum bene conſulendi Chriſtianæ Reip. animum cognoſces: pro qua tuenda, atq; in ea; in qua oportebat, pace tranquillitateq; reſtituenda neq; operæ, neq; vigiliis: neq; laboribus parcam: libentiſsimeq; in ea cura & adminiſtratione vitam poſuero. Vale. Dat. Non. Sept. MDXIII. Anno primo Roma.

Antonio

Antonio Abbati ſancti Bertini.

XXIII

VOluptas; quam ex eo, quod Pontifex Max. declaratus ſum, accepiſſe te mirificam atq; incredibilem ſcribis; & ſi ea nihil mihi noui attulit: amoris enim erga me tui abundantiam dudum cognitam atq; perſpectã habeo: mihi tamen ſane gratiſsima iocundiſsimaq; accidit. Viſus enim mihi ipſe ſum, dum tuas literas legerem, illo ipſo tuo vultu atq; conſpectu ſuauiſsimo & liberaliſsimo perfrui; quo me olim per Germaniam atq; iſta per loca iter facientem amantiſsime ſuſcepiſti. Itaq; mihi in memoriam reuocaſti eos ipſos dies, quos vna fuimus: qui quidem tamen dies nunquam ex animo meo exciderunt. Quamobrem ſcire te plane volo, & amari te à me vnice; chariſsimumq; mihi eſſe ac ſemper fore: & ſi vnquam occaſio dabitur videndi tui; quod ſine tuo incommodo poſſe fieri ſane peruelim; id mihi non minori voluptati fore; quàm ſi meorum quempiam mihi ſanguine coniunctiſsimum vſu & conſuetudine optatiſsimum longo non viſum tempore conueniendi amplectendiq; poteſtas fieret. Quo fit, vt iis quæ ſcribis, teneri te ſcilicet incredibili deſiderio videndi mei, facile fidem adhibeam. Reliquum eſt; vt ſi quid erit, quod impetrare à me vel tibi cupias, vel tuis; ſcribas id ad nos certa cum ſpe, nihil te fruſtra petiturum. Vale. Dat. vij. Id. Sept. Anno primo. Roma.

Ioanni Saxatello.

XXIIII

INtellexi te ab Hannibale Bentiuolo poſſeſsiones cum molis frumentarijs, quas ille in Rheni vico habet, nuper emiſſe, aut certe emere ſtatuiſſe. Eam emptionem contra Bononienſium decretum eſſe certior factus ſum. Itaq; quoniam nolo vlla in re eorum legibus præiudicium fieri; mando tibi, vt ab ea emptione prorſus abſtineas. Quòd ſi

aliquam in eo pecuniæ ſummam expendiſti aut fortaſſe totum iam pretium perſoluiſti; dabo operam, vt ab ipſo Hannibale tibi omne perſolutum reſtituatur. Dat. xvi. Cal. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Sigiſmundo Gonzagæ Cardinali Mantuano.

XXV Reddita mihi ſunt abſte literæ gratæ illæ quidem & optatæ, vtpote amore illo tuo vere fraterno pleniſſimæ: ſed tamen quæ mihi voluptatem illam, quam ex tuis literis capere ſoleo, magna ex parte imminutam attulerunt. Significabant enim te in quartanam incidiſſe. Itaq; pupugit me, vt ſane debuit, incommodum valitudinis tuæ; quæ mihi curæ eſt æque, atq; ipſa mea. Hortor autem te; vel potius abſte quæſo & peto; vt omnem curam & diligentiam adhibeas, vt quàmcelerrime conualeſcas: vt integra valetudine & corpore bene confirmato ad vrbem atq; ad nos, qui te videre atq; amplecti cupimus, reuerti poſſis: quod tamen efficies commodo tuo. Interea volo tibi perſuadeas, res tuas, eaq; omnia, quæ ad dignitatem tuam pertinent, curæ mihi & cordi fore. Cæterum Franciſcum Marchionem Mantuæ fratrem tuum, qui à me vnicè diligitur, ſi ſaluere iuſſeris; erit mihi gratum. Dat. xvij. Calend. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Petri Bembi epiſtolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine ſcriptarum LIBER V

Sixto Cardinali ſancti Petri ad Vincula.



I Ectis tuis literis, quibus me certiorem facis ad aquarum Veneris balnea curandi tui cauſa te acceſſiſſe: neq; nunc quidem ſine tuæ valetudinis incommodo poſſe iſtinc diſcedere. Itaq; rogas, ne te accuſem ſi ad Cardinalium comitia Romæ eſſe, quemadmodum tibi ſcripſi cupere me, eiq; rei intereſſe nequiuiſti. Ego verò Sixte te excuſo: valetudinisq; tuæ rationem tibi in primis eſſe habendam ſtatuo. Quid enim poſſumus, aut quid plane ſumus ægroti? Quare manebis tu quidem iſto in loco perlibente me tandiu, quoad tibi vſui erunt aquæ iſtæ: à quibus tibi profici valde cupio: vt recta poſthac valetudine vti poſſis; mecumq; & cum noſtris fratribus Romæ eſſe. Hortor autem te, quo res melius tuo etiam conſenſu tranſigatur; vt tuo chirographo, vel mihi, vel cuiuis, qui tibi ad eam eſſe rem idoneus videatur, mandes tuam vicem: vt is in creandis Cardinalibus Laurentio Puccio, Iulio Medice, Bernardo Bibiena, & Innocentio Cibo; quæ tu dicere agere, ſi adeſſes, poſſes dicere agere ipſe quoq; poſſit. Dat. xvi. Cal. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

II QVo amore quáve charitate complexus semper fuerim Carolum Orpheum templi Marciani istius oppidi Præfectum à me ipse intellexisti, quo tempore anno superiore apud te aliquot dies fui. Ei nunc in Galliam proficiscenti mandaui te vt viseret, salutemq; plurimam tibi diceret meis verbis. Peto autem abste, vt eum suscipias vti hominem propter plurimas eius virtutes egregiamq; ac veterem in me fidem & pietatem mihi sane charissimum; propter meam verò in te beniuolentiam abste etiam amandum atq; inter tuos collocandum. Id si feceris; erit mihi maiorem in modũ gratum. Ipsum enim Orpheum ad me reuerti hac de causa tibi plurimum debentem tuaq; liberalitate maxime deuinctum, valde cupio. Dat. xv. Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Sigismundo Gonzagæ Cardinali.

III CArolum Orpheum vnũ ex ijs, qui mihi sunt charissimi, hominem plurimis virtutibus præditum, proficiscentem ad te, commendo tibi maiorẽ in modum. Porrò mihi gratissimum feceris: si eum ita susciepies tractabisq; vt intelligat se, quoniam à me diligitur, abste amari. Dat. xv. Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

IIII AMaui semper multum Octauianum Marchionem Palauicinum cum pro ea, quam in me, dum Cardinalem gerebam, familiamq; meam omni tempore beniuolentiam miro studio conseruauit; tum pro eius egregia in Remp. obseruantia & cultu, vt multis in rebus expertus sum, prope singulari. Quare illum ita tibi commendo; vt maiore studio & diligentia commendare nõ possim:

trq; hortor; vt quibuscunq; rebus poteris: meo rogatu eum ita tractes; vt intelligat eos, qui mihi charissimi sunt, tibi quoq; esse commendatissimos. Equidem te de eo aliquanto plus etiam diligam; si efficies vt Octauianus propter has meas ad te literas mihi plurimas gratias agat. Dat. xv. Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Magistratui Regii Lepidi.

EXemplum literarum, quas Ioanni Boiardo scripsimus, habuisti cum his literis. Mando autem tibi, vt ei meis verbis imperes eisdem propositis pœnis, quas ei constitui; ne contra Maximiliani Romanorum Imperatoris designati municipes quicquam tentare armatis hominibus audeat. Itaq; literarum mearum sensum mandatis tuis auctum consociatumq; accipiens & ipse quiescat, & alios ne perturbet. Sed iuri æquitatiq; suas iniurias, si quas habet, remittat. Dat. xiij. Cal. Octob. Anno primo. Roma. V

Ioanni Boiardo.

ALlatum ad nos est, te armatorum hominũ manum cogere; vt ea certos homines ciues Mutinenses; qui in Maximiliani Imperatoris designati Regno dationeq; sunt, impetum facias; quibus à ciuibus illatas tibi esse iniurias præ te fers. Quæ res cum mihi permolesta sit; qui Maximiliani oppidorum æque atq; meorum otio, quieti, paci consuli cupio; mando tibi; ne te aut tuorũ quempiam contra illos commoueas; né ve eos coacta manu perturbes. Teneri autem te ijs pœnis, quæ de maiestate sunt, volo; nisi parueris. Quod si te ab illis offensum existimas; pergas ea in re legũ & iudiciorũ via: neq; enim sumus tua iura imperaturi: sed potius curaturi, vt tibi ius abunde ac sine dilatione administretur. Dat. xiij. Cal. Oct. Anno primo. Roma. VI

Ferdinando Hispaniæ Regi.

VII ET si scio ijs de rebus, quæ per nos publice geruntur, à Legato tuo homine perdiligente fieri te quotidie certiorem: volui tamen, vt quod nouissime pro Reip. ornamento & incremento statui esse faciendũ, id meis etiam literis cognosceres. Non enim vereor, quin tibi pro tuo erga me amore Remq; pub. Christianam studio, eiusmodi omnia æque iocunda sint, atq; ipsi mihi. Itaq; scies me ad xi. Cal. Octob. fratribus meis E. R. Cardinalibus consentientibus Laurentium Puccium familiarem meum à dandis literis, & Iulium Medicem Archiepiscopum Florentiæ designatum patruelem meum, & Bernardum Diuitium Bibienam Quæstorẽ, atq; Innocentiũ Cibum sororis meæ filium, Innocentij Papæ Octaui nepotem plurimis maximisq; de causis in Cardinalium collegiũ cooptauisse. Quorum trium prudentiam, integritatẽ agendis q; rebus vsum atq; scientiam virtutesq; cæteras, & esse tibi perspectas existimo; & Reip. & honori & præsidio confido fore. De Innocentio autem spero fore, vt volumus: habet enim egregiam indolem coniunctam cũ optimis moribus; quos ornat literarũ & bonarum artium studijs: vt nihil iam sit adolescente illo probius elegantius charius. Eius rei confectio; quæ me magnopere delectauit; erit sanè mihi & gratior & iocundior; si tibi quoq;, qui recte omnia prudenterq; iudicas, perpendere q; soles, probabitur. Existimare autem debes; quoniã tuorum in me familiam q; meam plurimorum nõ solum officiorum, sed etiam beneficiorum illi ipsi omnium optimi testes semper fuere; quæ ad tuam dignitatẽ tuendam atque amplificandam pertinebunt; eos esse non minus diligenter, quàm quæ nostra ipsorum interesset, omni tẽpore curaturos. Dat. ix. Cal. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Octauiano Fregosio Genuensium Duci.

VIII PLurima egregiaq; in me atq; in omnes meos tua Federici q; Archiepiscopi Salernitani fratris tui officia; atq; ea quæ in vobis summa sunt, maximarum virtutum ornamenta, te atq; illum mihi & omni tempore charissimos reddiderunt; & nunc vt maxime erga vos liberalitatem & beneficentiã exerceam, me hortantur. Itaq; cum olim Guidus Vbaldus Vrbinatium Dux auunculus tuus; quod durissimo ac difficillimo eius exilij tẽpore strenuã ei operam nauaueris, arcemq; & oppidũ montis Feretrij maximum atq; pulcherrimũ eius Regni propugnaculũ, omnibus in difficultatibus & cunctarũ rerum angustijs positus, consilijs auspicijs q; tuis & tua singulari ope atq; virtute tutatus fueris; Sanctæ Agathæ municipium vna cũ omnibus eius oppidi regionibus ac finibus tibi sororis suæ filio dederit, donauerit; vt sui erga te amoris & beniuolentiæ tuiq; in illum amplissimi beneficij pignus monumentumq; esset: nunc vt pulcherrimi eius atq; clarissimi nostra ætate facinoris testimonium ac præmiũ mea quoq; ope adaugeatur; Sanctæ Agathæ oppidum omnisq; eius regionis ditio; quod oppidum quamq; ditionem in huius Reip. Imperio nostriq; iuris constat esse; tibi data donatumq; recte sunto; eaq; donatio auctoritate mea probata esto: Atq; etiã tibi illa ipse quoq; do, dono, largior. Quod si te sine liberis legitimis cõtingat mori; hæc donatio ad Federicum fratrem tuum extenditor: vt ea, quoad viuat, vti frui iure possit. Dat. Septimo Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ.

IX QVoniam Antonium Cardinalẽ Bononiensem summopere amamus, multumq; & fidei eius & prudentiæ atq; in nos beniuolẽtiæ tribuimus; volo vt

Baldaſaris Catanei liberos ab eo ne repetas: ſed eos permittas eſſe ſub ipſius fide. Scribo autem Cardinali, ei me Catanei liberos ea conditione remittere; vt, ſi erit opus, vel habere ipſe illos hic, cum voluero, poſſim; vel ipſi iſtic ita ſeruentur; vt ab illis veritas, quæ per nos quæritur, de Bentiuolorum cogitationibus eliciatur. Dat. ſexto Calend. Octob. Anno primo. Roma.

Dominico Cardinali Grimano.

XI LEctis tuis literis; quibus me certiorem facis, te propter tabellarij tarditatem Cardinalium creationi interesse non potuisse; magna moleſtia affectus ſum. Qui enim te pro tuis eximijs virtutibus excellentiq; doctrina magnopere diligo; valde ſane cupiebam ei declarationi te adeſſe. Verum quoniam tabellarium accuſas; mandaui vt is ſuæ negligentiæ pœnas daret. Sed is ita ſe purgat. Ait enim, quoniam Vrbeueteri te non offenderit, ſe Spoletum recta tetendiſſe; quod ad oppidum te iter feciſſe intelexerat. Quò cum acceßiſſet; redüſſe te Vrbemueterem ei nuntiatum fuiſſe; eoq; reuertiſſe. Itaq; ſe tardiorem, quàm oportebat, fuiſſe. Sed quoquo modo ſe res habet; animi tui alacritatem, quam præ te fers, libenter accipio. Reliqua, quæ te ſcire volo ea de re, nuntius tuus ad te perferet, qui cum loquutus ſum. Dat. v. Calend. Octob. Anno primo. Roma.

Petro Bibienæ.

XII SAne quàm mihi gratum atq; optatum accidit id, quod heri ex Venetorum Legato publicisq; iſtius Senatus atq; tuis literis intellexi; eum ſcilicet Senatum Remq; pub. nobis arbitris ſuarum cum Maximiliano Romanorum Imperatore deſignato diſcordiarum, quæ quidem diutius quàm oportebat viguerunt, cauſam cognitionemq; permiſiſſe. Eoq; accepto nuntio valde me hercule gauiſus ſum: eũ propterea, quod iſta Reſp. Senatusq; illuſtris, qui prudentiſſimus atq; grauiſſimus ſemper fuit, de noſtra in ſe vetere beniuolentia tantum ſpei atq; fiduciæ cõceperit; vt ſuarum maximarum controuerſiarum atque rerum ſummam mihi eſſe plane credendam ſtatuerit: tum quia magnopere confido ex ea re ipſis quidem primum atq; eorum oppidis & municipijs omniq; Imperio, Italicis deinde rebus magna ex parte diuturno bello contritis atque labentibus, toti demum Chriſtianæ Reip. plurimas eſſe leuationes maximasq; vtilitates prouenturas. Dabo equidem ipſe operam; vt huius ipſorum de me judicij tum illuſtris tumq; præclari eos nunquam pœnitrat. Idq; eis tu iam nunc meis verbis vt certum exploratumq; habeant, denuntiabis. Reliquas autẽ huius negotij partes; quæ plurimæ quidem ſunt, quas te atq; illos ſcire volumus; ex literis, quas ad te Iulius Medices, Cardinalis frater, patruelis meus dabit, facile intelliges. Quibus etiam de rebus omnibus cum Petro Lando eorum Oratore ſum loquutus. Caput autem illud eſt; vt confidant, quæcumq; ad ipſorum ſalutem, incolumitatem, commoda, quæcumq; ad dignitatem retinendam pertinebunt; à me amantiſſime ac diligentiſſime curatum iri. Dat. tertio Cal. Octob. Anno primo. Roma.

Antonio Craſſo Cardinali Bononienſi.

XII COntroverſiam; quam Borninus Blancus ciuis Bononienſis cum Petro & Ioanne Franciſco Ocellano aliquot iam annos habet de fundo & villa ſatis quidem luculenta; componere iam tum, atq; ipſos conciliare cupiebam; dum in Cardinalium collegio poſitus iſtius oppidi Legatum agerem. Itaq; rem aggreſſus breui eam ex ſententia confeciſſem; niſi confeſtim Bononia decedere meorum

me rerum cursus atq; celeritas coëgisset. Idem autem mihi nunc quoq; animus voluntasq; cum sit, maximeq; cupiam, vt ab honestis istius oppidi municipibus nullæ offensæ nullaq; odia exerceantur; tuq; vnus apud eos omnes autoritate & gratia plurimum valeas; peto abste, des operã, vt inter vtrasq; parteis ea de re atq; causa omnes controuersiæ sedentur; lisq; vniuersa componatur, concordiæq; via finiatur. Erit ea res & ingenio moribusq; tuis propria, qui pacis es & quietis amantissimus; & meæ de tua lenitate atq; prudentia expectationi non aliena. Dat. quarto Non. Octob. Anno primo. Roma.

Municipio Rauennati.

XIII Mando vobis, vt Ioanni Baptistæ Bonaucturæ vestræ arcis Præfecto reliqua, quæ ei ex arcis custodia debentur, curetis ad eum vsq; diem; quo die is eam custodiam Antonio Medici tradet; quem ei arci præfecimus. Dat. quarto Non. Octob. MDXIII Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ Polæ Episcopo.

XIIII Mando tibi, vt Nicolao Blanco ciui Bononiensi reditum in patriam des; reuocesq; eum ab exilio; quemadmodum ego illum reuoco: itaq; statuas, vt nulla posthac molestia ea de causa Nicolao afferatur. Dat. tertio Non. Octob. Anno primo. Roma.

Antonio Crasso Cardinali Bononiensi.

XV Scribimus Altobello Polæ Episcopo istius oppidi Magistratui, vt Nicolaum Blancum ciuem Bononiensem exulem restituat, fruiq; patria permittat & fortunis suis omnibus. Eam rem tibi etiam meis literis esse notã volui; hortorq; te, vt negotium, si erit opus, autoritate tua iuues; quo melius atq; facilius explicetur. Dat. tertio Non. Octob. Anno primo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

FRanciscus Foscarus, qui tuum Oratorem apud nos XVI egit; perfunctusq; suo munere abste reuocatus istuc proficiscitur; egregiã tibi quidem omnino, Romæ dum fuit, & præstantẽ operã nauauit. Nam & in consiliis tuis explicandis probitatẽ, & in rebus tractandis prudentiã & grauitatem, & in omni genere studiũ & diligentiã singularem semper ostendit. Mihi verò cũ his atq; cæteris suis virtutibus, tum præclaris in rem Romanam meritis cumulate & pulcherrime satisfecit. Hæc autẽ ad te scribenda esse duxi nõ quidem, quod ea vlla ex parte latere te existimarem: sed vt meæ in illum paternæ charitatis sensum, & constans de eius præstantissimis virtutibus iudicium meis apud te Remq; istã pub. literis declaratũ atq; testatũ relinquerem. Dat octauo Id. Octob. Anno primo. Roma.

Octauiano Fregosio Genuensium Duci.

MItto ad Ludouicum Galliæ Regem Sebastianum XVII Pistoriensem familiarem meum: qui iter isthac faciet. Quare abste peto; vt eum in itinere conficiendo quibuscunq; rebus poteris, iuues. Et quoniam certior factus sum in tuæ ditionis vicinis locis magna hoc tempore latrocinia fieri; per mihi erit gratum, des operam, vt Sebastianus in Galliam transalpinam tuto atque celerrime se conferat. Dat. vi. Id. Octob. Anno primo. Roma.

Dominico Grimano Cardinali.

QVoniã ad proxime sacri Lateranẽsis Cõcilij futuros dies aliqua sunt nobis iã nunc cõstituẽda; peto abste, quod cõmodo tuo facere poteris, vt ante XVIII

diem xij. Cal. Nouembris Romam te conferas. Dat. v. Id. Octob. Anno primo. Roma.

Regi Britanniæ.

XIX LEctis tuis literis; quibus me de tua in Morinis contra Gallos victoria, Morinorumq; deditione certiorem facis; magna sanè lætitia pro mea in te paterna benivolentia, proq; rei confectæ magnitudine affectus sum: habuiq; Deo Opt. Max. gratias; quod is eorum, qui pro huius Imperij dignitate tuenda & conseruanda pio ac recto animo arma sumpserunt, curas conatusq; fortunauerit. Quanquàm id quidem certe prope pro cõperto semper habui. Sperabam enim fore, vt omnia tibi prospere atq; feliciter euenirent: cum propterea, quòd prudentibus consilijs, summis opibus, magno apparatu, numerosissima validissimaq; manu, Maximiliano etiam Romanorum Imperatore designato sua tecum consilia communicante, bellum hostibus inferre es aggressus: tũ vel maxime, quia Dei causam agendam & defendendam susceepisti. Itaq; cum non multos dies de tua victoria lætus inter tuorum Legatorum iocundas salutationes cõfecissem; vellemq;, vt par erat, ea de re tecum per literas gratulari; ecce alteras abste literas; quæ secundam nobis partam abste victoriam longe maximam atq; clarissimam attulerunt; Britannicos scilicet exercitus tuos cum Iacobo Scotorum Rege; qui quidem ingenti militum numero inuaserat in ditionem tuam; manũ conseruisse: eius exercitum fudisse: magnam eorũ partem Rege ac Regni Principibus occisis internitioni dedisse: magnã etiam captiuam fecisse. Itaq; paucis te diebus bellum atrox ac periculosum felicissime confecisse. Iis intellectis tametsi per mihi molestum fuit tantum Christiani sanguinis effusum fuisse, tot hominũ millia è populo Dominico desiderari; tũ

Christianum Regem egregij sanè nominis neq; sperne-darum virium, sororis tuæ virũ Christiani Regis sibiq; coniunctissimi ferro confossum cecidisse: valde tamen sum gauisus alteros tuos exercitus tam illustrem tamq; celerè victoriã de alteris tuis hostibus, qui te ab optimo tuo incepto reuocare conabantur, reportauisse. Quamobrem eundem illum, qui hos duplices gloriæ tuæ prouentus subministrauit, Deum flexis ad terrã genibus erectisq; cœlo manibus adorauì; quod tibi Regi planè iuueni bellorum initiũ ab Ecclesiæ suæ defensione auspicanti hæc rudimenta tam præclara tamq; conspicua, quasi fundamenta iecerit reliquæ sanè vel gloriæ vel ætatis tuæ. Te vero in primis decet existimare ab illo te omnia, nõ ab humanis opibus accepisse: quoq; Dominus Deusq; noster pluribus atq; maioribus ornamẽtis virtutẽ illustrare atq; cõdecorare voluit tuã; eo te quidẽ certe illi humiliorẽ submissiorẽq; fieri, erit virtutis & prudentiæ singularis. Quod cũ feceris, non solũ credibile est, fore vt tibi is secunda prosperaq; omnia in ijs quas nunc tractas, rebus atq; bellis largiatur: sed viam etiam muniat; per quam ingrediens tuũ nomen optimis atq; sanctissimis artibus æternitati conseerare facile possis. Id erit; cum tibi eas cogitationes propones; quibus reliquis tuis restinctis pacatisq; bellis ad contundendã Turcarũ nimis iam incitatam exultantemq; ferociã accendare. Quas ad cogitationes inundas, quemadmodũ nunc quidẽ se res habet; multum dari nobis posse tẽporis non est existimandũ. Itaq; iam & Pannoniæ Sarmatiæq; Regna populata debilitataq; ab illis sunt, premunturq; indies acrius: & ipsa Italia amissis in proximis regionibus non vnis præsidijs illos sibi vicinos finitimosq;, acerbũ sanè dolendumq; spectaculũ contuetur. Hæc pericula, vt vere dicam, quod sentio, me suspensum atq; solicitum habent; meamq; de secundis tuis rebus voluptatem

& lætitiam esse solidam atq; propriam non sinunt. Quare ab ipso immortali Deo precibus omnibus atq; votis peto; vt quemadmodum Ecclesiæ suæ dignitatem ab ijs, qui eius propugnationem suscipere in primis debebant, aliquando male habitam egregiè prosperrimèq; est tutatus: ita eam & ab accenso ad inflammanda sacrosancta eius templa atq; delubra igne, & ab imminenti populorum sibi dicatorum cæruicibus ferro inimicarum perpetuo gentium aliquando tandem eripiat. Quibus de rebus omnibus cum Episcopo Vnigornienſi Legato tuo loquutus sum; vt is tibi mẽtem meam perscribere latius ac diligentius possit. Dat. quinto Id. Octob. Anno primo. Roma.

Episcopo Feltrinorum Magistratui Placentiæ, & Paulo Sumontio.

XX MAndo vobis; vt quoniam Hierosolimitani milites in Insulæ Rhodi contra Turcas propugnatione hoc tempore distinentur; prouentus q; suos ea in re maxime quidem necessaria impendunt: ex eius ordinis possessionum atq; fructuum omnis generis pensionibus in eam decimam; quam nuperrime curari exigiq; mandaui ab ijs, qui clerici essent; partem vllam ne inferatis: neve quicquam eo nomine ab ipsis militibus aut eorum procuratoribus exigatis, aut exigi erogariq; permittatis. Volo enim illum ordinem horum onerum collationumq; omnium immunem expertemq; esse. Dat. xiij. Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Marco Cardinali Seduno.

XXI NOn oblitus quantum in nos beneficiorum contuleris; ei, qui has tibi literas reddidit, Goro familiari meo ad Heluetios proficiscenti mandaui, te vt vise-

ret, tecumq; communicaret causam profectionis suæ. Qua in re peto abste non id solum, vt eum instituas omnibus ijs in rebus, quas ad te deferet; doceasq; quid illi agendum, quid statuendum, quid conandum sit. Sed illud etiam, vt meam causam apud Heluetios agas ipse, measq; omnes suscipias parteis. Quod te facturum & facile pro ea qua plurimum apud illos polles dignitate, autoritate, gratia; & libenter pro tua singulari atq; mirifica in nos beniuolentia plane confido. Volo autem in primis, vt ipsos Heluetios de mea propensa perpetuaq; in illos voluntate certiores facias; doceasq; eo animo esse me; vt in eadem cum ipsis fortuna magis magisq; quotidie coniungi & consociari cupiam: Deinde vt eos confirmes in Maximiliani Mariæ Insubrum Ducis statu atq; Imperio; quemadmodum adhuc quidem egregie fecerunt; & fulciendo & defendendo: quæ sane tibi quidem res curæ magnopere semper fuit: nobis autem non minus cordi est; quam Florentinorũ Reip. atq; vrbis, quæ mihi patria est, incolumitas & conseruatio: Quemadmodum ab ipso Goro intelliges. Qui quidem ea etiam; quæ ad te de me falso delata sunt; diluet; purgabitq; me tibi; eaq; patefaciet, quamobrem mentem erga te meam atq; animum perspicere facile possis. Te verò etiam atq; etiam hortor; eiusmodi vocibus hominum vel inuidentium nostræ coniunctioni, vel certe maliuolorum aures tuas ne præbeas. Quemadmodum & ipsi etiam fecimus, facturiq; sumus ad ea; quæ de te ad me præter tuã dignitatem & allata adhuc quidem sunt, & fortasse afferentur. Neq; enim de tuis summis præstantissimisq; virtutibus vllorum hominum artibus tantulam quidem partem detractum iri patiar. Reliquum est, vt Goro ipsi meis te verbis alloquenti omnem fidem habeas. Vale. Dat. sexto Calend. Nouemb. Anno primo. Roma.

Laurentio Medici fratris filio.

XXII PRoficiscenti ad Heluetios Goro, vt meum Internuntium apud illos ageret, mandaui pro mea in Rem istã pub. charitate; vt omnem suæ profectionis causam tibi de via communicaret. Cui tu fidem habebis non secus ac nobis ipsis: quæq; ex ijs, quæ ab ipso intelliges, erunt reticenda, nemini patefacies. Dat. sexto Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Heluetiis.

XXIII MItto ad vos Gorum familiarem meum hominem mihi vehementer probatum: vt is meum Internuntium apud vos agat. Quare vos eius verbis tantum fidei habebitis; quantum nobismet ipsis haberetis, si vos præsentes alloqueremur. Dat. vi. Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XXIIII CVm id meum consilium semper fuerit; vt inter Maximilianum Romanorũ Imperatorem designatum & Leonardum Lauredanum Venetorũ Principem discordiæ, quas quidem vterq; diutius, quàm opus fuerat, exercuit, fœdere inito componerentur; vt bella cædesq; in Italia desinerent, pax atq; tranquillitas existeret: idemq; optare prudentissimum Regem tuum sæpenumero intellexerim: gratissimus mihi atq; iocundissimus is profecto nuntius fuit, quem nuper accepi; Venetos scilicet ad ineundam cum Maximiliano pacem animum induxisse; nobisq; arbitris omnem discordiarum suarũ causam totiusq; rei summam velle permittere. Ab hoc enim fonte confido plurima esse atq; maxima Christianæ Reipub. commoda, ex quibus haurire

haurire omnes homines possint, propediem emanatura. Hanc eorum voluntatem cum certam propemodum explo ratamq; habeam; neq; dubitem, quin illi ea, quæ nuntiantur, omnia vt volumus sint confecturi: etiam atq; etiam te hortor; vt magis in ea sententia Veneti confirmentur; ab armis atq; in Venetos impressionibus abstineas tantisper, dum Syngraphã, qua mihi eius rei potestas permittatur, ipsi conficiant. Est autem prudentiæ tuæ paucorum dierum moram tanti non æstimare; vt eam ob causam ab vtrisq; nostrum diu optatæ, communiq; consilio susceptæ, & toti rei Christianæ maxime profuturæ pacis atq; fœderis confectio impediatur. Quæ quidem mora ne longior sit, quàm necessitas postulat; Petro Bibienæ meo apud Venetos Internuntio mãdo, det operam, vt trium aut quatuor dierum spatio, post has sibi redditas literas ea, quam dico, à Senatu Veneto Syngrapha conficiatur: teq; illico totã de re certiorem faciat. Tu verò ea intellecta Cæsarianos tuosq; milites vsquequaque coutinebis; dum pax ipsa fœdusq; sanciatur. Summa hæc est vt maximi momenti atq; ponderis rem vnius quatridui præstolatione hortatu meo uues. Quod te facturum pro tua prudentia, humanitate, lenitate plane confido. Dat. iiij. Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ Polæ Episcopo.

QVoniam Matthæus Cardinalis Gurcensis ad Vrbem atq; ad nos propediem est venturus; volo, vt si istac iter faciat, omni eum honoris & liberalitatis genere excipias; itaq; tractes, vt se mihi esse charissimum intelligat. Ea in re omnes diligentiæ tuæ numeros te implere sane peruelim. Dat. quarto Cal. Nouemb. Anno primo. Roma. XXV

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XXVI. Reuertitur ad te meo iussu Hieronymus Moronus Interpres tuus; cuius singularem erga te fidem & diligentiam omnibus ijs in rebus, quas mecum egit, perspicere mihi visus sum: eaq; ipsum de causa, vti probum & spectata virtute hominem, facile amo. Is tametsi recusaret Roma te non mandante velle discedere; ostenderetq; mihi habere se abste plures causas apud nos commorandi; coactus tamen est à me itineri sese dare. Putaui enim eum in tractandis apud Heluetios rebus tuis magno tibi vsui futurum. quicum multa ad tuum commodum dignitatemq; spectantia sum loquutus: eaq; collegi; quæ horum temporum conditio poscere maxime videbatur. Ea ipsa; tum quo statio tenear, vt tibi omnia prospere atq; fœliciter eueniant; ab ipso cognosces: qui quidem nostræ erga te voluntatis locupletissimus esse testis potest. Dat. iiij. Cal. Nouemb. Anno primo. Roma.

Magistratui Placentiæ & Paulo Sumontio.

XXVII. Mando vobis, vt aqua & igni interdicatis; nẽ quis ex ea pecunia; quæ ratione decimæ à sacerdotibus, qui in Regno Mediolanensi sunt, exigitur; quicquam capere, habereq; apud sese audeat; præter eum, quem vos eius rei curatorem esse iusseritis: cuius eligendi vobis vnis facultas esto. Volo enim, vt is tantummodo, qui à vobis erit lectus, eam pecuniam administret. Dat. iiij. Cal. Nouemb. M D X I I I Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XXVIII. Post eas, quas ad te proximis diebus dedi literas; quibus te certiorem faciebam Venetorum Remp. discordiarum suarum cum Maximiliano Romanorum Imperatore designato causas omneis nobis arbitris velle pmittere: itaq; te hortabar abstineres eos, qui in eorum Imperio essent, armis lacessere tantisper, dum syngrapha eius rei per Senatum Venetum conficeretur: eam syngraphã, quemadmodum volebamus, confectam Veneti nobis miserunt. Quamobrem quo maiore possum studio etiam atq; etiam abste peto, statuas arma esse reprimenda, Cæsarisq; milites atq; tuos ab omni offensionum contra Venetos genere continendos; dum res negotiumq; per nos transigatur. Ita enim & nos Venetis recepimus te facturum: & te, cui quidem Ferdinandi Regis tui mens atq; animus perspectus est & cognitus, maxime decet facere; mitiq;, vt nihil eorũ, quæ ad pacem conficiendam opportuna sunt, prætermittatur. Edere plura cum Bercenno procuratore tuo sum loquutus. Is ad te omnia perscribet. Dat. tertio Non. Nouemb. M D X I I I Roma.

Francisco Mariæ Vrbinatium Duci.

XXIX. Certior factus eos numos, qui Vrbini percutiuntur, probos esse; volo, vt tibi æs, argentum, aurum, flare, ferire, quemadmodum consuesti, & numos cudere liceat: neq; ea tibi obsint; quæ nostris in edictis numarijs nuper propositis continentur. Dat. iij. Non. Nouemb. Anno primo. Roma.

Octauiano Fregosio Genuensium Duci.

XXX. Et si pro animi tui consuetudine tuaq; propensa in omnem iustitiam voluntate certũ exploratumq; habeam, omnes tuæ ditionis populos ipsorumq; incolumitatem tibi magnæ curæ esse: tamen quoniam Sauonem oppidum municipesq; illos, vel quia cum eorum plurimis magnus mihi vsus interceßit; vel quod ij omnes vetere

instituto ciuitatem Florentinam sunt adepti; mirum in modum diligo: non solum te hortor, sed etiam valde rogo, Saluonensium fortunas municipium q; ipsum & ciues omnes habeas etiam meo nomine chariores: eos q; ita tractes; vt intelligant meam apud te commendationem magno illis vsui fuisse. Erit id mihi tam gratum quàm quod gratissimum. Dat. Non. Nouembribus. Anno primo. Roma.

Magistratui Parmæ.

XXXI QVoniam mihi satis constat Castrum nouũ, quod est in Parmensi diœcesi, ad Hippolytum Atestinum Cardinalem iure spectare; mando tibi, vt id oppidum cum iuribus eius omnibus Cardinali ipsi, vel eius procuratoribus des tradas sine vlla mora. Quem enim vtopote Reip. perutilem atq; in ea administranda maxime idoneum virum præstantemq; hominem vnice diligo; impediri ei sua iura nimime omnium volo. Itaq; dabis operam; vt is ad integram eius oppidi possessionem confestim admittatur. Dat. Non. Nouembribus. M D X I I I Anno primo. Roma.

Matthæo Cardinali Gurcensi.

XXXII CVm certior factus sim te ad Vrbem atq; ad nos aduentare: qui quidem mihi nuntius sanè gratissimus fuit: statutumq; mihi sit relaxandi animi causa hodie Roma discedere: ne propterea tuum aduẽtum differas, si fortasse Romæ nobis absentibus esse non appetis; scire te volo per paucos me dies abfuturum. Quin etiam cum appropinquare tuum aduentum intellexero; dabo operam, vt nos iam reuersos offendas; vt te alloqui, & quamprimũ videre possimus. Dat. Non. Nouembrib. Anno primo. Roma.

Municipio Norsino.

ALlatum ad nos est exules Cassianos; qui eius oppi XXX
di arcem magna cum mea ignominia vi atq; armis III
expugnauerunt; confidere se à vobis auxilium ad se defendendos, si à nostris militibus oppugnabuntur, impetraturos. Quamobrem mando vobis ea lege, quæ de Maiestate est, & decem millium numorum aureorum fisco inferendorum mulcta; ne illis vlla in re auxilium præbeatis: ne ve quicquam aggredi & tentare audeatis; quod eis exulibus vsui & adiumento esse possit. Dat. octauo Idus Nouemb. Anno primo. Roma.

Fabritio & Marco Antonio Columnæ.

QVoniam exulum Cassianorum audaciam; qua suXXX
perioribus diebus in eius oppidi arce inuadenda IIII
capiendaq; sunt vsi; ægre, vt debui, molesteq; tuli; atque ad arcem recuperandam studium & diligentiam adhibui: magnopere à vobis peto; ne eis exulibus quicquam opis ad se defendendos subministretis. Quod tametsi existimem vos pro vestra in nos pietate per vos ipsos esse facturos; volui tamen ea de re literas ad vos dare; vt magis etiam de mea voluntate certiores fieretis, cum id à me intellexisse tis. Dat. octauo Id. Nouemb. Anno primo. Roma.

Francisco Hernando Aualo Marchioni Aterni.

IVlianum Rodulphum familiarem tuum probum virum XXXV
& spectatæ virtute hominem multos iam annos bene cognitum, valde sane amo. Is quoniam nobis in primis idoneus visus est; qui Iuliam Medicis fratris mei rerum domesticarum curam administrationemq; susciperet; ipsum ei rei præfeci: speroq; fratri meo magno vsui eius virtutem &

probitatem fore. Quod te meis literis scire volui, eum vt intelligeres existimare me tibi nos non ingratum facere, qui familiaris tui opera nostris in rebus vtamur: tum vt certior fieres nobis illum tua causa etiam chariorem fore. Dat. viij. Id. Nouemb. Anno primo. Roma.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

XXXVI ALoisio Crepello Mantuano; cuius filio familiarissime vtor; à certis hominibus in tua diœcesi quædam pecuniæ summa debetur: quam nisi te adiuuante recuperarit; arbitratur se in perditis & desperatis habiturũ. Pergratum igitur mihi feceris; si dederis operam, vt Crepellus ad suum quàm celerrime perueniat: & cum ipsum, tum Franciscum eius filium omnibus in rebus tueberis. Probos homines & gratos & tua fide dignos clientelaq; cognosces. Datæ quarto Id. Nouemb. Anno primo. De Centumcellis.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER VI

Alfonso Ferrariensium Duci.

I OVANQVAM iniquum sanè fuerit ab huius Reip. Vicario eos homines, qui in eiusdem Reip. Imperio essent, captos, captosq; in custodia diu haberi: potuerimq; ipse Franciscum & Pasotum Fantutios ciues Bononienses captos à tuis custodiaeq; traditos reposcere absque iuris & iustitiæ via: petereq; vt eos in libertatem sine vlla mercede restitueres: volui tamen & pro nostra vetere necessitudine, & pro mea recenti charitate, qua te Pontifex Max. amplectitur, amantissimi hominis officio vti; hortariq; te id vt faceres: ad trq; non vnas literas ea de re dedi sperãs te ad id, quod æquitas ipsa postulabat, facile nobis hortantibus descensurum. Quæ res cum aliter, ac sperabã, ceciderit: teq; Pasotum quidẽ magna accepta pecunia missum fecisse; Franciscum verò in custodia & quidem dura etiã num habere intellexerim, deq; tua in illũ asperitate nihil omnino remisisse: æquius certe erat, & huius Imperij Maiestati conuenientius, nihil nos te amplius per literas hortari: ne toties eiusdem Imperij dignitas autoritasq; nostra nullius esse apud te ponderis momentiq; videretur. Quod quidẽ statueram facere: atq;, vt scis, iam planè faciebã. Verũtamen precibus tandẽ & lachrymis Franciscæ necessariorũ permotus idem illud etiã nunc scribo: absteq; vno verbo peto; vt pro tui Magistratus officio, proq; ea, quam nobis obseruantiam debes, Franciscum iã tandẽ patriæ restituas & suis: neq; patiaris eius hominis libertatem; quam tueri potius & defendere debuisses, aut impediri abste, aut vllo pretio emi. Id si feceris; iustitiam, pietatem, dignitatem meam tibi esse curæ non dubitabo: Si non feceris; & tu meam de te opinionem maxime falles; & ego de me deq; tota re tua. Dat. xij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Lucretiæ Ferrariensium Duci.

II NOn vnis literis Alfonso viro tuo Fantutios fratres ciues Bononienses honestos viros nostros homines commẽdauimus, vt quidẽ adhuc videmur frustra. Nam cum is eos captos à suis in custodia iam per annum habuerit: ego autem illum sæpius hortatus sim, Fantutios

liberaret; ne vel in viros egregios, qui nihil vnquam in sese deliquerint, agere inhumaniter; vel Ecclesiasticã libertatem comminuere; demum vt aliquid etiam nobis petentibus tribuere videretur: alterum quidem eorum, qui se magna pecunia redemit, patriæ atq; suis restituit: alteri autem neque de carceris incommodo, neq; de pecuniæ summa, quam ei ab initio condixerat, adhuc plane quicquam remisit. Itaq;, vt verum fatear, ægre molesteq; ferens parum apud illum pietatem iustitiam, Reip. dignitatem, parum etiam nostras literas valuisse; statueram nihil ei amplius ea de re scribere, indignum existimans me; qui illum & veteris beniuolentiæ & recentis Magistratus nomine multum sane amo; in re præsertim tam honesta tamq; plena egregiæ laudabilisq; pietatis, toties ab ipso frustra quicquam infructuoseq; petiisse. Sed vicit flexitq; me necessariorum Franciſci perpetua obsecratio: aiunt enim ita illum aduersa valetudine laborare; vt si paulo modo vlterius in custodia teneatur spiritus illum & vita sit relictura. Itaq; nos orant; ne illum miserum atq; se nostra, hoc est omni spe destitutos relinquamus. Quare id, quod sæpius à viro tuo petij; idem nunc etiam ab eodem per literas peto; vt & illorum obtestationibus atq; lachrymis, & rei æquitati, honestati, pietati, ipsi deniq; humanitati, qua induimur, satisfaciam; Franciscum Fantutiũ scilicet sine redemptione vti missum faciat: satisq; habeat eam, quam à fratre pecuniam accepit. Volui autem te etiam hortari & monere: quæ cum fœmina sis; tangi te pietate misericordiaq; duci verisimilius est: vt apud virum in re iustitiæ meaq; parteis amplectare atq; suscipias: eiq; persuadeas, nostris hortationibus morem gerere aliquando tandem in animum inducat suum: velitq; hominem se esse meminisse. Itaq; in homines durius, quàm ipsa humanitas postulat, ne agat. Deniq; cum Reip. Vicarium sustineat;

sciat indignum atq; iniquum sibi esse eiusdem Reip. homines capere, captosq; in custodia tandiu habere ipsa Repub. Pontificeq; Max. vt eos missos faciat, postulante. Nam quoniam supra mulierum captum te & prudentem, & plurimis maximisq; virtutibus ornatam omnes homines prædicant; non dubito, quin à viro tuo sis, quæcunq; voles, impetratura; à quo te amari ijs de causis vehementer existimo. Itaq; hanc tibi rem meo nomine remitto; vtpote qua huiusmodi causæ apud virum Internuntius esse aptior atq; coniunctior nullus potest: teq; ingenijq; tui bonitatem, qua excellis, ea cura oneratã magnopere volo. Id si feceris; quod te facturam pro tuo mirifico in nos cultu pietateq; confido; & mihi rem gratissimam teq; ac virtute tua dignam facies: & virum ipsum tuum magna calumnia liberabis. Ero etiam ipse tuis in rebus huius officij non immemor: diligentiamq; aliquando tuam sarciam. Dat. xij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

INtellexi Gulielmum Marchionem Montisferrati abste III accersitum Mediolani propediem futurum; vt de vestris rebus alloqui hominem possis. Fuit is mihi nuntius sane gratissimus. Qui enim & te vere paterna charitate sum cõplexus; & illũ propter eius plurima in nos, dũ Cardinalem gerebamus, officia, atq; in Romanos Pontifices perpetuam obseruantiã in meã fidem tutelamq; recepi: maxime opto; vt ea per vos fiant; qbus arcto inter vos planeq; duraturo amoris & beniuolẽtiæ fœdere deuinciamini. Quod tamen ipsum etiam pro ea volũtate, qua in omnes Christianos Principes sumus; quos quidẽ esse cupio inter se quàm coniunctissimos; est nobis, vt debuit iucundissimum. Eo autem ad te scribere sum aggressus; vt te hortarer; quo maior ipse es; quoq; tua

est & fortuna & dignitas excelsiore loco longeq; illustrio re positi; eo velles Gulielmum ad te venientem amantius liberaliusq; suscipere; atq; omni benivolentiæ ostensione itu tractare, vt se tibi plurimum debere fateatur. Id & ad tuæ ditionis securitatem propter vicinitatem locorum, & ad nominis dignitatem propter illius splendorem expectatio nemq; hominum erit aptissimum; mihi verò tam gratum, vt in me ipsum magnum aliquod egregiumq; beneficium te contulisse sim existimaturus. Datæ xij. Cal. Decembrib. Anno primo. Roma.

IIII Gulielmo Marchioni Montis ferrati.

PEr sanè gratum mihi fuit id, quod proxime intellexi; te Maximiliani Mariæ Insubrum Ducis hortatu ad illum brevi accessurum: vt is de vestris rebus te alloqui, ac tecum, quæ ex vsu vtriusq; vestrum sint, commode constituere possit. Nam qui propter plurima tua in me Cardinalem familiamq; meam officia, & in Romanos Pontifices egregiam voluntatem magnopere te amo, valde cupio, vt ea per vos statuantur; quibus summa inter vos benivolentia perpetuaq; coniunctio sit futura. Quod quidem pro Ducis natura optimisq; moribus fore confido: vtq; fieret; quod ad illum attinet; eum per litteras sum hortatus. Absite autem etiam atq; etiam peto; primum vt; si te itineri nondum dedisti, pergas Maximiliano ea in re morem gerere; libentissimoq; animo te ad illum quamprimum conferas: deinde vt des operam, cum illò veneris; vt is te non minus voluntate animi tui, quàm locorum vicinitate, sibi esse coniunctum cognoscere atq; profiteri possit. Id erit mihi pro ea; quàm votis omnibus semper concupiui; Christianorum Principum vnanimi voluntate constituenda, iocundissimum Dat. xij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Regii Lepidi Magistratui.

DEmonstratum mihi est Ioannem Petrum Gonzagam Nuuolariæ Comitem, rebelles meos Regienses homines suum in oppidũ recepisse. Id si ita esse compereris; meas ad illum literas, quas vnà cum his literis accepisti, quamprimum mittes. Earum exemplũ has in literas conieci; vt tuas apud illum postulationes ad earum sensum accommodare atq; aptare possis. Summa est; cures omni diligẽtia desq; operam; vt eos habeas, & quemadmodum meriti sunt, mulctes ac punias. Dat. viij Cal. Decemb. Anno primo. Roma. V

Ioanni Petro Gonzagæ Nuuolariæ Comiti.

EX literis optimorum virorum intellexi id; quod sanè credere pro mea in te vetere benivolentia vix ægreq; potui; te meis rebellibus Regiensibus tuo in municipio receptum ac perfugium dedisse. Id si ita est, te nõ solum moneo atq; hortor, sed tibi etiam præcipio ac mando; vt quotquot ex illis tuis in locis habes; eos omnes Regij Magistratui tradas: qui autem posthac ad te venerint; eos ne recipias; sed expellas: ne conqueri de te meritò & magna cum causa possimus. Dat. viij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma. VI

Magistratui Bononiæ Polæ Episcopo.

DEderunt ad nos literas ij, qui publicè bonas arteis Pisto in oppido profitentur; mores atq; consuetudines illo in ludo cõstitutas magna ex parte remitti & negligi; sic, vt neq; horæ profitẽdi, neq; conuentus differentiũ, neq; Magistrorũ immunitates, atq; comitia haberi solita custodiantur. Eam ego rem, vt debui, ægre molesteq; tuli; qui ludum istum esse quàm ornatissimũ cupio. Mando VII

igitur tibi; vt omnibus professoribus imperes; vt leges atq; consuetudines vsquequaq; tueantur; nihilq; prætermittant eorum; quæ tum fieri assolent; tum discipulorum vtilitatem atq; commoda continent. Qui non fecerit; ei salarium auferri, & in ærarium inferri iubeto. Dat. viij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Antonio Cardinali Bononiensi.

VIII

CErtior factus Bentiuolos fratres suarum rerum recuperationem iuxta literarum sententiã, quas ad Alotobellum Polæ Episcopum Bononiæ Magistratum dedimus, assequutos nondum fuisse: te & moneo & hortor; des operam, incumbasq; in eam rem, vt omni ex parte ea recuperatio meis ex literis conficiatur; neq; vlterius à quopiam vllo nomine differatur. Quam sententiam voluntatemq; meam XL. viris Bononiensibus denũtiabis: eosq; meis verbis admonebis, si mihi rem gratissimam facere volent, eiusmodi confectionem ne impediant. Dat. viij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

IX

EX litterarum Octauiani Genuensium Ducis illiusq; oppidi Decurionem ad nos exemplo; quo in loco eius ciuitatis res sint propter illorum audaciam, qui perturbare eam armis, collectisq; exercitibus omnia permiscere aggrediuntur; facile perspicies. Ea res cum nihilo sanè minus Ferdinandi Regis tui tuamq; dignitatem; quorum auspiciis is, qui nunc viget, eius vrbis status magna cum omnium ciuũ voluptate fuerat constitutus; quàm nostram ipsorum, qui municipium illud in fidem & clientelam recepimus, diminuere labefactareq; videatur, hanc mihi operam sumpsi, vt curarem, vt eorum te nihil lateret. Quæ cum erunt abste intellecta & cognita; tui cõsilij erit, perferre ne

ac perpeti velis tantam indignitatem; vt paucis Galliæ Cisalpinæ rebus reliquis, quæ turbari fortasse poterant, planè iam constitutis; teq; prope vno in Italia paratissimum exercitum habente; cæteris aut superatis, aut communi sententia bellum tecum administrantibus; tamen sint; qui vrbem Genuam in tuã nostramq; fidem receptam oppugnare audeant sub oppidi prope iam mœnibus atq; ipsas ad portas positis castris. Equidem, quod ad me attinet; eos, vnde illa, de qua loquor, armatorum hominum manus ad quietem eius oppidi auertendam comparari audiebatur; propterea quod eum rerum motum totius Italiæ res turbandi & permiscendi, ac bellum maximum excitandi, nouasq; res moliendi afferre mitium existimabam; non vnis vel literis, vel certis missis hominibus monui, ab incepto desisterent; præsentemq; eius vrbis statum meæ fidei commissum & traditum ne vexarent, existimans ipsos hortatu meo facile quieturos; præsertim cum scirent in eo non minus Ferdinandi Regis, quàm meum nomen dignitatemq; conuelli & conteri. Triremes etiam meas eam ad vrbem tuendam misi. Nunc verò cum neq; nostræ neq; Regis tui dignitatis Maiestatis nominis vlla ab ipsis ratio habeatur; æquum est te, qui exercitui lectissimo atq; fortissimo præes, eiusdem cum Regis, tum nostras, tuas deniq; ipsius partes suscipere; omnesq; nos, teq; in primis ab iniuria tam insigni præterre vindicaturum; ne te nominisq; tui amplitudinẽ partamq; iam gloriam contemnandam quispiam posthac ducat. Quis enim tuæ se Regisq; tui fidei creditum tutum securumq; existimabit; si Genuæ status tuis armis constitutus tum, in Regis tui fidem receptum viderit vel peruerti, vel labefactari? Quamobrem incumbe in eam cogitationẽ, sensusq; tuos omneis atq; animũ excita; vt oppidũ egregium; cuius oppidi otium cæteris Italiæ oppidis quieti, bellum

tumultui esse maxime potest; ab imminenti hostium perículo tua diligentia, consilio, autoritate, armis etiam si necesse erit; quæ quidem arma hoc tempore tibi præcipue parent; tuis deniq; opibus eripiatur. Quod vnum & Regi tuo sempiternam gloriam pariet: & mihi tam erit gratum; vt me tibi ea de causa plurimum debere sim existimaturus: tibi certe ipsi nominiq; tuo magnum sane splendorem, magnam autoritatem afferet. Dat. septimo Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Episcopo Ceruiæ Cesenæ Magistratui.

X MAndo tibi; vt apud te meo nomine adserues nummos aureos mille; quos habes reliquos ex rationibus Saluatoris; qui nuper mortem obiit, cum vectigalia Flaminiæ administraret. Quarto Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Francisco Mariæ Vrbinatium Duci.

XI VAlde mihi ea omnia probantur; quæ ad Fani Fortunæ municipum quietem spectantia per tuos ad me homines perferre voluisti, cum in persoluendo salario Bernardo Cardulo; qui procuratorem meum eo in oppido proxime gessit; tum in restituendis Francisco Alexandro Cesenati iis, quæ ei ratione Spoliorum debentur. Quare volumus vt sic fiat; quemadmodum ipse consulis: scilicet vt Cardulo nihil persoluatur vltra id, quod tu ei curari iussisti: Alexandro autem quæ debentur, restituendi ea ratio adhibeatur; quæ tibi esse commodior ad otium eius oppidi videbitur: Mando etiam Episcopo Policastrensi Fani Fortunæ Magistratui, vt ex tua sententia vtranq; rem administret. Dat. iij. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Heluetiis, qui apud Genuam sunt.

NOn sane quini pro Reip. læsa spretaq; Maiestate XII uon permoleste ferre, vos; qui eiusdem Reip. libertatis propugnatores acerrimi nouissimis his temporibus semper fuistis; atq; ab ea magno in honore habiti præclara ipsius erga vos atq; illustria beniuolentiæ amoris necessitudinisq; signa monumentiq; accepistis; ad præsentem Genuæ statum & Octauiani eius ciuium Ducis quietem conturbandam collecto exercitu armatoq; accessisse: cum multo antea intellexissetis à meis missis ad vos ea de re Internuntiis, ipsum Ducem fratremq; eius Federicum Archiepiscopum Salernitanorũ in meam fidem fuisse receptos. Quamobrem Fabritium familiarem meum magnis itineribus ad vos his cum literis mitto: vt is vobis ea, quæ mihi æqua & iusta magnopere visa sunt super ea re, nuntiet meis verbis: cui fidem habebitis. Summa omnium est: vt sine vlla mora & à Genua exercitum abducatis; & nihil agri Ligurum vastatum, nihil villarum incensum relinquatis. Id si feceritis; de mea in vos beniuolentia nihil remittam: quam omni à me quidem officiorum cultum genere, quoad ipsi volueritis, conseruabo. Dat. prid. Cal. Decemb. Anno primo. Roma.

Pontis Curui Magistratibus.

SCribitur ad nos vestrorum hominum magnam ma- XIII num ad Arcem Guilelmam incursiones feciße; perq; eius oppidi agrum depopulabundam prædabũdamq; fuisse vagatum. Id quàm alienum sit à mea cum in omnes homines, qui nostro in Imperio sunt, tum vel maxime in Franciscũ Mariam Vrbinatiũ Ducem nostrarum copiarum Imperatorẽ volũtate, ipsi per vos scire cogitare q; debebatis: neq; quæ iniquissima sunt, grauissimasq; animaduersiones

merentur; tam audacter tamq; temere admittere. Quare vobis ea lege, quæ de Maiestate est, præcipio & mando Primum quidem, vt ab omni non modo incursione & præda direptione ve eius municipij atq; omnino agri; sed etiã tum à rerum Arcis Guilelmæ, tum ab hominum quantulacunq; læsione offensioneq; prorsus abstineatis. Deinde etiam si reliquorum ei municipio vicinorum hominum vllæ manu aut in idem oppidum, aut in reliqua eius Ducis oppida incursiones facere volent; quantum in vestris opibus erit positum, ea vniuersa omni ab iniuria tueamini; eisq; auxilium, quo se defendere & tueri possint, diligentissime amantissimeq; subministretis. In quo ipso ne studia officiaq; vestra vlla ex parte à nobis desiderentur, vt curam adhibeatis; eadem lege cõmittenda vos moneo. Dat. tertio Id. Decemb. Anno primo. Roma.

Ant. Cardinali Bononiensi.

XIIII Peto abste, & quidem valde peto; vt quoniam Baldassare Mediolanensi municipe tuo viro & probo & pereleganti multos iam annos familiarissime vtor; desperam; vt is inter illos admittatur; qui idonei sunt, vt ad Magistratus Bononienses gerendos recipiantur. Dat. Id. Decemb. Anno primo. Roma.

Gulielmo Marchioni Montisferrati.

XV Et amauimus te antea, dum Cardinalem gerebamus, omni tempore: amari enim nos familiamq; nostram à te sciebamus: & nunc quidem, cum mihi nihil merito Pontificatum Maximum contulerit Deus, paterna te benivolentia atq; intimo amoris & charitatis meæ sinu complector atq; contineo. Est enim mihi exploratissima tua tuorumq; maiorum in Romanos Pont. obseruantia & fides:

quæ

quæ te mihi præter eam, quæ me prosequeris, pietatem commendatissimum faciunt. Itaq; sic velim existimes; te tuosq; omneis, vxorem, liberos, fratrem mihi magnæ curæ esse, Idq; vt omnes homines intelligant, nos si erit opus, operam & studiũ libentissime posituros. Porrò quæcunq; ad tuam incolumitatem, quæcunq; ad ditionis tuæ tuorumq; populorum & tuarum rerum omnium conseruationem pertinebunt; in ijs tibi nunquam deero: neq; te, vti de hoc Imperio deq; me optime meritum, & in meam initio Pontificatus fidem tutelamq; animo libentissimo receptum; lædi à quoquã, quoad potero, patiar. Dat. xi. Calend. Ian. Anno primo. Roma.

Ferdinando Hispaniæ Regi.

INtellexi te Petro Cardinali Anconitano fructus Eccle- XVI siæ Gaditanæ retineri mandauisse. Quæ mihi res & pro meo in illum fraterno amore, & pro eius in rem Romanam plurimis maximisq; promeritis non paruam sane molestiam attulit: præsertim cum perspectissimum mihi sit eum tui studiosum semper fuisse; tuasq; res, dignitatem, gloriam, rebus omnibus antetulisse. Quare te hortor; neq; hortor solum, sed etiam peto abste diligẽtissime, velis Ecclesiæ Gaditanæ prouentus Cardinalis procuratoribus remittere: quod erit mihi tam gratum, quàm quod gratissimum. Cæterum polliceor tibi, in meq; recipio; reliquis in rebus, quas cum eo tractas, quemadmodum voles ipse, sic plane fore. Dat. ix. Calend. Ian. M D XIII Anno primo. Roma.

Internuntio Hispanensi Episcopo Cõsentino.

EXemplum literarum, quas Ferdinando Regi scribi- XVII mus postulantes vt is Ecclesiæ Gaditanæ fructus interdictos à se Cardinalis Anconitani procuratoribus

remittat; habuisti cum his literis. Mando autem tibi; vt apud eum agas, cures, enitare; vt res quemadmodum volumus, conficiatur: in quo nihil prætermittes, si mihi rem gratissimam voles facere, neq; diligentiæ, neq; studij, neque plane laboris. Est enim mihi permolestum; Cardinali de Rep. deq; nobis optime merito in colligendis Ecclesiæ suæ fructibus negotium fieri. Nam quod ad eas res attinet, quibus tu de rebus ad me scripsisti; certiorem facere Regem poteris, me curaturum; vt quemadmodũ ipse postulat, sic aptentur. Dat. nono Cal. Ianu. Anno primo. Roma.

Federico Archiepiscopo Salernitanorum.

XVIII Vstissimis me causis impellentibus mando tibi; vt quem habes sacrorum tuorum in Ecclesia Salernitana Vicarium; eum quamprimum amoueas ab administratione illa & loco: teq; id meo iussu facere neque ipsi, neque cuiquam patefacias. Dat. quinto Calend. Ian. Anno primo. Roma.

Bononiæ Magistratui Polæ Episcopo.

XIX Mando tibi; vt ex ijs ducentis peditibus, qui sub Rainaldo Gaytoprætorij Præfecto istic merẽt L. milites eximas: quorum stipendium in alios milites tot numero, quot tibi & XL. viris satis esse videbuntur, per vos delectos transferatur: quibus militibus ea mãdetur cura, isq; præficiatur; quam curam esse ex vsu istius vrbis, quemq; Præfectum ei rei fore idoneum iudicabitis: itu sane; vt posthac Rainaldus CL. milites tantummodo habeat, quibus imperet: illi autem, qui per vos deligentur, tibi & XL. viris obediant præstoq; sint suo cum Duce. Dat. iiij. Cal. Ian. M D XIII Anno primo. Roma.

Octauiano Duci Genuensium.

VEniunt ad vrbem atq; ad nos è Gallia Transalpina sacerdotes aliquot honore & dignitate præditi, tollendi schismatis causa, seq; cum sacro Lateranensi Concilio reliquorum illius Ecclesiæ sacerdotum nomine coniungendi: quibus obuiam mitto eum; cui has ad te literas dedi; viatorem meum: qui cum tutius atq; securius accedere Romam possint. Quare abste peto, des operam nõ solum vt ij sine vllo impedimẽto per tuæ ditionis loca iter faciant: sed etiam vt à tuis & amice & liberaliter excipiantur. Dat. Cal. Ian. M D X IIII Anno primo. Roma. XX

Petro Bibienæ apud Venetos Internuntio.

INter cos, qui meo stipendio aluntur, est Augustinus Coppus istius Vrbis ciuis & multum terrarum peragratus, & omnis laboris experientissimus; tum & industrius & elegans & plane comis, & mihi certe gratus. Is quoniam à patria sua in exilium missus multos iam annos externis in locis duriter & laboriose confecit; cupitq; quàm maxime, vt sibi redire ad lares suos liceat; mando tibi; vt Leonardum Lauredanum Principes q; ciuitatis adeas; horteris q; meis verbis, velint rogatu meo Augustinum ab exilio restituere: eisq; persuadeas; vt exemplo Domini; qui quidem delinquentis pœnitentiam, quàm mortem maulit; ea in re pietate potius & misericordia, quàm vindicta vtantur. Quod quidem tametsi pro istius in me Reip. voluntate facile me assequuturum confido: volo tamen vt eam rem diligenter adminstres; ostendas q; Senatum istum mihi plane gratissimum facturum; si in Augustino ad patriam reuocando mitem se liberalem q; præbuerit. Tota autẽ de re quid geris; facies me quamprimum tuis literis certiorem. Dat. prid. Non. Ian. M D X IIII Anno primo. Roma. XXI

Maximiliano Imperatori designato.

XXII

ETsi & animo semper agitaui ex eo tempore, cũ Pontifex Max. creatus sum; vt pro Reip. Christianæ otio communiq; bono te ab armis, ab ardore animi, ab odio exercendo cum ijs, quos hostes tuos appellas, Christianis Regibus atq; Principibus, ad pacem atq; amicitiam reuocarẽ: & posteaquam Matthæus Cardinalis Gurcensis Vicarius rerum Italicarum tuus prudens excellensq; vir Romam se contulit, cum eo sæpius eadem de re sum loquutus. Tamen quoniam ijs diebus fratres mei E. R. Cardinales non solum separatim, vt cuiq; vsui fuit; quod sæpe antea fecerant: sed etiam vna omnes atq; palam nos eadem de re multo diligentius atq; accuratius monuerunt, veriti ne si paulò modo vlterius nostrorum Principum discordiæ inter eos viguissent; Christianam Remp. bellis ciuilibus debilitatam validissimi hostes nostri Turcæ adorirentur atq; opprimerent; qui tractare arma, parare exercitus, classem conficere audiebantur: idem nunc quoq; mihi tecum per literas multo accuratissime agendum esse contendendumq; existimaui: præsertim cum & nonnullorum Regũ ac Principum querelæ accesserint literis eorum & nuntijs ad nos perlatæ, petentium, ne Christianos populos nostræ curæ fideiq; creditos diutius inter se concurrere collidiq; sineremus: & ipse Italiæ deuastatæ prope ac desolatæ vocibus & quasi lachrymis excitet; vt de grege Domini passim pereũnte ac se conterente solicitus nihil non curæ in eo continendo conseruandoq; adhibeam, nihil remittã laboris. Itaq; te & moneo & hortor & plane etiam atq; etiam rogo per Dei Opt. Maximi nomẽ; à quo tuo sanè nomini dignitas omnis Maiestasq; accessit: per sedem hanc Christianæ Reip. cuius vnius tuendæ cogitatio ad te maxime omniũ atq; iustissime

pertinet: per tot sanctorum virorum humati hac in vrbe atq; tellure corpora; qui multos labores, multas ærumnas pertulerunt, multum etiam sanguinis instituendis nostris sacris augendisq; profuderunt; vt ad pacem cum tuis hostibus ineundam animum & cogitationem tuam des; eamq; de sedibus deq; populis Domini prope expulsam, te quidẽ certe implorantem ne aspernere: præsertim si æquas illam ad te conditiones afferre perpexeris. Quam certe in sententiam adduci eo facilius debes; quo laudabile illud propositum animi tui, qui cum in primis ad arma prosiluisti, vt libertatem ecclesiasticam audacia nonnullorum violatã communitamq; defenderes, dignitatem nostrã ab iniuria vendicares; suos iam exitus habet: hostesq; tui Dei munere ac tua incredibili virtute tuorumq; fœderatorum auxilio positis animis contumacibus ad huius Reip. cultum & obseruantiam humiles accesserunt. Certe quemadmodum te bello imperterritum atque inuictum adhuc quidem omni tempore præstitisti: ita optimis consilijs tractabilem dari nunquam te; erit non minus prudentiæ tuæ quàm illud fuerit fortitudinis. Meminisse etiam debes; cum omniũ Christianorum Imperatorem geras; datum te à Deo esse quasi tutorem eius populis: vt non tam tibi cogitandum sit, quos vincere atq; subijcere tuæ ditioni possis; quàm vt omnes esse incolumes te procurante confpiciantur. Deinde quo maior ipse excellentiorq; es; eo te decet omnibus hominibus faciliorem commodioremq; esse; benignitatemq;, non implacabilitatem; oblitionem iniuriarum, non vindictam; liberalitatem non potentiam exercere: neque tam quærere, quibus artibus latiores Imperij tui fines habeas; quàm quibus virtutibus gloriam tui nominis extendere, hominumq; in te beniuolentiam augere atq; amplificare melius atq; facilius possis. Quamobrem, vt ad illud redeam, quod initio dixi; rogo

obtestorq; te, primum quidem, vt animum tuum ad pacem inter omnes Christianos Principes conciliandam applices: Deinde vt te ad eas pacis conditiones cum tuis hostibus deducas; quæ si non tales erunt, quales ipse voles maxime; sint tamen eiusmodi; vt qui te summopere diligunt, non esse eas abste reiiciendas putent. Cruentari enim gladios, vastari prouincias, oppida diruí; quæ quidem mala cum belis semper coniuncta sunt; exerceri deniq; inter Christianos Principes tam acerbas contentiones, non solum Reip. Christianæ periculosum est; sed ne illis quidem ipsis, qui eas exercent, non triste, non miserum, non fugiendum. Id si ipse per te feceris; planè confido reliqua bella omnia in vniuerso eiusdem Reip. Imperio, omnibus hominibus tuum ipsius præclarum factum respicientibus, facile quietura: quiq; nostris ceruicibus imminens hostis noster perpetuus Turca, deq; nostris seditionibus incredibilem lætitiam capiens nos eam ob causam à sese facilius debellatum iri spem non dubiam alit; vel se intra suos limites continebit; vel nos vnà in redimendis à seruitute Christianis gentibus conspirantes aliquando victores sentiet. Me quidem ipsum; qui te vnice atq; summopere amo; fratrumq; meorum Cardinalium collegium, vel potius Christianam rem vniuersam tibi egregie atq; in omne tempus deuincies. Dominus autem; vt est in remunerando benefacta hominum largus; quicquid hac in re atq; hoc tempore amore sui me hortatore tuis hostibus remiseris; tibi nominiq; tuo Augusto reliquis tuis in rebus postulatisq; decupla mensura atq; centupla saraciet. Dat. quinto Cal. Ian. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Singulis iis, qui creandi Imperatorem ius habent.

A d primas Electores.

EXemplum literarum, quas ad Maximilianum Imper. dedimus; quibus eum ab armis, à bello, à contentionibus cum Christianis Principibus exercendis, ad pacis studia cogitationemq; reuocamus; habuisti eũ his literis. Ex eo curam in ea re nostram, diligentiam, studium, pietatem deniq; quam adhibemus, vt eius cæterorumq; Principum animi pacem ineant; facile perspicies. Quare cum te plurimis legitimisq; de causis magnæ esse apud illum autoritatis exploratum habeam; nec dubitem, quin pro tua virtute animiq; temperantia, proq; officio optimi prudentissimiq; Principis te quoq; communia Christianorum populorum mala vel præsentia, vel etiam impendentia commoueant; prorsus vehementer etiam atq; etiam abste peto, vt meas apud illum hortationes literis, postulationibus, Internuntijs, per te ipsum deniq;, si fieri poterit, & quantum poteris, iuues. Planè enim cum in eo, qui tuos conatus adiuuabit Deus; tum in tua diligentia, prudentia, autoritate, spem maximam habeo, fore, vt ab illo sis quæcunque voles impetraturus, tam iusta præsertim in re atq; causa; quæ quidem id agit; vt Christiani sanguinis, quem exhauriri profundiq; tam largiter his temporibus perditis atq; miseris vidimus, aliquando tandem ratio habeatur; resq; Christiana publica vel neruos atq; vires resumat, proferatq; in dies sese; quod erat sanè cõuenientius; vel ne perpetuis nostris hostibus ludibrio internecioniq; dedatur. Id si tu quidem fili mihi animoq; meo pergrate, quantum in te erit, confeceris; & Dei causa per te sustinebitur; & me beneficio tuo deuincies; & tibi ipse gloriam paries sempiternam. Dat. quarto Cal. Ian. M D XIIII Anno primo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum Internuntio.

XXIIII EX literarum exemplo; quas & Maximiliano Imper. designato & ijs, qui Imperatorem creandi ius habẽt, dedimus; ea, quæ de pace inter Christianos Principes concilianda ad eos scribimus, intelliges, quæ quidẽ exemplа atq; ipsæ etiam nostræ ad eos literæ tibi redditæ sunt cum his literis. Volo autem, primum quidem, vt eas literas ijs, ad quos datæ sunt, quamprimum quamq; diligenter cures reddendas & perferendas: Deinde vt quantum in te erit, omnino studio, diligentia, labore, omnibus animi tui sensibus rem consiliumq; nostrum apud eos singulos iuues; nihilq; omnino prætermittas, quod ad persuadendam Imperatori concordiam & pacem esse vsui & aduměto possit: nullaq; te in re existimes æque gratũ nobis facere posse; quàm si hac in re id, quod volumus, confeceris. Dat. quarto Cal. Ian. M D X I I I Anno primo. Roma.

Vladislao Regi Pannoniæ.

XXV SCripsimus & Maximiliano Romanorum Imper. designato, & Ferdinando Hispaniarum Regi, & Henrico Regi Britanniæ diligentissime: qui quidem Reges nonnullis cum Regibus & Principibus Christianis bellum gerunt: eosq; pro nostri muneris officio ac propensa in rem Christianam pub. voluntate hortati sumus; vt ab armis inter se exercendis; quæ sane diutius, quàm oportebat tractata vibrataq; viguerunt; ad pacis aliquando tandem studia conuerterentur. Nam præterquam quod plurima semper cum bellis mala calamitatesq; coniunctæ sunt; id etiam plane timemus; ne cõtritis Christianæ Reip. per eiusmodi odia contentionesq; neruis atq; lacertis, totoq; corpore debilitato, validissimi hostes nostri perpetui Turcæ nos adoriantur, atq; opprimant: qui Ducem audacissimum Selimum Regem

nacti tractare arma, parare exercitus, classem conficere dicuntur; vt nos dissentientes labefactatosq; perfundent; seq; nostris ceruicibus imponant. Ad hæc accesserunt perpetuæ fratrum meorum E. R. Cardinaliũ idem prope verentium & respicientium iam ab initio nostri Pontificatus agi cœptæ postulationes: qui sane diligenter non solum secreto aut separatim, sed etiam publice atq; frequentes sæpenumero nos admonuerunt, curaremus, ne vlterius Christiani inter se populi concurrerent. Certi etiam Reges atq; Principes per literas ac per Internuntios, vt eam curã cogitationemq; susciperem, pacemq; inter dissidentes conficerem, multis me precibus rogauerunt: quos quidem cõmune periculum solicitat; quiq; magnopere ne hostibus nostris lætitiæ simus atq; ludibrio, pertimescunt. Quas ob res omnes cũ ad eos Reges, quos supra cõmemoraui, diligenter scriptas literas dederim: te etiã & monere & hortari volui; vt eisdem Regibus ipse quoq; in eam sententiam scriberes; hominesq; tuos mitteres, qui eos ad pacis studia cogitanda susciendaq; hortarẽtur. Quod tu quidem certe facere eo diligentius debebis; quo periculo es proximior; teq; ipsi Turcæ his tẽporibus primum omnium ex Christianis Principibus delegerunt; in quem inuaderent, quemq; debilitare ac proterere conarentur. Id vt facias, non solum quia tua interest; sed etiã quia omnium, & quòd maxime in eo rei Christianæ dignitas Maiestasq; defenditur; abste etiam atq; etiam peto. Dat. iij. Cal. Ian. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum Internuntio.

REuertitur istuc ad Maximilianũ Imper. designatum XXVI Antonius Cominatus mihi multis de causis valde charus: qui cum multa & tecũ cõmunicanda, & Maximiliano significanda sum loquutus. Quibus in omnibus ei

fidem habebis: quæq; illi mandata dedimus; ea tua prudentia & diligentia reddes faciliora. Quinetiam vna cũ ipso, si tibi opus esse videbitur, ad Imperatorem te cõferes: resq; communi consilio nostras administrabis. Dat. vij. Id. Ian. MDXIIII Anno primo. Roma.

Maximiliano Imperatori designato.

XXVII CVm intelligeremus Antonium Comitatum, quem ad nos miseras, abste accercitũ redire ad te; sciremusq; eum abste amari: nos verò ipsi vel propterea quod abste diligitur, vel propter eius singularem virtutem, hominem diligeremus: multa cum eo communicauimus; quæ conducere ad commune vtriusq; nostrum commodum dignitatemq; his temporibus magnopere videbantur. Illum igitur audies, nosq; diliges. Dat. septimo Id. Ian. MDXIIII Anno primo. Roma.

Bononiæ Magistratui.

XXVIII QVoniam certior factus sum, his diebus eiusmodi motum istic animorum fuisse, sic ad arma cõcursum esse; vt mirum propemodum fuerit, plurimorum ciuium cædem & optimorum virorum interitum non fuisse consequutum: mando tibi; vt cum aliquid excitari audieris inter istos ciues; edicta grauissima constanter atq; intrepidè proponas; operamq; des, vt omnes te homines timeant, autoritatemq; vereantur tuam: ne tibi quisquam illudere, vel nostræ potus dignitati tuo sub nomine audeat: sed tibi pareant; hoc est nobis, quorum tu munus in isto Magistratu geris. Itaq; volumus; vt omnia agas, cures, præuideas; ne armatorum hominum conuentus à quopiam excitentur. Et si verum esse compereris, quod à nonnullis afferetur, Antonium Volteium eius, de quo dixi, tumultus atq; motus causam occasionemq; dedisse; acriter eũ reprehẽdes,

monebisq; ab armis se abstineat; ne grauius aliquid in illum decernere vel inuiti compellamur. Dat. sexto Id. Ian. MDXIIII Anno primo. Roma.

Antonio Volteio Bononiensi.

INtellexi magna quidem certe cum molestia; eius tumultus, qui proxime isto in municipio excitatus parum abfuit, quin maximorum malorum & plurimorum ciuium cædis initium fuerit; te autorem extitisse. Ea res, quo te magis diligo, eo me acrius vehementiusq; commouit cum tua ipsius causa; quem esse iustum & temperantem pacisq; cupidum & studiosum maxime conuenit: tum propter istius vrbis otium; quod tueri omnibus modis debeo. Quamobrem te hortor, vel potius mando tibi atque impero, omni studio & diligentia caueas ab eiusmodi motibus excitandis: ne iste de te conqueri, ne ve in te grauius aliquid decernere atq; statuere cogamur. Dat. vi. Id. Ian. MDXIIII Anno primo. Roma. XXIX

Bartholomæo Aluiano Venetorum exercituum Præfecto.

QVæ ad me perferri per Dominicum Malium Interruntium tuum probum hominem curauisti; ea mihi planè gratissima fuerunt. In ijs enim & tuã erga me familiamq; meam veterẽ beniuolentiam agnoui, & illa tua multarum rerum experientia, prudentia, consilium; ex quibus ea manabant, & quorũ plena Malij oratio fuit; non mediocrem mihi voluptatem attulerunt. Itaq; ea de re atq; cura; quam sumpsisti, vt cogitationes tuas mihi notas faceres; valde te amo. Quæ quidem à me omnia diligenter considerabuntur: daboq; operam; quoad potero, temporaq; patientur; ne frustra laborem sumpsisse videare. Quod XXX

ad Iouis oppidum attinet: tibi quidem satis libentissime fecissem; si modo aliquo potuissem. Sed res est planè perplexa, sic; vt explicari hoc tempore non possit: quemadmodum ab ipso Malio intelliges. Reliquum est; vt te nobis esse charissimum tibi persuadeas: tuaq; omnia nobis magnæ curæ esse, ac semper fore. Dat. quinto Id. Ian. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XXXI

AMaui, quod te scire non dubito, quoad vixit, Antonium Cardonam Marchionem Padulæ gentilem tuum, cum propter eius plurimas egregiasq; virtutes; tum quod me singulari obseruantia prosequebatur. Eius vxor vidua proba sanè nobilisq; mulier propinqua mea, quod dotis reliquum sibi debetur, & præterea portionem illam, quam lege petere viduæ mulieres in Regno Neapolitano solent, per procuratores suos dari sibi ex mariti testamento postulat: cupitq; maxime, ne impensis conteratur, ius abste suum quàm celerrime consequi. Quare abste peto; eius fœminæ causam fortunasq; omneis, quæ hoc in negotio maxime versantur, habeas meo rogatu quàm commendatissimas; velisq; pro tua in nos obseruãtia dare operam; vt quod ei iure competit, de eo mulieri, à quibus debetur, integre ac sine dilatatione satisfiat. Erit id & viduarum nomine, quæ præcipuæ subleuãdæ sunt, sanè pium, & nobis apprime gratum. Dat. iiij. Id. Ian. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Marchioni Brandeburgensi.

XXXII

REuertentibus ad te legatis tuis probis viris has ad te literas dedi: quibus tibi significarem me illos tuo nomine à te venientes, consiliaq; tua nobis ostendentes & libentissime vidisse, & non semel audiuisse; tuisq; & fratris tui postulationibus omni ex parte satisfecisse. Amo enim te; atq; illum; tantiq; facio; quantum vtriusq; virtus atq; dignitas postulat; hoc est plurimi atq; maximi. Itaq; existimare te planè volo, & pro tuo, maiorumq; tuorũ in Remp. cultu, & pro ea, qua nos ipse pietate prosequeris; quæ ad te dignitatemq; tuam pertinebunt; ea nos æque, ac si de nostro ipsorum commodo ijs in rebus ageretur, quàm commẽdatissima semper habituros. Dat. quarto Id. Ian. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Proregis Neapolitani Vicario.

CVm maxime nostra interfit, vt Franciscus Mariani Scortij filius ciuis Romanus, quem esse Capreis intellexi, mihi dedatur: te etiam atq; etiam hortor; des operam; vt eum, quanto celerius fieri potest, habeas in custodia semoto aliquo & secreto in loco. Id si feceris; quod vt facias, magnopere abste peto; spondeo tibi, te in eo non solum mihi, sed Regi etiam tuo rem gratissimam esse facturum. Totu autem de re quid egeris, facies me quàm diligentissimum certiorem. Dat. xix. Cal. Feb. M D X I I I I Anno primo. Capranica. XXXIII

Parmæ Regiiq; Lepidi Magistratui.

EGregiam mulierem Paulam Gonzagam paterne amo vel propter eius probitatem & mores vidua fœmina dignos, nobilitatemq; generis; vel quia soror est Alberti Pij; quem scis apud me Maximiliani Rom. Imper. design. Legatum agere; doctissimi præstantissimiq; viri; quemq; ipse vnice diligo. Itaq; certior factus illam maxime cupere impetrare à me Monticulum oppidulum, quod in agro Regiensi est, eam ob causam tantummodo; vt habitare in eo suis cum mulieribus possit; vitamq; cœlibem, quam degit, commodius atq; honestius ducere: mando tibi; XXXIIII

vt Paulæ oppidum Monticulum, ædesq; oppidi des; quibus vtatur: diligentiamq; adhibeas; vt eas vacuas, cum vti volet, habeat. Dat. xvij. Cal. Feb. M D X I I I I Anno primo. Thuscanella.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XXXV Allatum ad nos est; quod quidem nobis molestissimum fuit; quàm indigne præterq; morem sacrorũ hominum & virorum religiosorũ Cisterciensis societatis monachi aliquot istic nuper se gesserint: qui conducta armatorum hominũ manu monasterium Ambrosianum maius eiusdem societatis noctu aggressi portas vi fregerunt; Basiliumq; Casatensem eius monasterij Præfectum comprehenderunt, comprehensumq; secum abduxerũt. Ea res cum maximam inter omnes monachos perturbationem pariat, cum audaciæ nouitate scelusq; ipso, tum verò etiam exemplo; quin tibi quoq; summopere displicuerit pro animi tui iustitia & pietate, plane non dubito. Qua de re tota quid nobis statuendum sit; mature considerabimus; tibiq; persc̃ribemus. Nunc autem quia periculum est, ne inter istos armatorũ discursus atq; licentiam aliquis improbus, vt sunt multi, ad horrea monasterij Clareuallensis eiusdẽ societatis atq; ad supellectilem animum adijciat; quæ quidem supellex perluculenta peregregiaq; est; eamq; appetat atq; diripiat: te magnopere hortor, mittas illò religiosos viros vnà cum tuis militibus; qbus mãdes, dent operã: nẽ quid omnino ex monasterij rebus atq; ex ea supellectile vniuersa, maximeq; argentea depereat. Dat. xi. Cal. Feb. Anno primo. Grauiscis.

Magistratui Sinuessano.

XXXVI Amo sane quidem paterne Aloisium Sinuessanũ familiarem meum: eiusq; opera & fide meis in rebus quotidie vtor. Quamobrem patrẽ eius Franciscum bonum & frugi hominem, ipsiusq; Franciſci res & fortunas omneis tibi commendo maiorem in modum. Qui cum isti municipio præsis; cuius est ipse ciuis, & in quo domicilium remq; suam omnem habet; non est dubium, quin illi vsui & ornamento esse plurimum possis. Id vt facias; omnibusq; illum in rebus & negotijs quàm commodatissimũ habeas, absẽte peto. Dat. viij. Cal. Feb. M D X I I I I Anno primo. De Centumcellis.

Ennio Episcopo Verulano.

XXXVII Fides, opera, diligentiaq; tua; quibus te in nostris rebus cum Heluetijs ecclesiasticæ libertatis defensoribus administrandis vsum intelligo; magnopere mihi probantur: hortorq; te; vt quemadmodũ adhuc quidem te laudabiliter prudenterq; gessisti; ita deinceps ea sedulo agas, quibus optimam erga te voluntatem meam etiam atq; etiam augeas. Omnibus autem de rebus quæ te scire volo; ea ex meis ad Gorum Gherium Internuntium meum literis intelliges. Dat. sexto Calend. Febr. Anno primo. Ex Seueriano.

Vni ex primatibus Heluetiorum.

XXXVIII Ex Ennij Episcopi Verulani, & Gori Gherij Interpretum meorum literis intellexi; qua cura & diligentia, quantaq; tuæ in nos voluntatis ostensione procurandis apud Heluetios rebus nostris te gesseris. Quod quidem neq; nouum mihi pro tua probitate atq; consuetudine pluribus in rebus cognita, neq; sane nõ iocundissimum fuit. Amo enim te charissimumq; habeo; vtq; magis magisq; in dies singulos tua in nos merita exaugeas, valde opto: vt etiam vberiorem à nobis gratiæ relationem, ab hominibus reliquis veram laudem atque gloriam, à Deo Opt. Max. autem, cui ista procurantur, secundiores tuarũ rerum

omnium exitus, euentumq; prosperiorem consequare. Itaq; te hortor; vt eandem diligentiam studiumq; tuum ijs, quæ restant, tractandis rebus adhibeas; reddasq; omnia tuo studio tuaq; opera, ope, consilio, prudentia faciliora. Dabo autem ipse operam; vt tu labores vllos nostra causa susceptisse nunquam non gaudeas: quemadmodum Interpretibus meis latius super ea re scripsi. Dat. vij. Cal. Febr. Anno primo. Ex Seueriano.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER VII

Ludouico Galliæ Regi.

I

DE Annæ Reginæ vxoris tuæ morte certior factus magnã sane molestiam cepi: cum propterea, quod fœminam egregia singulariq; virtute, & spectato in Deum ac Dei Ecclesiam cultu pietatisq; amisimus: tum quia te pro tuo in illam laudabili amore, illiusq; in te, maximo esse dolore affectum multorum literis intellexi. Accedit ad hæc; quod me illa, quasi patrem optatissimum pia amantissmaq; filia, incredibili obseruantia prosequebatur. Regnum etiã ipsum tuum cæteraeq; gentes opis alienæ indigæ, in quas illa munificentiam exercebat suam: multũ mihi amisisse in ea muliere bonæ

bonæ spei atq; præsidij videbantur. Itaq; pluribus & quidem iustis maximisq; de causis vehementer is me nuntius perturbauit. Verum cum optimam viuendi rationem summamq; probitatem, & eximiam mulieris temperãtiam tum amplo in Imperio positæ cæteraq; eius præstantissimas virtutes animo repeteremus; & simul huius vitæ miserias atq; horum temporũ incõmoda perturbationesq; respiceremus; in eam sententiam adducti sumus; vt bene cum ijs actũ esse statueremus, qui hoc tempore mortem cum vita cõmutauissent: Deumq; Opt. Max. Annam Reginã ad sese, tanquam de terrarum æstu & fluctibus in portum, aut tanquam de flebili hospitio ad plenã hilaritatis paternã domum cœlum ipsum beatorumq; concilium vocauisse, magnopere existimaremus: vbi illa bene actæ vitæ præmia, & cum liberalitatis atq; beneficẽtiæ, quibus duabus virtutibus supra mulierum captum enituit, tum verò etiam temperãtiæ patientiæq; suæ speratos fructus læta felicissimaq; perciperet. Quæ omnia no cogitatio mœrorem quidem meum multũ leuant. Quare te hortor; vt eadem atq; similia vel etiam meliora; quæ tua tibi vel prudentia, vel animi magnitudo facile subministrabit; ad cogitationes tuas adhibeas: ægritudinemq;, quam te vxoris tuæ morte contraxisse audio, leues: ferasq; æquo animo, quæ ferenda sunt: sunt autem ea omnia; quæ aliter se habere non queunt. In quo & tuam ipse temperãtiam atq; prudentiam maxime ostendes; & mihi, qui te vnice diligo, omnem mœrorem absterges, si te leuatum sensero. Dat. tertio Cal. Febr. Anno primo. Roma.

Claudiæ Ludouici Regis filiæ.

II

AVdita morte Annæ Reginæ matris tuæ, multis quidem de causis magnum sensi dolorem: sed eum præcipue; quod te filiam in tam tenera ætate reliquit;

vt tuas exoptatas sibi nuptias iam tractari cœptas conficeres, lætitiamq; de te capere, quam ei debebas, nō potuerit: ex quo te etiam magnum dolorem accepisse magis quidem ingenij tui mirifica indole, quàm ætate tua ad animorū affectus percipiendos idonea, te mouente ac excitante sane puto. Sed quoniam ea Dei Opt. Max. voluntas fuit; matrisq; tuæ virtutes tot tamq; egregiæ extiterūt, vt memoriam eius nominis omnibus seculis conseruaturæ videantur; curandum tibi est, non tam vt homines ex eius te obitu mœrentem sentiant; quàm cogitantem quibus artibus ei esse quamsimillima possis. Quod plane futurum confido: atq; vt ei rei curā adhibeas, & in timore te Domini exemplo matris instituas, amantissime te hortor. A me autem te sperare omnia volo; quæ ad tua commoda dignitatemq; pertineant; eoq; magis, quod te tam illustri matre, tamq; optima orbatam & spoliatam video. Et quanquam is tibi pater sit; qui suppeditare tibi omnia, quæ à te expetentur, & propter Imperij magnitudinem poterit; & volet propter amorem, quo is matrem tuam complectebatur, cuius tu illi imaginem refers, quoq; tibi parentis nomine afficitur: nostrum tamen studium, si quid tibi esse vsui poterit, voluntasq; ad te ornandam propensa tibi certe nunquam deerit. Dat. tertio Cal. Febr. MDXIIII Anno primo. Roma.

Brensellæ Pago Heluetiorum.

III INtellexi nouum vos in Heluetijs pagum confeciſſe; duodecimq; prioribus atque antiquis pagis vestrum Brensellæ pagum adieciſſe. Qua de re non mediocrem sane lætitiam & voluptatem cepi; cum intelligerem ſociorum meorum mihiq; charissimorum & coniunctissimorum vires atq; nomen augeri. Itaq; de eo vobis atq; illis gratulor. Cæterum eis rebus fidem habebitis; quas ad vos Ennius

Episcopus Verulanus & Gorus Gherius Interpretes mei deferent. Dat. prid. Cal. Febr. MDXIIII Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

IIII COgnoui de procuratore tuo Bercenno; quanto studio quantaq; diligentia & quammultiplicibus modis vsus es; vt bella controuersiæq; inter Maximilianum Roman. Imp. desc. atq; Venetos sedarentur planeq; restinguerentur. Quæ res ita mihi grata atq; iocunda accidit; vt nihil gratius nihil iocundius esse potuerit eo nuntio. Itaq; cum plurima atq; maxima tua erga nos omni tempore officia extiterint obseruantiæ, beniuolentiæ amorisq; plenissima: tamen propter eam curam; qua teneor nostrorū hominum confectis odio animis exulceratisq; medendi; tua ista recens mirificaq; solertia nullo tuo est antehac ad mea commoda dignitatemq; adhibito studio inferior. Nunc autem quanquam mihi dubium nō est, quin quod superest: supereſt autem, vt mihi quidem videtur, etiam paululum quiddam; quod tamen ipsum pro mea voluntate nimium quantum est; eadem sis diligentia confecturus: te tamen etiam atq; etiam hortor, & pro nostra necessitudine abste peto; nihil posthac intermittas neq; studij aut vigilantiæ, neq; operæ, neq; plane laboris; vt quemadmodum res, quæ labi atq; flectere in peiorem partem cœperat, tua est prudentia & diligentia eō reuocata, vt bene nobis sperandum sit; ita, quod reliquum est, quod quidē certe iam minus difficile videri debet; ad optatos exitus speratosq; quàm celerrime perducatur. In quo & si rem sane quàm Ferdinādo Regi tuo gratā, Christianæ autem Reip. maxime profuturā efficies: me certe ita tibi deuincies; vt omniū maximum beneficiorū & meritorū cumulum tuis prioribus meritis te addidisse sim existimaturus. Tibi

verò nominiq; tuo iam illustri tantum gloriæ ſplendoriſq; adijcies; quantum te vlla alia ex re hoc quidem tẽpore poſſe aſſequi vix eſt vllo modo credendum. Planè autem in Domino confido, cuius tu partes ſuſcepiſti; qui concordiam inter diſſidentes, pacem inter bello implicitos conciliandi curam atq; munus geris; tuam te operam non fruſtra poſituarum. Cæterum tota de re latius cũ Bercenno ſum loquutus: is ad te omnia perſcribet. Dat. prid. Cal. Febr. Anno primo. Roma.

Vicario Proregis Neapolitani.

V MIttimus iſtuc ad recuperandam ſacrarij noſtri ſupellectilem à Vicario Epiſcopi Salernitani male ablatam, Gabrielem Archiepiſcopum Dirrachinorum eiuſdem ſacrarij cuſtodem qui tota de re mentem te noſtram docebit. Itaq; eum cauſamq; ipſam commendo tibi maiorem in modum. Gratiſſimum mihi erit, ſi dederis operam, vt quemadmodum is tecum ſtatuet, ita res quàm celerrime tranſigatur. Dat. Id. Feb. Anno primo. Roma.

Fabritio Carreto Magno Rhodi Magiſtro.

VI LEctis literis tuis; quæ me cum de Guidonis magni Rhodi Magiſtri morte, tum de tua in eius locum ſuffectione per Concilium ſocietatis legitime facta certiorẽ reddiderunt. In altero perinde, atq; de optimi præſtantiſſimiq; viri maximeq; temperati prudentiſq; hominis iactura, ſanè perquàm doluit: illumq; tam breue temporis ſpatium ſocietati ſuæ præfuiſſe; vt parum ei ornamenti accederet ab ipſo potuerit; moleſte admodum tuli. In altero tanta lætitia is me nuntius affecit; vt ſtatim Deo Opt. Max. gratias egerim, & quòd dolorem, quẽ ex Guidonis morte contraxeram, tua declaratione lenierit: & quod illud tibi mu-

neris tradi mandariq; voluerit; qui pro tua virtute, animi magnitudine, diligentia, religione maximis in rebus perſpecta ſæpe atq; cognita nihil eſt eorum prætermiſſurus; quæ ad rem Chriſtianam conſeruandam atq; amplificandam ipſiusq; cultum & illuſtrandum & propagandum pertinebunt. Atq; hoc cum publice mihi gratum & iocundũ eſt: tum illud priuatim adiungitur; quod te, dum Cardinalem gererem, multos quidẽ annos & amaui ipſe, & abſte amari me planè ſenſi: vt ſi vnus ex omni ſociorũ tuorũ numero mihi optandus fuiſſet, quem ſibi tua ſocietas præficeret; neminem tibi ſanè prætuliſſem. Itaq; duplici nomine ea de dignitate ac præfectura tibi tradita magnopere gratulor; altero Reip. altero vnius ipſius atq; proprie meo: optoq;, vt & honor tibi iſte ſalutaris, & tu ſocietati tuæ vſui atq; gloriæ ſis futurus: quod quidẽ planè confido fore. De me quidẽ tibi ipſe omnia promittas volo; quæ ab optimo atq; optatiſſimo filio de patre amantiſſimo ſunt ſperanda. Non fallã opinionem tuã. Cæterũ obſequij tui peregregia perq; illuſtris ſignificatio; quod mihi eædẽ tuæ literæ Philippus q; Prouanus ſocietatis procurator tuis verbis præſtiterunt; mihi gratiſſima accidit: eamq; libenti animo ſum complexus. Societas etiã ipſa tua; quam mihi magnopere commendas; quæq; mihi, tanquàm de vniuerſa re Chriſtiana optime merita, chariſſima per ſe eſt; erit poſthac mihi tuo etiã nomine charior: proq; ea inſulaq; iſta ab Turcarũ cupiditate bellicisq; apparatibus, de quibus ſcribis, tuenda & defendenda, ſi erit opus, nihil ſum neq; ſtudij neq; diligentiæ neq; omnino laboris prætermiſſurus. Certe non ſi vitã ipſam profundere me oporteat ea in re; tuæ vnquam ſocietatis curam, tutelam, procurationem negligã. Quod te ſpondere ei meis verbis opto & volo: eamq; bono animo eſſe atq; forti iubeo. Cui quidẽ gratulor; quod te ſibi Magiſtrum legerit: vtq; te

ea, quæ debet obseruantia prosequatur; quanquam id quidem me scribere pro antiqua ipsius in omnes Magistros pietate minus necesse est; eam tamen hortor. Etiã atq; etiam mi Fabriti vale. Dat. viij. Id. Feb. Anno primo. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magistro.

VII BErengellum Rechesium; qui à Raimundo Cardona Prorege Neapolis vnice diligitur, estq; ex eius intimis maximeq; familiaribus; commendo tibi maiorem in modum. Is vt ei Prioratum Aliagensem, qui est in agro Tarraconensi tradas; per me impetrare abste postulat. dignusq; admodum Rechesius videtur esse tum Proregis nomine atq; causa, tum etiam quòd multos annos ordini tuo egregium studium nauauit; in quem eiusmodi beneficium conferas. Id si feceris; erit mihi sanè quàm gratum. Dat. vij. Id. Febr. Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ Polæ Episcopo.

VIII QVoniam & coli per te legum iussa, animaduersionemq; in scelestos fieri summopere volo; & Antonium sancti Sixti presb. Cardinalem Bononiensem, vt scis, vnice amo, charissimumq; habeo: vt harũ duarum omnium meo quidem iudicio maximarum atque sanctissimarum rerũ rationibus iuris reddundi amicitieq; colendæ satisfiat: in reorum istorum causa; quos in vinculis habes; de quibus tuis me literis consulis, petisq; quid fieri velim: ita tibi respondeo. Nam cum & iustitiæ administratio ostensionẽ maxime postulet iuris administrati; & humiles atq; assiduas Cardinalis postulationes multis admixtas non modo precibus, sed etiã lachrymis, nihil impetrare à me durũ admodum atq; implacabile videri possit: mando tibi, vt eos ipsos omnibus, quæ ijs in rebus fieri assolent, more atq; consuetudine seruatis condemnes perinde atque

meriti sunt: condemnatosq; ad eum locum duci mandes, vbi eos morte mulctari oporteret, si mulctari vellemus. Cũ autem inspectante populo ante mortis instrumenta in habitu damnatorum perducti constiterint; eos Cardinali nostro nomine dono des facta testificatione postulationis, quæ is apud nos supplici atq; accuratissima est vsus; nostræq; erga illum voluntatis: vt plurimum valere apud nos Cardinalis bene de Rep. meriti autoritatem omnes homines intelligant. Cæterum de ijs quos in posterum scelestos cõprehendes: mandata nostra exhauri. Dat. vij. Id. Febr. MDXIIII Anno primo. Roma.

Magistratui Bononiæ Polæ Episcopo.

IX MAgna cum molestia percepi, cõtemptis edictis tuis meo nomine propositis ab improbis scelestisq; hominibus istius ciuitatis admitti quotidie indignũ insolensq; aliquid, & nefaria crimina creberrime perpetrari. Quemadmodum nuper accidit, admissumq; est ab ijs; qui armati per oppidum incedere noctu atq; interdiu sunt ausi magna cum perturbatione ingentiq; motu istorum ciuium: quos quidem in otio atq; officio continere nullo non studio & diligentia nitimur. Quorum ex numero scelestorum seditiosorumq; hominũ quoniã cognoui aliquot fuisse; qui dũ illa committerent, quo se facilius tuerentur, Antonij Cardinalis Bononiẽsis familiaribus se immiscuerũt: ita tibi mando atq; impero; vt quod ad Cardinalem attinet; qui propter suas plurimas maximasq; virtutes, egregiasq; in Remp. atq; nos merita mihi est, vti debet, sanè charissimus atq; coniunctissimus: rationẽ habeas nostræ erga illum voluntatis & beniuolentiæ: dignitatẽq; eius atq; amplitudinẽ omnibus in rebus, quoad rectè fieri poterit, illæsam esse atq; integram studeas. Quantum verò ad illos pertinet, quos

in custodia iam habes; ita facies; vt ex meis literis, quæ vna cum his tibi redditæ sunt, intelliges velle me. Cæterum quos posthac comprehendes; cum ex edictorum tuorũ scripto, tum maxime pro scelerum grauitate mulctabis audaciter & punies. Tibi verò nequam ea de causa molestiam vllo tempore Magistratus afferre vllus posßit; scrupulus ve tibi aliquis oboriatur: siue tu in populares atque solutos, siue in sacris initiatos sacerdotesq; homines sis animaduersurus; tibi quouis genere animaduersionis in omnes pariter homines animaduertendi ius potestasq; esto: ne ve tibi ea de causa magistratus vlli siue Romani, siue exteri succensento: ne ve facti rationem petunto. Itaq; dabis operam, vt omnibus modis seditiosos turbulentosq; coërceas: in aliorum fortunas impetũ facientes punias: scelestos atq; nefarios multes: omnibus hominibus summis, infimis ius æquabiliter administres: si de me optime mereri postulas. Dat. vij. Id. Febr. MDXIIII Anno primo. Roma.

Antonio Cardinali Bononiensi.

X NOn dubito te existimare; si quid eiusmodi accidat quod ciuium istorum otium quietumq; perturbare motum ve vllum animorũ excitare posßit; id mihi esse, vti debet, molestißimum. Nam & mentem super ea re meam, & muneris mei partes pro mea in te fide, rerumq; à te gestarum ratione atq; vsu maxime omnium cognouisti. Itaq; nihil attinet me ad te scribere ea, quæ istic nuper acciderunt contra Magistratus edicta, mihi summopere displicuisse. Quæ verò iis de rebus ad eum scripserim, quæ ve fieri mandauerim; ab ipso intelliges. quibus ex omnibus facile cognosces, quantæ mihi curæ tua dignitas atque amplitudo fuerit. Nunc autem etiam atq; etiam abste peto; vt tu item iis in rebus, quibus in rebus dignitas nostra versabitur,

velis primus omnium præsto esse; adhibereq; omnem diligentiam; vt & Magistratibus nostris Bononienses tui pareant, & scelesti flagitiosiq; puniantur. Id si feceris; quẽadmodum quidẽ & amor charitasq; in te nostra postulat, & te facturũ pro tua prudentia magnopere cõfido; feceris plane rem & te dignã, & patriæ tuæ salutarẽ, & nobis mirandũ in modum gratum. Septimo Id. Febr. Anno primo. Roma.

Promagistro Rhodio in Regno Neapolitano.

AMauimus ab ineunte ætate, atq; inter familiares paXI ternos atque nostros, charißimũ semper habuimus Vincentium Papacodam tuæ societatis hominẽ & probum & fortem & industrium. Ei commodari de tui collegij magistratibus, qui in Regno Neapolitano sunt, valde cupio: quo se alere, paratioremq; ad res societatis nanãdas laboresq; subeundos alacriorẽ præstare posßit. Itaq; te horator; vt Vincentio prærogatiuam des ad eos magistratus; quos qui gerunt, primũ isto in Regno demorientur: quorum pensio prouentusq; numerũ aureorum quingentorum summam efficiant. Id si feceris; & hominem strenuum tibi deuincies; & me item tuis in rebus gratũ atq; memorem experiere. Dat. sexto. Id. Febr. Anno primo. Roma.

Petro Remiræ Magistratui Sinuessano.

SVperioribus literis commendaui tibi Franciscum SiXII nuessanum satis quidem pro re diligenter. Eas commendationes nostras quoniam non tantum apud te valuisse; quantum de tua in me obseruantia confidebã; certior factus sum: has ad te alteras dare literas volui; quibus te etiam atq; etiam hortarer; velles habere rationem eius hominis; qui cum nihil iniuste egit; tum pater est Ludouici familiaris mei, mihiq; propter optimos eius mores, singulasq; animi ad virtutes omnes indolem plane charißimi:

quem his cũ literis ad te mitto; vt præter id, quod ego abste peto, vt patrem eius saluum esse atque incolumem velis; filiũ te etiam aspectus atq; preces moueant ad pietatem & liberalitatem. Ex quo reliqua intelliges. Vnum illud à nobis: si nostris hortationibus morem gesseris; id tibi omne voluptati futurum. Dat. sexto Id. Febr. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XIII Allatum ad nos est, Episcopos eos: qui è Gallia profecti suo & reliquorum Episcoporũ & sacerdotum nomine ad sacrum Lateranense Conciliũ pro communi bono veniebant; paululum supra fines regni tui consedisse; neq; vlterius progredi voluisse; quoniam tutum iter per tuam ditionem non haberent. Ea de re quanquam ad te antea literas dederim; nunc tamen etiam atq; etiam his te literis hortor; ne in tam opportuno & salutari Christianæ Reip. negotio velis impedimento esse; quo minus ij cum Romana Ecclesia, à qua, vt scis, aliquandiu alieniores fuerunt, paribus studijs vnanimiq; voluntate coniungantur: mittasq; aliquem ex tuis probum virũ cum autoritate; qui eos tua per loca tuto ac sine molestia in agrum Genuẽsem perducat; quò illos tẽdere volui; vt eo minus curæ tibi minusq; oneris afferrent; quo breuius per tuam ditionem esset illis iter conficiendum: quemadmodum cum tuis oratoribus sum loquutus. Dat. xvi. Cal. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Maximiliano Romanorum Imp. designato.

XIIII Commendarũt mihi tuis verbis Matthæus Cardinalis Gurcensis atque Antonius Cominatus Bernardinum Cardinalem sanctæ Crucis sanè diligentissime: petieruntq; à me; vt eius fortunas, quæ quidem naufragium fecerunt, liberalitate mea restituerem. Ea commendatio me certe plurimum mouit: tuam enim ex eo propensam in illum voluntatem beniuolentiamq; perspexi: quod mihi gratissimum fuit. Nam & amaui antea illum omni tempore: & nunc, cum in Reip. muneribus obeundis etiam mihi præsto sit; singulari eum charitate beniuolentiaq; complector. Itaq; dabo operam cum se occasio tulerit; vt eum magistratibus atq; prouẽtibus honestum atq; ornatum reddam. Tu verò interea Ferdinandum Hispaniæ Regem si hortaberis, ea in re vt tecum atq; mecum sentiat; quod tamen illum facere per se iam video: erit ea hortatio & Cardinali ipsi magno vsui, & mihi plurimum grata. Dat. xv. Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum.

EXemplum literarum, quas ad Maximilianũ Romanorum Imp. dedi; quibus ad ea respondeo, quæ mecũ per Internuntios suos egit, vt Bernardini Cardinalis sanctæ Crucis fortunarum iacturæ atq; vlceribus consulere mederiq; vellemus; habuisti cum his literis. Mando autem tibi; vt earum literarum sensum oratione tua apud illum iuues; commendesq; vicissim ei meis verbis Cardinalem ipsum diligentissime. Dat. xv. Cal. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma. XV.

Ferdinando Hispaniarum Regi.

GRatum admodum nobis fuit id; quod ex literis Galeatij Butrigarij Internuntij apud te nostri perspeximus: Bernardini scilicet Cardinalis sanctæ Crucis Episcopi Sabinensis causam tibi curæ atq; cordi fore: daturumq; te operã, ne nostræ de illo cõmendationes; apud te vulgares fuisse videantur: tum commendare te etiã illũ mihi; rogareq; me, vt eius fortunis afflictis atq; miseris opem XVI

aliquam afferam. Qua de re valde te laudo. Magnanimi enim Regis & maxime liberalis officio fungeris; qui clarum virum fortunis omnibus deiectum & spoliatum tuendum fouendumq; suscepisti: Itaq; sic habeto; nihil esse potuisse ista tua in illum voluntate præstantius. Nos quidem certe cum per nos ipsi, qui hominē diligimus, tum tua commendatione adducti sumus ea, quæ postulas, diligenter curaturi. Dat. xv. Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XVII Mittimus Venetias Ioannem Franciscum Valerium ciuem tuum, Bernardi Cardinalis sanctæ Mariæ in porticu familiarē ab epistolis, ad Petri Bibienæ ipsius Cardinalis fratris Internuntiūq; apud te nostri nuper defuncti vxorem liberosq; conueniendos: vt mœrorem meum; qui quidem perinde atq; in morte hominis mihi charissimi veteresq; necessitudine cōiunctissimi, deq; gente mea meq; ipso optime meriti, certe non leuissimus est; meis apud illos verbis testetur: eisq; vel marito, vel patre singularis virtutis viro deiectis & orbatis in tam graui vulnere solamen aliquod afferat nostræ ad eorum fortunas modis omnibus subleuandas paternæ atq; amantissimæ voluntatis. Cui etiam mandaui vt te salutaret; significaretq; tibi quædam cum hac ipsa in re, tum reliquis etiam in rebus; quæ te scire magnopere volo. Cæterum demortui liberos & familiam omnē eo libentius & accuratius tibi commendo; quo ipse amorem erga Remp. vrbemq; istam suum plurimis maximisq; officijs, & multorum annorum perpetuis suis laboribus apud omnes homines testatissimum reliquit. Dat. xiiij Cal. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Paulo Germano Migdelburgensi Forosempronienſium Episcopo.

QVoniam & in temporum ad Romanā rationem XVIII referendorum computatione indagationeq;, & in sacri Lateranensis Concilij rebus tua nobis virtute atque doctrina magnopere opus est: te hortor, vt Romam, quod tuo commodo fiat, primo quoq; tempore te conferas. nostra enim interest te hic esse. Dat. xiiij Cal. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

PAulam Gonzagam Alberti Pij sororem cum ipsius, XIX tum fratris causa paterne diligo. Ea cum maxime cupiat impetrare abste; vt quod sibi dotis nomine debetur, id omne mandes procuratoribus suis sine dilatione curari: peto abste, vt & hortatu meo, & iustitiæ causa velis in illam liberalitate tua vti; dareq; operam, vt quod illa iure postulat, id vniuersum atq; solidum etiā non laborioſe consequatur. Dat. vi Cal. Mar. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Andreæ Burgio.

SCribimus Maximiliano Mariæ Insubrum Duci; vt XX quicquid Paulæ Gonzagæ Alberti Pij sorori ratione dotis debetur; id ei curet quàmprimum quamq; integrum atq; solidum reddi: quemadmodum ex literarū nostrarum ad ipsum Ducem exemplo cognoſces. Hortor autem te; itā rem apud illum iuues; vt mulier vidua ius suum sine mora sineq; diminutione consequatur. Dat. sexto Cal. Mart. Anno primo. Roma.

Burghesio Petrutio Senensi.

XXI CErtior factus Alexãdrum & Hieronymum Senenses bellicis rebus præfectos ad portum Herculis cum armatorum manu se contulisse; oppidumq; atq; arcem occupauisse expulsis Augustini Ghisij probi hominis mihiq; grati & probati ministris: ad quem quidem, vt mihi sæpe demonstratum est, eius loci ius omne publicis confectum syngraphis pertinet: non potui non moleste ferre, vos iustæ fidei possessorem vestrum ciuem spectatæ virtutis virum; qui ciuitati isti ornamento liberalitate sua esse consueuit; indicta causa vi atq; armis eiecisse. Quamobrem etiam atq; etiam te hortor; des operam autoritate prudẽtiaq; tua; vt Augustino eius oppidi atq; arcis possessio, in qua aliquot annos pacifice fuit, amice atq; omni amota procrastinatione restituatur. Quod quidem certe pro eo, quanti hominem facio: facio autem sane plurimi: proq; eius in nos Remq; pub. multis maximisq; officijs erit mihi porro gratissimum: teq; eo nomine bene de nobis meritũ facile profitebor. Quod si ius aliquod eo in portu atq; arce sibi competere ista ciuitas existimat: iuris ad id via, quàm vi atq; iniuria, multo melius atq; honestius processerit. Dat. Nonis Martijs. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XXII MIttit ad te Franciscus Maria Vrbinatiũ Dux nostrorum militum Imperator Antonium Nigosantem Internuntiũ suum: vt se per illum purget, causamq; apud te suam tueatur ea in re atq; calumnia; qua de ipsum in ius vocauisti. Eum quoniam nihil admisisse contra Ferdinandum Regem tuũ exploratum nobis est; te hortor; ne patiaris nobilem atq; magnũ virum; qui cum mihi omnes necessitudines sunt; eiusce modi delationibus vexari.

Sed eum cum apud te calumnia iniusta liberes; tum vel maxime apud Regem testimonio tuo iuues: ad quem ipse Internuntios suos ea de re propediem est missurus. Itaq; & prudenter & perhumane egeris; si Regi ipsi integrum negotium remiseris. Quod vt facias, in primis abste peto. Erit id nobis tam gratum, quàm quod gratissimum. Dat. prid. Id. Mart. Anno primo. Roma.

Baldessari Castilionio Mantuano.

VEl egregiæ tuæ præclaræq; virtutes, optimarumq; artium studia, quibus excellis, & iam nobis pridem cognitus & probatus es; vel præcipua pietas singularisq; cultus, quem nobis omni tẽpore præstitisti; nos hortantur; vt quæ fortunas & dignitatem tuam ornare atq; augere possunt; ea libenter & propenso animo complectamur. Itaq; cum Frãciscus Maria Feltrius Vrbinatiũ Dux, vrbis Præfectus, nostrorum exercituum Imperator; quòd fidelem diligentemq; operam multos annos ei nauaueris; in suæ erga te beniuolentiæ testimonium laborumq; tuorũ præmiũ, tibi liberisq; posterisq; tuis maribus legitime procreandis Nubilariam castellum diœceseos Pisaurensis; quod quidem nostri iuris est; omnemq; eius castelli ditionem tibi dono dederit, cesserit: Nos te etiam nostræ beniuolentiæ testimonio hac in re amplecti atq; prosequi voluimus. Quare donationem eiusmodi, quæq; in ea continentur omnia, probamus, confirmamus: quatenusq; oporteat, Nubilariam castellum cũ iuribus eius omnibus tibi, liberis, posterisq; tuis maribus legitime procreandis damus, donamus: & tuũ atq; tuorum quoad aliquis eorũ supererit, perpetuo vt sit decernimus: multo etiam maiora, si se occasio dederit, libentissime largituri. Dat. v. Id. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma. XXIII

Magistratui Parmæ.

XXIIII Diligentia; qua vsus es cum in significanda nobis morte Comitis Soragnæ, tum in adhibenda cura vt Comitis bonorum & locorum nostro nomine possessionem caperes; nobis egregie probatur. Qua in re quoniam, vt scribis, propter demortui nepotis temeritatem, qui se in ea bona iniecit, nihil consequi potuisti: mando tibi; vt ei meis verbis denunties, eorum bonorum & locorum possessionem quamprimum quamq; liberam tibi relinquat. Id ni fecerit; armis te illum aggressurum, & vi expulsurum magnopere confirmes: Itaq; sine vlla mora facias. Scribo autem Galeatio Palauicino; ope illum auxilioq; suo posthac ne iuuet: quod illum facturum puto. Scribo etiam Troilo Rubeo; armatorum hominum manum tibi, quantam voles, det; qua manu abste ille ijs ex bonis eijci & detrudi possit. Mando insuper omnibus ijs, qui dono aliquid à Rep. obtinent, idem vt faciant. Quod si parum adiumenti positum ijs in omnibus ad rem conficiendam intelliges; Guidi Rangonij equites arcesses; & ad illas, quas coëgeris, copias adiunges. Quibus mando, vt tibi præsto sint. Itaq; diligentiam, curam, vigilantiam, laboremq; omnem tuum adhibebis; vt in capienda Soragnæ Comitis bonorum possessione id, quod voluimus, consequamur. Nam quod scribis demortui nepotem habere se ius ijs in bonis palam dicere: mihi id verisimile non est. Sed vt sit; experiundo id à nobis consequi postulet; non vi atq; arrogantia rapere aggrediatur. Nihil enim ei à nobis, quod iustum honestumq; sit, negabitur. Dat. tertio Id. Mart. M D X I I I I Anno primo. Roma.

Galeatio

Galeatio Palauicino.

INtellexi Soragnæ Comitis demortui nepotem armatorum hominum manu abste iuuari, fauoreq; tuo atq; auxilio niti; quominus ipse locorum & bonorum eorum possessionem, in quam se iniecit, Magistratui Parmæ nostro nomine id petenti & postulanti remittat: ad quos quidem pleno iure pertinet: teq; id propinquitati, qua cum illo coniunctus es, tribuere atq; largiri. Quamobrem his te literis & moneo & hortor, primum vt nullum propinquitatis nomen æquitati & iustitiæ anteponendum putes; deinde vt nostram in te atq; in omnes tuos beniuolentiam, tuumq; in Romanos Pont. multorum amorum studium ob vnius pueri temeritatem atq; audaciam ne violes, ne ve profundas. Sed potius & illi consulas; ne se nostris conatibus, quibus par esse non poterit, frustra temereq; opponat atq; obijciat: & Magistratum nostrum in assequenda eorum bonorum possessione opera diligentiaq; tua iuues: quod te facturum pro tui animi rectitudine sane confido. Quod si propinquus tuus competere sibi ius aliquod ijs in bonis existimat; volo te ei dicere planeq; polliceri, nihil ei me, quod iustum honestumq; sit, negaturum. Itaq; iure id non iniuria expetat. Erit hoc & ipsi vtilius, & tibi magis honorificum, & mihi summopere gratum. Dat. tertio Id. Mart. Anno primo. Roma. XXV

Parmensibus dono aliquo Reip. affectis.

MAndo vobis; vt quibuscunq; rebus poteritis, Magistratui nostro Parmæ id à nobis requirenti præsentem operam adhibeatis sine vllius hominis respectu, aut plane temporis interuallo & mora; quo is Soragnæ Comitis nuper demortui locorum & bonorum possessionem assequi nostro nomine possit. Idq; à nobis cum pro XXVI

iure vestri muneris fieri volo; tum pœna proposita bonorum vestrorum omnium ærario inferendorum, nisi parebitis. Quòd si quis eorum bonorum ius sibi competere existimat; nemini iuris via experienti, quod suum erit, posse assequi negabitur. Dat. iij. Id. Mart. Anno primo. Roma.

Troilo Rubeo Parmensi.

XXVII Mando tibi, vt quibuscunq; in rebus poteris, tum armatis hominibus, tum etiam fauore tuo reliquo Magistratum nostrum Parmæ iuues; eiq; præsto sis: quo is Soragnæ Comitis nuper demortui bonorum possessionem nostro nomine capere, atq; illum, qui se in eam temere iniecit, expellere atq; deijcere possit. Quod quidem sic abste peto; vt quantum mihi charus esse atq; iocundus postulas; tantum tu studij ac diligentiæ ponere hac in re negotioq; conficiendo sane perueli. Dat. tertio Id. Mart. Anno primo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XXVIII Commendaui tibi sanè multos; vt quisq; abste aliquid petiturus autoritatem apud te meam, quo id facilius impetrare posset, expetiuit. Idq; non tam mea sponte sæpe feci; quàm quod opem nostram iusta in te studiose petentibus negare me, alienum esse à mei muneris officio magnopere existimaui. Itaq; eam ob causam commendandis tibi hominibus crebrior fortasse adhuc quidē, quàm volui, fui. Veruntamen cum id accidit; vt pro ijs, qui illustri aliqua dignitate in Dei Ecclesia eminent, commendandis ad te literas dem; tunc quidem eo tecum munere animo libentissimo vtor. Quemadmodum tibi nunc commendo Antonium Episcopum Astæ designatum sanè diligentissime: cuius Episcopatus reliquorumq; sacerdotiorum pensiones intercipi seponiq; iussisti. Petoq; abste; ne id fieri aut

mandes ipse, aut permittas à tuis: sed vti sunt Dei Opt. Max. munere ipsi Antonio eæ pensiones attributæ; ita illum ad eas assequendas & fruendas iuues potius, quàm impedias. Neq; tu in Ecclesiæ te bona, si me audies, vllorum hominum suasionibus immiseris. sed eris tuis ipse bonis cōtentus: quæ quidem maxima atq; amplissima sunt. Habes enim Regnum opulentissimum: vt nullius opis non modo ad amplitudinem, sed ne ad satietatum quidem, si te ipse noueris, indigere possis. Quæ cum ita sint; valde abste peto, ne Antonio molestiam adhibeas in suis pensionibus exigendis; præsertim cum is frater sit Episcopi Nouocomensium: cuius & in sacris obeundis, & in reliquis Reip. negotijs administrandis egregia & fideli opera quotidie vtor. Quemadmodum & cum Oratore tuo Hieronymo Morono ea de re sum locutus: & Fabritius familiaris meus, quē ad te mitto, tibi significabit. Dat. xix. Cal. April. Anno primo. Roma.

Ioanni Petro Gonzagæ Nuuolariæ Comiti.

XXIX Mvlti ad me deferunt, te non solum exules è Regio Lepidi excepisse; eosq;, quemadmodum tibi mandaueram, expellere noluisse: verum etiam ciuibus quibusdā Regiensibus honestis hominibus; qui prædia tuo in agro habēt; noua insuitataq; onera imposuisse; eosq; ad ea persoluenda te coacturum interminari nouis modis. Quæ cum eiusmodi sint, vt mihi ferenda esse non videantur, mando tibi atq; impero, primum vt sine vlla mora eos exules, quos excepisti habesq; in tuis oppidis, expellas & eijcias: locumq; posthac atq; perfugium nemini illorum des: deinde vt ciues Regienses nouis oneribus ne premas: sed eos fruì prædiorū suorū fructibus & pensionibus sine molestia permittas. Id si feceris; boni viri & meum Imperium non detrectantis officio fungére atq; munere. Sin aliter te; atque

opto, maximeq; cõuenit, hac in re gesseris: exploratum tibi esse volo, eam me indignitatem vlterius nõ laturum; daturumq; operam vt te pœniteat mihi non paruisse. Dat. xvi. Cal. April. Anno primo. Roma.

Magistratui Placentiæ.

XXX VEnit istuc nobis mandantibus ad eos perquirendos & puniendos; qui nouas res isto in oppido molientes tumultus maximos excitauerunt; Bonifacius Vallensis iureconsultus familiaris meus; non sanè quia de tua prudentia, diligentia, rerum gerendarum scientia atq; in primis probitate magnopere, vt soleo, confidere non possim: sed vt tuum tibi munus atq; onus aliquanto leuius faciam illo ad partem oneris tecum ferendam adhibito atque addito. Quare volo, vt, si tibi videbitur, omnibus gerendis rebus vnà cum illo adsis; præstesq; ei tete socium; vt communi vtriusq; vestrum consilio negotium administretur. Itaq; si hominem & libenter exceperis & accurate iueneris; erit mihi gratum. Dat. decimoquinto Cal. April. Anno primo. Roma.

Ioanni Saxatello Præfecto equitum apud Placentinos.

XXXI MItto istuc ad quæstiones exercendas, atq; in eos animaduertendum; qui nuper isto in oppido nostros tumultus excitauerunt; Bonifacium Vallensem iureconsultũ familiarem meũ. Quamobrem mando tibi; vt quibuscunq; is in rebus sibi te tuosq; equites fore vsui existimabit; auxilio & fauore tuo ei præsto sis: omnemq; operam adhibeas; quo is facilius atq; celerius mandata nostra prosequi atque conficere possit. Dat. xv. Cal. April. Anno primo. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER VIII

Francisco Mariæ Vrbinatium Duci.



LECTIS literis tuis; quibus nos certiores facis, conuẽtum & nundinas, quas quidem te Pisauri posse facere de mense Martij concesseramus, ab Andrea Corio mercatore Genuensi mercibus Iudæorum intercipiendis pro eo, quod ipsi debetur, perturbari atq; impediri, fidemq; tuam omnibus eas ad nundinas adeuntibus publice datam labi & fluere; magnopereq; postulas, eo te nomine accusari & redargui ne permittamus præsertim cum eæ nundinæ hoc anni tẽpore nunc primum instituantur: ea tua postulata nobis æqua & digna visa sunt, quibus annuamus. Itaq; volo ne ea de causa, quod Andreæ Corio concesserim vt exigere centesimam cum dimidia posset ex Iudæorum bonis sub Imperio Turcarum Regis degentium; vlla molestia tuas ad nundinas Hebræis accedẽtibus inferatur: fidem ve tuam fallere tibi necesse sit, aut vllos homines ad eiusmodi centesimæ solutionem compellere; præter eos; si qui erunt, qui iam antea cum Andrea pacti sunt: quos quidem volo, vt stipulationibus inter ipsos confectis stare, promissáq; dissoluere teneantur. Iis autem rebus eo libentius adducimur, vt tibi morem geramus; quo dignitas omnis tua mihi magnæ

curæ est; tuamq; apud me plurimum valere autoritatem facile patior. Dat. Idibus Mart. M D X I I I I Anno secundo. Roma.

Promagistro Rhodio in Regno Neapolitano.

II ALteris literis hortatus te sum, velles mea causa Vincentio Papacodæ, qui est in tui ordinis societate, viro strenuo, familiari perantiquo meo prærogatiuam dare ad eos vestros magistratus, qui primo quoq; tempore præfectos amiserint: qui magistratus pensionẽ annuã quingentorum numorum aureorum efficiant. Nunc verò quoniam etiam atq; etiam opto, ne Vincentius in eusmodi desiderio suo, cuius per me compos fieri postulat, absẽte deseratur: non hortor te solum, sed etiam pro meo iure obsecro quiq; tui vi & virtute tibi planè mando; vt ei, quemadmodum scripsimus, de prærogatiua statim commodes: vt & societati tuæ, cui permultos iam annos omnem operam & studium detulit atq; impendit suum, maiori esse vsui possit; & inter vestri Magistri familiares tandiu illũ fuisse aliquam iam ei tandem vtilitatem atq; fructũ pariat. Dat. Nono Cal. April. M D X I I I I Anno secundo. Roma.

Ioanni Paulo Balioni.

III HOrtor te, atq; absẽte planè peto; vel, si opus est, mando etiam: vt Sibiciani Dominos fratres vlla molestia neq; afficias ipse, neq; affici permittas à tuis. Cures autem potius, desq; operam; vt eorum agri atq; oppidula tuis à militibus tuta sint: quemadmodum quidẽ conuenit ea omnia per te esse; quæ nostra sub tutelà cõquiescũt. Id enim magnopere volo; vt eis fratribus negotium vllo ab homine temere atq; iniuria ne adhibeatur. Quod si tibi iuscorum in bonis competit; dabo ipse operam, vt tibi, quem

vnice diligo; modo id iuris via postules, non vi atq; armis appetas; quamprimum, quamq; ampliter satisfiat. Dat. vij. Cal. April. Anno secundo. Roma.

Iacobo ciui Bononiensi Quæstori militum.

CVm equitatus is, quem Bononiam accedere, atque IIII istic esse maxime oportet; quemobrem sese alat, nisi ex stipe ab incolis atq; inquilinis vestri agri dari solita, nihil planè habeat: mando tibi; vt ea stipe tantummodo excepta, quam stipem Ramazoto curari volui, reliquam stipem omnem ad Vitellij Præfecti militum vsus alimẽtaq; conuertas: qui quidem nũc Vitellius ad tutelam istius oppidi me volente proficiscitur. Cui rei mandatoq; meo nullas volo vel meas ipsius, vel ab eo, qui ante me fuit, Romano Pontifice scriptas ad te Magistratum ve literas impedimento esse. Dat. vi. Cal. April. M D X I I I I Anno secundo. Roma.

Decur. & Magistratui municipii Asculani.

QVoniam intellexi Firmanos exules magna armatorum hominum coacta manu oppidum Firma- V num vi ingressos esse: veritus vestros quoq; exules exemplo illorum permotos atq; pereitos idem ausuros, in Asculumq; inuasuros: volo, ac vobis mando; vt & arma ipsi capiatis; & propinquos clientesq; vestros armari celerrime iubeatis ad defendendam vrbẽ vestrã, vestræq; vrbis eum statũ, qui nunc est, conseruandũ atq; muniendũ: ne vestri exules nobis nolentibus, vobis autẽ etiam inuitis oppidum aggredi atq; adeo ingredi possint. Caueri autẽ à vobis præcipue volo, curamq; omnem & diligentiã adhiberi; ne tumultus aliquis eo nomine, intestinum ve malum possit existere. Itaq; ad nouam vim atq; iniuriam vestrorum exulum repellendã promptos vos atq; paratos esse iubeo: non

autem vel ad veteres iniurias vleiscendas, vel ad potentiam extraordinariam exercendam. Vt cum improbi ciues vestri flagitiosiq; homines armatos vos atq; animatos ad cõmune bonum senserint; à male cogitando maleq; agendo absterreantur & conquiescant. Dat. prid. Cal. April. Anno secundo Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magistro.

VI AMaui omni tempore probũ hominem, multisq; virtutibus præditũ & ornatum virũ Iulianum Rodulphum: qui præter veterem suam cum meis omnibus necessitudinem, studia, officia, nunc etiã Iuliani Medicis fratris mei domus & rerum familiarium curam gerit. Is cupit impetrare abste; vt cũ in diplomatibus tuis conficiendis suo per Capuæ Prioratu, quem ei deferri à Iulio Medice Cardinali fratre patrueli meo volui; vt nostræ in sese beniuolẽtiæ hoc iam nunc signũ atq; indicium haberet: tum in Mortorij, sic enim vos appellatis, officio atq; munere tibi persoluendo rem nullo sumptu conficiat. Quare vt ei te liberalem & munificum iis in rebus præbeas, atq; vt illũ solutionis impẽdio subleues; abste peto. Est enim admodũ senex, pensionesq; Prioratus sui atq; fructus adhuc quidem nullos percipit: eos enim Cardinalem sequi, quoad prouentibus abundaret, voluit. Itaq; impensas nunc primũ facere; quas longo tempore reponat; ipse nõ potest: quemadmodũ illi possunt, qui inuenes sunt: quibus longa esse nulla expectatio potest. Quæ res facit; vt mihi plane gratissimũ sit futurum, si Iulianũ abste ea, quæ postulat, impetrasse intellexero. Est autem profecto ipse ita præstanti & animo vir & virtute; vt si tua societas eius opera suis in rebus vti volet: abunde ei atq; largiter, vel tibi etiam ipsi referre gratiam possit. Dat. Cal. April. M D X I I I I Anno secundo Roma.

Priori Galliæ Cisalpinæ Rhodi Promagistro.

EXemplum literarum; quibus literis Iulianũ Rodul- VII
phum Capuæ Priorem Fabritio Magno Rhodi Magistro diligenter commendaui; mitto ad te cum his literis. Ex eo quo in loco illum habeam, tum quid ei velim à Fabritio tribui, cognosces. Atq; hoc ideo ad te scribo; vt quoniam tuam apud illum autoritatem plurimum valere multi mihi significauerunt, te horter, ac pro meo iure mandem etiam; cures desq; operam omni studio; agas apud illum, perficias deniq; vt Iulianus ea, quæ optat te adiuuante consequatur. Optat autem Magni Magistri liberalitate nobis commendantibus subleuari. Id erit mihi tam gratum; vt nihil abste in me possit esse gratius. Quod ita esse tuis in rebus, si mea ope vllo tempore tibi opus erit, facile perspicies. Dat. Calend. April. M D X I I I I Anno secundo Roma.

Magistratui Regii Lepidi.

DElatum ad nos est Ioannem Petrum Gonzagam VIII
Nuuolariæ Comitẽ quosdã ciues Regienses coëgisse ad certam pecuniæ summam sibi persoluendam; vt trecentũ quinquaginta numos aureos, quos quidem ipse curare Cæsaris negotiatoribus iubebatur, statim reponeret. Id & me primum omnium de te non intellexisse, & te eos ciues præsertim spectata fide homines ea in re nihil iuuisse; nullam omnino eis opem tuam, nullum adiumentum præsto fuisse, valde miror. Quamobrem mando tibi primum, vt omnem rem perquiras diligentissime: Deinde si iuuare Regienses poteris, adhibereq; remedia, nẽ quid ab Ioanne Petro dispendij perpetiantur; iuues, curesq; rem omni studio & diligentia. Sinautem non poteris; nos tamen, quemadmodum se res habeat, certiores facias, docеasq; quo pacto ei

occurrere malo possimus. Quod si operæpretium erit mitti à nobis istuc aliquem, qui controuersias inter Regienses Comitemq; componat; id vero à nobis facile curabitur, vt isti posthac ciues à comitis iurisdictione separentur discretiq; sint; ne calumnijs eiusmodi vlla in posterũ causa vllus onerum perferendorum: munerum ve obeundorum scrupulus, vlla quæstio exoriri possit. Id enim maxime opto; vt Regienses ciues sub regiensium Principum ditionibus ne censeantur: vt Reip. rationibus nullum præiudiciũ inferatur. Dat. sexto Id. April. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Cardinali Seduno.

IX Cvm perspecta nobis esset & virtus & prudentia tua; deq; tua in me atq; in Remp. in quam quidem plurima tua egregia præclaraq; officia extiterunt, fide & cultu magnopere confiderem; Carratiolũ notarium meum & Petrum Magnum familiarem tuum ad te misi à quibus consilia mentemq; omnem meam in tractandis nostris rebus intelligeres. Itaq; nõ vereor, quin ea omnia quẽadmodum volebamus, ad Heluetiorum Magistratus amanter accurateq; detuleris. Quoniã autem multa sunt, quamobrem existimem nihil accidere posse his temporibus, quod plus afferat rebus omnibus momenti & põderis ea re, quam illi ad te meis verbis pertulerunt: absẽte etiam atq; etiã peto; vt si tibi totum negotium quoquo modo in dubium adducetur sic, vt vereri possis Heluetios in ea mecum sententia, per quam nihilo certe minus illorum, quàm Reipub. commodis consulitur, non futuros; de eo nos quamprimum facias quamq; celerrime certiores: ne dum ipsi de illorum in nos obseruantia frustra confidimus; aliquod alicunde Resp. incommodum & detrimentum accipiat. Neq; enim interea

vel de oblatis in dies conditionibus ab alijs & populis & Regibus, vel de inducias pactione cõfirmanda, vel omnino vlla de re quicquam statuere atq; conficere possum, neq; planè quiescere; donec absẽte aliquid afferatur. Dat. xv. Cal. Maias. Anno secundo. Roma.

Paulo Victorio.

MAndo tibi; vt posteaquã ex ratione decimæ istius X Reip. sacerdotibus impositæ quindecies mille nummum aureorum summa exacta fuerit, des persolutasq; è summa reliqua Roberto Nasio & eius socijs, id quod eis curari mandaui, ea tamen conditione; vt si ex tota ratione illius decimæ summa tricies mille numum non exigetur; Robertus socijq;, quod absẽte curatum acceperint; id omne reponere ac restituere teneantur. Quicquid autẽ vltra totam triginta milium aureorum numũ summam erogabitur; id Roberto & socijs ad abietẽ in tẽpli Romani Principis Apostolorum substructiones cædendã atq; aduehẽdam deferatur. Dat. xi. Cal. Maias. Anno secundo. Roma.

Vgoni Pepulo.

CVm te; qui in nostra ditione domum & lares patrios XI & fortunas omnes habes, quemq; propter familiæ splendorem animq; fortitudinem magnopere diligo; Guidum Rangonium necessarium & propinquũ tuum nostrumq; Præfectum equitum ad singulare certamen intellexerim prouocauisse, locumq; ei ad certandum statuisse apud Mediolanensium Ducem ad diem duodecimam Cal. Iunij; literasq; ad te dederim, vt quamprimũ te ad nos conferres; tuq; mandatis nostris parueris, vrbemq; Romam ad nos accesseris: quod quidem eo consilio feci, vt te ab incepto reuocarem: Idem nunc etiam cum optem; magnopereq; cupiam; vt ex vinea Domini, quam colendam

purgandamq; suscepi, irarum & odij & bellorum semina radicitus euellantur: mando tibi cum obedientiæ vi & virtute, tum aqua tibi & igne interdicẽdi, tuorumq; bonorum fisco inferendorum pœna proposita, nisi parueris; vt ea de re & prouocatione tua totaq; ratione certaminis, causisq;, quas habuisse te idoneas atq; iustas ad eam prouocationem exercendam existimas, nullum posthac verbũ vllo in loco, vllo cum Principe aut planè homine modo vllo colore vllo facias: neq; ad Maximilianum Mediolanensium Ducem locum 've vllum illius Regni ea de causa te conferas vsq; ad diem decimam Cal. Iunij: neq; omnino quicquam aut loquaris aut statuas animo decertandi. Dat. decimo Cal. Maias. Anno secundo. Roma.

Guido Rangonio.

XII CErtior factus sum, quibusdam te de causis ab Vgone Pepulo necessario & propinquo tuo ad certamen singulare prouocatum, ei rei libenti animo annuisse; velleq; ad Maximilianum Mariam Mediolanensium Ducem proficisci: apud quem tibi ab illo ad diem xij. Cal. Iunij certamen est indictum. Quæ res mihi & minime noua, & maxime molesta accidit. Nam cum mihi perspecta est animi tui magnitudo: tum fortitudinem & singularem tuam istam bellicis in rebus præstantiam; quæ quidem maximo vsui esse in Reip. Christianæ dignitate vel tuenda vel augenda potest; ob inanes atq; leuissimas causas tam dubijs fortunæ casibus iri propositam mihi maximo dolori sanè fuit: qui; vt patris tui viri optimi, domusq; tuæ in meam familiam antiqua & plurima officia fileam; te vnice atq; paterne vsque à puero amo. Quamobrem, vt & nostræ dignitati, cuius tu equitum Præfectum geris, & Domini pacem nobis diligentissime commendantis monitis præceptisq;

satisfiat; mando tibi & aquæ atq; ignis interdicto, & læsæ maiestatis pœna committenda; ne ea de causa te ad Ducem Mediolanensium conferas, aut vllũ ad eius ditionis locum: neq; prorsus quicquam agas, loquaris, statuas, vt sit tibi cum Vgone decertandum. Dat. decimo Cal. Maias. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XIII MVlti ad me detulerunt te & Guido Rangonio & Vgoni Pepulo ad certamen singulare locũ tutum scriptis ad eos literis esse pollicitum ad diem xij. Cal. Iunij. In quo non potui, vt verum fatear, non molestè ferre, non te mihi eam rem ante, quam quicquam statueres, significauisse: cum scire posses eorũ alterum in huius Reip. Imperio ex clara esse charissimaq; familia progenitum: alterum etiam agere nostrorum equitum Præfectum, atq; à me plurimis maximisq; de causis & veteribus & recentibus valde amari. Itaq; cum meum in primis munus sit è Domini agro controuersiarum & bellorum stirpes succidere, ad quem sum publicè colendũ adhibitus; abs te etiam atq; etiam peto, vt eas tuas literas, quibus locum tempusq; illis ad certamẽ statuisti, renoces: desq; separatim ad vtrũq; alteras quamprimum literas; quibus id significes; nolle te amplius eis locũ ad certamen dare: iubeasq; ne ad te ea de causa proficiscantur. Dat. decimo Cal. Maias. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Ferdinando Hispaniarum Regi.

XIIII MIsit ad te Franciscus Maria, Vrbinatium Dux nostri vt scis exercitus Imperator, certum hominem familiarem suum: qui se apud te purget ijs in rebus; quas res aliquot iam annis admisisse illum contra te Magistratus in Regno Neapolitano tui sunt nuper cri-

minati. Quæ quidem criminatio mihi; vt vere dicam quod sentio; non molestissima esse non potuit: cum quæ obiiciuntur, eiusmodi sint; vt quæsitu potius ab illis inimulãdi Ducem quoquo modo causa; quàm merito susceptu fuisse videri possit, cũ propterea; quòd ea, quæ oblitioni iam propetradita, vel plane etiã sopitu & extincta sunt, per illos in iudicium reuocantur: tum quòd illa ipsa nõ illius modo culpa, sed ne colore quidem culpæ vllo sunt admissa. Quæ enim tui apud Soram gesta in tuũ, vt ipsi aiunt, dedecus offensamq; afferunt; ea neq; sciri aut caueri à Duce propter longinquitatem itineris potuerũt: neq; in ipsius, sed in eius matris administratione eorum locorum procuratio tunc fuit. Nam quod ad Rauennæ prælium tuorumq; militum recessum attinet: nobis quidem, qui eo in prælio fuimus, satis constat illum cõtra nomen dignitatemq; tuã nihil ipsum fecisse, nihil vt fieret iussisse, nihil denique fieri permisisse. Sed quis est, qui possit magno commisso prælio in soluti exercitus fuga omnes vicinæ prouinciæ populos in officio cõtinere? Quanquam quidem, quod ad illum attinet; non solum nihil egit ipse contra tuos: sed eis etiam per sui Regni fines sine ordine, vt fit, temereq; properantibus comites itinerumq; duces dedit: debilitatosq; vulneribus multos suis in oppidis iussit curari: iuuit etiam quamplures rebus omnibus. Itaq; functus in eo est boni viri amantissimiq; tui officio. Quæ quidem omnia, vel plura etiam, palam, vt intellexi, ipsi tui milites præsetulerunt. Sed hæc atq; alia ab eius Internuntio cognosces. Ego autem; qui plurimis maximisq; de causis tum priuatis & familiaribus, tum certe publicis summo illum amore singulariq; beniuolentia sum complexus; abste quæso magnopere & peto; vt eius procuratorem libenter excipias; excusationesq;, quas afferet, audias: admittas quoq; pro æquitate & iustitia, cuius semper studiosus fuisti,

mea de causa aliquanto etiam libentius. Erit id nobis tum gratum, vt nihil magis: tibi verò laudi etiã & gratiæ. Nam quoniam is Iulij Secũdi Pont. Max. fratris filius fuit, eiusq; copiarum Imperatorem gessit, & nostrarũ gerit; nihil tam liberaliter agere tumq; humaniter erga illum poteris; quin te optime fecisse omnes homines sint existimaturi: teq; de eo etiam amaturi. Dat. quarto Calend. Maias. M D X I I I I Anno secundo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XV. Conquesti apud nos perquam sane grauiter sunt Legati Anconitanorum, ea de causa; quòd corũ nauim ipsorum & Florentinorũ onustam mercibus domo in Asiam tendentem, triremis Venetæ ductor Sebastianus Memmus hostili animo atq; impetu non longe ab Raguso sit aggressus; propeq; depresserit tormentorũ vi: Depressisset autem; nisi se illa in Epidauri portũ recepisset. Id quoniam parũ successerit; obseruari eam aiunt ab eodẽ Memmo aliis etiam Venetis triremibus in prædæ societatem adscitis vicinis in portubus: vt eam ex Epidauri portu exeuntem intercipiant. Quæ res quoniam contra ius & bonos mores, contraq; vestras cum Romanis Põtificibus initas pactiones & fœdera in primis est; id, quod accidit, existimo præter tuam istiusq; Reip. voluntatem accidisse. Hortor autem patere te atq; moneo, des quamprimum operam, mandesq;, nẽ quid posthac à vestris triremibus detrimenti nostrorum hominũ præsertimq; Anconitanorũ nauibus inferatur. Puniasetiam mulctesq; ductorem illũ; qui ei nauitantũ molestiæ tantumq; iacturæ temere atq; hostiliter attulit: vt aliis vestrarũ triremium ductoribus & nauarchis exemplo sit, nihil iniuste posthac in nostros homines moliendi. Id si feceris; quemadmodum pro Senatus istius æquitate confido te

facturum: erit & mihi; qui te remq; istam pub. vnice amo sane gratum; & tibi cum honorificum, cum te iustitiæ colentem fœderumq; obseruantem esse homines intelligent; tum etiam salutare: omnem enim ijs, quorum interest, cogitationem eripies potiora ei rei fructuosioraq; remedia perquirendi. Dat. Calend. Maijs. MDXIIII Anno secundo Roma.

Magistratui Arimini.

XVI VArij atq; difficiles fortunæ casus; quos egregia mulier Violantis Bentiuola Malatestis quatuordecim fere annos est perpessa, dum mariti sui ditione pristina excussa nouem liberos alienis opibus nutrit; me commouent; vt eius ærumnas atq; labores parte aliqua subleuẽ. Itaq; certior factus bona quædam in Ariminensi ratione dotis illi deberi; mando tibi, des operam, vt ei pro iustitia satisfiat: eoq; magis; quod intelligo, Ariminenses ipsos eam satisfactionem non impedituros. Dat. tertio Non. Maias. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Recanatensibus.

XVII CErtior sum factus eam materiem, quam Bernardo Bibienæ Cardinali vos daturos recepistis; qua materie ad templi Lauretani ædificationem vteremur; probam atq; idoneam non esse. Quamobrem mando vobis atque impero; vt bonas arbores, quæq; vsui ei ædificationi possint esse, ex Andreæ Sauini eius ædificationis magistri sententia, apportari illò quàmcelerrime iubeatis: vt quæ iam cœpta sunt fieri, ne intermittantur; sed procedant: ne tum nos, tum etiam Deam ipsam inani lignorũ inutilium donatione lusisse videamini. Dat. xvi. Cal. Iulias. Anno secundo. Roma.

Maximiliano

Maximiliano Imperatori designato.

ALlatum ad nos est, Venetos, cum Flumen oppidum XVIII tuũ, quod est in Istria, cepissent; multum lignorum vim ad naues conficiendas idoneam in vicinis ei oppido syluis cædi iussisse: Eaq; ligna Venetis abste repulsis recuperataq; prouincia humi proiecta atq; imbribus exposita iacere: periculumq; esse, ne breui ita vitientur; vt nullus ex ijs percipi vsus possit. Quod cum ita sit; ad fani autem Lauretani ædificationem omni à me cura diligentiaq; inceptam atq; institutam; quod quidem fanum summo atq; admirabili gentium & populorum concursu pietateq; celebratur; eius lignorum generis atq; materiei magnopere indigeam; hortor te etiam atq; etiam; velis, vt Diuæ bonos tua liberalitate augeatur, celeberrimo orbis terrarum fano donare eam materiem, mãdareq; tuis Magistratibus, vt nostris hominibus, quos eò mittemus, omnem à Venetis cæsam arborem auehendi, atq; Anconam & Lauretum transportandi potestatem faciant: eoq; libentius; quòd te aiunt ijs arboribus quem ad vsum vti possis, vix habere. Id si feceris; & rem tua religione atq; amplitudine dignam statues: & me, qui quidẽ suppeditare tam apte ei ædificationi ligna idonea nequaquam possum, eo munere ad ædificationem conficiendam reddes etiam diligentiorem, tibiq; debentem. Dat. xvi. Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Ioanni Lunæ Siculo viro Principi.

LÆtitia tua; quam ex eo, quòd ad propinquitatem XIX inter te atq; nos familiamq; nostram ineundam & constituendam animum induxerim, accepisse te scribis; mihi plane grata accidit. Itaq; Sigismundũ filium tuũ; cui Lucretiæ Saluiatæ sororis meæ filiã spopondimus; amore iam prope paterno pietateq; cõplector; quemadmodum

ostendis cupere te: neq; sane illum modo; sed reliquos etiam liberos tuos, vniuersamq; domum atq; familiam in meam fidem beniuolentiamq; recipio: quam rem fortunare Deum volo. Tibi quidem certe omnibus in rebus, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem dignitatemq; pertinebũt, voluntas nullo tempore nostra, pietas, liberalitas deerit. Reliqua ex literis Iuliani fratris mei, qui te maxime diligit, cognosces. Dat. xij. Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Carolo Duci Allobrogum.

XX GRatissimum sane mihi optatissimumq; fuit; te; quem quidẽ propter animi tui egregias præstantissimasq; virtutes, generisq; nobilitatem à maioribus tuis magnis atq; claris viris, antiqua laudatissimaq; serie deductam atq; traditam, plurimi semper feci; Philibertã sororem tuam Iuliano Medici fratri meo nuptui velle tradere: affinitatemq; nobiscum inire, & consociare atq; astringere vtranq; familiam eo vinculi genere, quod idem esset omnium arctissimum atq; sanctissimũ. inductioq; animi & propensio ista tua valde me delectat. Itaq; quoniam non dubito, quin, quæ vtriq; nostrum probantur, ea etiam vterq; re sanctum iri atq; ad exitum perductum magnopere velit: Deum Opt. Max. oro quæsoq; vt cum ea confici annuat atq; mãdet ipse: tum velit, primum quidem fratri meo & sorori tuæ; deinde mihi atq; tibi, qui & propiores illis sumus, & amore atq; beniuolentia coniunctiores; deniq; vtriusq; nostrum familiæ atq; generi ea de re & propinquitate prospere atq; feliciter euenire. De me quidem ea omnia sperare expectareq; te volo; quæ ab optimo optatissimoq; filio de patre amantissimo sunt expectanda: Quemadmodum ab Amadeo Berruto notario & familiari meo latius cognosces; quem ijs de rebus ad te mitto: hominem & nobis charũ, & tui cupidum.

Dat. Octauo Id. Aprilis. M D XIIII
Anno secundo Roma.

Philibertæ Ducis Allobrogum sorori.

MItto ad Allobrogum Ducem fratrem tuum ijs de rebus, quas ab ipso cognosces, Amadeum Berrutum familiarem meum: cui mandaui, meis vt verbis tibi salutem diceret: tecumq; ageret, quæ agenda essent. Ei tu fidem habebis, & valebis. Dat. octauo Id. April. Anno secundo Roma. XXI

Comiti Geneuensium.

AMadeo berruto notario & familiari meo ad Ducem Allobrogum fratrem tuum proficiscenti ijs de rebus, quas tecum communicabit; mandaui, vt tibi salutem nuntiaret meis verbis. Ei fidem habebis: tibiq; ipsi omnia de me pollicebere, quæ ex vsu tuo esse cum Domini voluntate cognosces. Dat. octauo Id. Aprilis. Anno secundo Roma. XXII

Ludouico Galliarum Regi.

ALlatum ad nos est, tibi à certis hominibus insusurratum fuisse, Claudij Episcopi Massilien sium designati Legati tui curam atq; operam nobis gratum non nimium esse. Quæ sane res eo mihi grauior atq; molestior accidit; quod cum illum ob eius doctrinam, ingenium, probitatem multũ semper amauerim; posteaquam is ad me, vt Legatum tuũ ageret, Romam venit; nihil ipso tui amantius, nihil ardentius vidi; nihil plane tuis in rebus omnibus tractandis atq; administrandis diligentius, accuratius, laboriosius illo fuit: quod quidem certe me illi etiam deuinxit arctius. Itaque cum se aliquando ad te redire velle mihi significauisset; ne id faceret, sum illum pluribus fortasse XXIII

verbis; quam vel nostra dignitas vel mea fert consuetudo; dehortatus. Quæ cum ita se haberent; hæc ad te scripsi; vt esset eius rei testimonium apud te meum; hortarerq; te, ne posthac de mea in Claudium voluntate plus vllis hominibus crederes, quam ipsi mihi; neve velles, vt is abste suorum pro te susceptorum officiorum, laborum, curarum, vigiliarum longe aliam, quam te atque ipsum deceat, mercedem atque fructum caperet. Dat. Id. Iun. Anno secundo. Roma.

Carolo Duci Allobrogum.

XXIIII EX oratione Amadei Berruti, de tuo erga me studio atque ijs in rebus, de quibus tecum egit, volũtate, quæ maxime optabamus, quæq; mihi gratissima fuere, cognoui: tuasq; literas libenter legi; per quas mihi de paterno meo in te animo gratias agis humanissimis verbis. Eas ad literas & Amadei sermonem quid rescribi tibi, quæq; scire te volo, ex ipsius ad te literis intelliges. Ipse autem Berrutus; quem quidem multis de causis admodum diligo; erit mihi posthac tua commendatione etiam charior. Cæterum amari te magnopere à me, commodaq; omnia dignitatemq; tuam atque amplitudinem mihi magnæ curæ esse si existimabis; minime decipere. Dat. xi. Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Comiti Geneuensium.

XXV ET tuæ ad nos plenæ officio & obseruantia literæ, & Amadei Berruti familiaris nostri sermo tuum erga me cultum & voluntatem vberrime ostenderunt. De eo & valde quidem te amo: & meam ad te ornandum pronam beniuolamq; mentem & studium omni tempore tibi polliceor. Reliqua ex Berruti literis cognosces. Dat. xi. Cal. Iul. Anno secundo, Roma.

Magistratibus Senensium.

MIttimus ad sedandos compescendosq; tumultus vestrorum exulum, qui vt ciuitatem vestram perturbarent, manum armatorum hominum coëgerunt; Pindarum Santesium familiarem meum, hominem & virtute præditum, & nobis in primis gratũ & probatum. De quo mentem & consilium super ea re meum cognoscere facile poteritis, quamq; vos vrbemq; istam diligã. Dat. viij. Cal. Iul. Anno secundo. Roma. XXVI

Pindaro Santesio.

ET nuntijs & multorum literis cognoui, nouarum rerũ motũ ab exulibus Senensibus excitari; coactamq; iam esse operarum magnam manum armatorumq; hominum; qui vrbem Senas inuadant, perturbentq; eum statum, qui nunc est, quoq; oppidum in præsentia regitur. Quamobrem ægre molestéq; ferens, esse vllos eius oppidi ciues tam sceleste tamq; perditos, qui eiusmodi cõsilia concipiant atq; agitent; mando tibi, cuius mihi probitas atque prudentia probantur; vt illò te quàm celerrime conferas; desq; operam; ne quid ea vrbs detrimenti capiat. Qua in administratione atq; cura quicquid iusseris imperaueris; id ita iussum imperatumq; volo esse; vti esset, ipse idem si iussissem, imperauissem. Itaq; tu ea in re vicarius meus esto: autoritas tibi mea; siue dixeris, siue quid statueris; adesto: qui mihi Reiq; pub. parent; tibi parento. Tu verò singula pro tempore, vti res feret, consulte atq; prudenter administrabis: & me adesse omnibus rebus; quas dices, quasq; statues; existimabis. Dat. octauo Cal. Iul. Anno secundo. Roma. XXVII

Reip. Florentinæ.

XXVIII Mittimus ad sedandos tumultus & audaciam exulum Senensium compescendam Pindarum Santesium familiarem nostrum & gratum nobis hominem & probatum. Valde enim cupimus, ne scelere perditorum hominum id oppidum; quod nostros ad fines pertinet; cuiq; oppido non minus animorum beniuolentia, quam locorũ propinquitate coniungimur; insigne aliquod detrimentum atq; molestiam capiat: sed nostra cura diligentiaq; muniatur atq; defendatur. Ei mandauimus; vt si ad rem, vt volumus, conficiendam vestræ opis indigebit; literas ad vos det; petatq;, quæ sibi esse vsui existimabit, quæq; administrandis à se rebus opportuna esse conducibiliaq; cognoscet. Itaq; vt Pindaro fidem habeatis, operamq; vestram, si erit opus, & officium strenue atq; impigre nauetis; etiam atque etiam à vobis peto. Erit id nobis in primis gratũ, atq; itũ, vt nihil possit esse gratius. Dat. octauo Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Vladislao Regi Pannoniæ.

XXIX Petrum Bergnanum familiarem meũ mitto ad te cum mandatis ijs de rebus, quas ab ipso cognosces; quæq; mihi pro mea in te beniuolẽtia magnæ curæ sunt, eius verbis omnem fidem habebis; & valebis, nosq; diliges. Dat. quinto Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Magistratui Parmæ.

XXX Cataneo ad te proficiscenti, vt de conficiendis cum Malatesta Medice propinquo meo nuptiis meo & Guidi Medicis eius fratris nomine te alloquatur, has ad te dare literas volui: quibus te commonefacerem; vt quoniam eos fratres in primis diligo; quorũ alterius etiam

diligens fidelisq; opera domesticis meis in rebus atq; familiaribus quotidie mihi magis probatur; omne tuũ studium & diligentiam adhiberes; vt si eæ nuptiæ vsui & honori futuræ illis essent, rem conficeres; teq; ita gereres, vt intelligeremus propinquorum meorum hominum mihi charissimorum honestorum virorũ causam tibi curæ atq; cordi fuisse. Reliquum est; vt & Cataneo & Guidi literis fidem habeas; vtq; ipsi tuam operam deposcent, teq; facere volent, sic facias. Dat. sexto Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Hannibali Paleotto.

XXXI Et virtutem probitatemq; tuam, quibus agendarũ rerum experientia & in omni vita prudentia coniuncta esset; dum Bononiæ Legatum agerem, sæpe probaui; & Romanos à te Pontifices miro studio ac pietate semper cultos fuisse plane cognoui. Ac præter hæc etiam patris tui Vincentij Paleotti equitis Bononiensis legum scientia magni atq; clari viri nomen; fratrumq; tuorum Alexandri & Camilli excellentes diuersis in literarum & doctrinarum studijs disciplinæ mihi ante oculos versantur; meq; admonent, vt meã in te paternã propensamq; voluntatẽ egregio aliquo munere apud omnes homines testatã faciã. Itaq; te Bononiæ, cuius municipũ ab antiqua & honesta familia oriundus ciuem geris, omnesq; tui gessere; XL virum facio Antonij Mariæ, qui propter senectam ei magistratui renuntiauit, loco omnibus ijs cũ muneribus, honoribus, antelationibus, cõmodis; quibus reliqui XL viri vtuntur, fruuntur, gaudẽt; vel vti, frui, gaudere eis licet. Quare mando ijs, qui in eo magistratu sunt; vt te in suum collegium recipiant. Tu verò dignum te & maioribus tuis & mea beniuolẽtia fac præstes; vt spei; quã de te habeo, planè respondeas. Dat. Cal. Iul. Anno secundo. Roma.

Thomæ Feltrinorum Episcopo Internuntio apud Imp.

XXXII INtellexi Vitum Frustum Magistratum Mutinæ in custodia Guidum & Sigismundum Rangonios fratres habere: qui vel propterea, quòd ex ea familia sunt, quæ pro suis plurimis atq; maximis in me meosq; omnes officijs est mihi, vti debet, coniunctißima; vel, quòd ipsos Maximiliani Rom. Imp. def. studioßißimos esse cognoui: habentur à me in propinquorum mihi & necessariorum loco. Itaq; mando tibi; vt eos Maximiliano ipsi quamaccuratißime cõmendes meis verbis cum reliquis eorũ in rebus atq; causis, tum præcipue in salute; quæ mihi cordi est, quantum potest esse maxime. Dat. Non. Iul. Anno secundo. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER IX

Federico Lando Placentino.

I AVDIVI de ijs, qui te amant, ciuibus tuis, qui Romæ sunt; te ex interitu Baptistæ Landi filij tui Romæ à Petro Francisco Maluicino ciue Placentino proximis diebus interfecti, permotum atq; perturbatum, reliquosq; liberos tuos ira iniuriaq; percitos parare arma in Maluiciorum familiam; vt defuncti mortem modis omnibus vindicetis. Ea in re tametsi tuo tuorumq; dolori iusto præsertim facile ignosco, molestißimeq; fero ea, quæ acciderunt: te tamen; quem quidem certe in primis diligo, cuiusq; & prudentiam & temperantiam omnibus in rebus semper probaui; moneo paterne atq; hortor; vt quam adhuc quidem moderationem animi tui vitæq; rationem es complexus; ea posthac etiam vtare: teq; ipse primum, deinde tuos cõtineas; nequid Placentiæ tumultus vestra causa exoriatur: quod plane fiet; si & ipse quieueris, & quiescere iusseris tuos. Id vt facias, etiam atq; etiam abste peto. Erit & mihi gratum; & tua ætate, integritate atq; prudentia dignũ. Equidem quæ cogitari atq; statui à me debent, vt dolori tuo atq; iniuriæ pro iustitia satisfiat; in ijs tibi eo minus deero; quo te magis intellexero meis monitis præceptisq; paruisse. Dat. xviij. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Canonicis & societati Ecclesiæ Veronensis.

II INtellexi vos emphiteoseos nomine villam atq; agrum, Cederelli qui fuerat, Domitio Pomedello dedisse. Qui quidem Domitius cum alumnus sit Antonij Thebaldei; quem ego virum propter eius præstantem in optimarum artium studijs doctrinam, pangendisq; carminibus mirificam industriam vnice diligo; gratã hercle mihi ea vestra liberalitas fuit. Itaq; certior factus superesse etiam vobis portionem quandam ex illis ipsis Cederelli bonis, quam nemini adhuc quidem donauistis; has ad vos literas dedi; vt scirestis; si, quod est reliqui eorum bonorum, eo à vobis Domitius augebitur; mihi id per quãm gratum futurum. Vos autem in eo præterea & modesti ac probi adolescentis arctam angustamq; rem vestra liberalitate explicabitis: & virũ egregium ac perelegantem, deq; vestra ciuitate optime meritum

eius patronum eo beneficio vobis deuincietis. Dat. xvi. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Sigismundo Regi Poloniæ.

III

PErfertur ad me, seditionibus non neqligendis in Pannonia per factiosos homines & scelestos excitatis arma temere tractari, ac trucidari passim plurimos, & intestinũ quoddam quasi bellum existere contra Vladislai Regis Pannoniæ fratris tui voluntatem. Itaq; timendum esse; nisi ei rei quàm celerrime occurratur; ne freti ac permoti ea occasione Turcæ Regnum illud conuulsum iam per se ac debilitatum; ad quod quidem maxime omnium mentem atq; animum adiecerunt propterea, quod est cum suis Regnis coniunctissimum; ipsi integri collectis viribus adoriantur. Eo Regno atq; populis vel sub iugum missis, vel profligatis ac perditis, qui vos casus maneat; nemo est, qui nõ videat etiam tacente ac silente me. Eas ob res omneis te hortandum esse in primis duco; vt vel sublato modis omnibus eo bello, quod te in præsentia intelligo cum Moscouitis exercere; vel, si fieri potest, suspenso atq; in aliud tempus dilato ac reiecto, properes auxilium atq; opem ferre fratri germano tuo; exercitumq; in Pannoniæ fines adducas. Non enim vereor; si te modo appropinquare populi illi senserint fratri suppetias allaturum, quin se omnes in officio contineant. Quod cum fecerint; etiam Turcis spem eripiet primũ quidem in Pannonios fratremq; ipsum tuum, deinde in reliquos Christiani nominis populos atq; gentes male cogitandi. Id abste ita peto; vt quanquàm videar tuorum etiam causa te cohorturi atq; commonefacere; tibi tamen nihilo sim minus ea de re debiturus; desi mihi vni tantum, quantum postulo, tribuisses. Quintodecimo Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Liuoniæ Magistro.

PRoximis diebus Prussiæ Magistri atq; tuis petentibus Legatis; vt Regis Poloniæ ipsius q; Magistri veterem illam maximarum rerum & cõtrouersiarum causam, quam habent, sacro Lateranensi Consilio iudicandam terminandam q; aliquando tandem remitterem: nuntiatum est in Pannonia tumultus magnos & seditiones exortas esse: ob eamq; rem trucidari plurimos, excitariq; tanquã intestinũ bellum contra Vladislai Regis Pannoniæ voluntatẽ: verendumq; esse; nisi id tempestiue bellum sedatum sopitumq; sit; ne animati ea occasione Turcæ Regnum illud, quod vicinum ipsis est, inuadant atque diripiant. Ea regio atque natio cum quasi vallus quidam atq; agger munitissimus inter nos atq; illos adhuc quidem semper sit habita; quantum ex eo periculi rei Christianæ impendeat; satis etiam tacente me res ipsa per se loquatur. Itaque cum existimarem primum omnium oportere, vicinorum & Regum & Principũ vnanimi consensu rebus Pannonicis quàm celerrime succurri; ne inchoatum iam malum atq; labes augendi confirmãdiq; sese moram atq; spatium nanciscì posset: tuorum & Magistri Prussiæ Legatorum postulationes in aliud reiecì tẽpus, atq; distulì: ne dum animorum voluntatumq; vestrarũ conciliationis nouus hic Pannoniæ rerum status maxime indigeret; lis inter vos ac disceptatio magnis de rebus atq; causis agi tractariq; Romæ incipiat. Quamobrem tametsi Regem Poloniæ bello Moscouitano esse implicitũ audierim: tamen quia Pannoniæ Regno in periculũ adducto vicina ei Regna in tuto esse nequaquam poterũt; dedi ad eũ literas; quibus literis; vt vel sedato eo quoquo modo, vel suspenso bello ad Pannoniæ fines cum exercitu se conferret; deq; sedandis eo in Regno seditionibus intestinoq; bello cũ Rege fratre suo IIII

agerẽt; sum illum diligenter hortatus: ſperoq; fore, vt meis monitis ſalutaribus præſertim atq; amantiſſimis pareat. Eam ad rem tu quoq; vti curam cogitationemq; tuam adhibeas, pro mei muneris officio etiam atq; etiam abſte peto. Nam quoniam propter eam, quæ tibi cum Moſcouitis eſt, vicinitatem confido tua me opera & autoritate poſſe, quod poſtulo, facile conſequi; vt id, quod dixi, bellum vel ſinẽ alio quem nanciſcatur, vel ipſum differatur; quo Rex Poloniæ Regi Pannoniæ auxilium afferre, eiq; præſto eſſe poſſit: valde cupio; vt eam tu ad rem tam honeſtam tamq; laudabilem conficiendam, conſociendasq; duarum Regum voluntates atq; mentes autoritatem tuam conferas nobiſcum atq; adiungas. Id ſi feceris quemadmodum quidem tua fretus cum prudentia, tum in me, qui te vnice diligo, voluntate maxime confido te factũ; & officio eris functus optimi prudentiſſimiq; Principis; & ſpem omnem hoſtibus noſtris communibus auferes Regnum quidem Pãnoniæ primum, deinde alias atq; alias nationes Chriſtianas inuadẽdi atq; proterendi; & tibi ego plurimum debebo, cuius eris precibus atq; monitis obſequutus. Quintodecimo Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Antonio Mariæ Palauicino.

V REcordari facile potes, me, cum Romæ eſſes, non ſemel te paterne monuiſſe; vt cum Galeatio Palauicino fratre tuo ageres; vt Caſtrum Cornelij; quod quidem Caſtrum egregia Rubeorum familia apud nos eſt conqueſta ad ſe pertinere; mihi & Reip. ille atq; tu remitteretis; vt quæ æqua honeſtaq; eſſent, de eo ſtatuerẽ: teq; ita factu rum, nobis pollicitum fuiſſe, puto te non eſſe oblitũ. Id cum à te differatur, nihilq; de eo confectum adhuc quidem ſit; ſcribendum ad te putaui; vt quemadmodũ pollicitus fuiſti

te cum fratre tuo curaturum; ita faceres; Reiq; pub. atque mihi tu fraterq; tuus Caſtrum Cornelij traderetis; vt de illo pro iuſtitia decernere & ſtatuere poſſem. Id ſi feceritis: erit mihi admodum gratum: vosq; vti viros mei obſeruantes poſthac etiam impenſius diligam. Dat. quarto Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanenſium Duci.

PRoficiſcitur Mediolanum is, cui has ad te literas dedi, VI abſte petiturus, vt ſibi emere iſthic liceat thoracas ferreos quater mille; quibus noſtri pedites vti poſſint. Qua in re te hortor, des ei atq; commodes non id modo, vt emere thoracas illos, ſed etiã vt ſine portorij ſolutione educere de tua ditione poſſit. Dat. quarto Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Ludouicæ Tornaboniæ.

NArrauit mihi Iulianus Tornabonius propinquus VII tuus de tua in me pietate ſanè multa; quæ mihi grata admodum atq; iocunda fuerunt. Animi enim tui erga me plenam beniuolentiæ voluntatem à primis vtriusq; noſtrum annis mihi & perſpectam & probatam libentiſsime agnoui. Itaq; ea te de re amabiliq; officio valde diligo; voloq; ſcire; ſi quid acciderit, in quo tibi aut tuis eſſe vſui perpetua mea erga te charitas amorq; paternus poſſit: nullum me grati animi ſignum prætermiſſurum; vt intelligas te mihi eſſe chariſſimam, ſemperq; fore. Dat. tertio Cal. Aug. Anno ſecundo. Roma.

Municipibus Arimini.

CErtior factus ſum Claræ Malateſtidi Montiſferetrianæ ſacerdoti, quæ vxor Roberti Malateſtæ fuit, certam ſummã dotis & hæreditatis nomine à vobis VIII

deberi: itaq; à sex viris Fisci Romani, cum in cõtrouersiam res venisset, iudicatum fuisse. Quare hortor vos; vt secundum Sex virum iudicium curetis efficiatisq;, vt mulier ad suum perueniat sine dispendio & mora. Dat. prid. Cal. Aug. Anno secundo Roma.

Petro Mariæ Scotto Placentino.

IX Intelleximus te quasdam possessiones Ghiselli Marchionis Malespinæ per tuos vi occupauisse: eiusq; vxori sororituæ, virũ vt relinqueret, persuasisse: itemq; quosdam ex tuis abste adiutos magnum frumenti numerum domus hospitalis Placentinæ intercepisse: tum diui Benedicti societatis aquæductus perfregisse. Quæ quidem mihi omnia per sane grauia perq; molesta fuerũt; eusmodiq; visa sunt, vt tolerari à me nullo pacto debeant. Quod si Palauicinorum familiæ nobis charissimæ causa tuam adhuc arrogantiam pertulimus; scire te plane volo, nos posthac tibi Palauicinorum autoritate nihil remissuros: sed cum illa priora, tum ista recenter abste admissa eo acrius vindicaturos; quo in te mitiores adhuc quidem fuimus. Itaq; mando tibi; vt ablata abste atq; à tuis, Ghiselliq; coniugem illico restituas: aquæductus perfractos reponas: audaciamq; tuã reprimas: teq; ipse modestia nostra impunitatiq; abutentem colligas, atq; contineas; moresq; induas & clementia nostra & tua familia dignos: pareasq; istius vrbis Magistratui omnibus in rebus; quas teres volet facere, tibiq; iusserit. Hæc omnia nisi abste curabuntur; non ea modo, quibus te liberalitas nostra donauit; sed etiam patrimonium tuum omne addici fisco mandabo: teq; vti rebellem nostrum atque hostem modis omnibus puniam. Dat. prid. Calend. Aug. Anno secundo. Roma.

Magistratui Placentiæ.

X Exemplum literarũ, quas ad Petrũ Mariam Scottum dedi, habuisti cum his literis. Itaque mando tibi; vt quæ me ci præcipere ijs in literis cognosces; eadem tu quoq; meis verbis illi mãdes atq; præcipias. Quod si is meis mandatis non obtemperauerit; volo eum releges, quo in loco tibi videbitur; eiusq; bona fisco addicas; cæteraq; omnia statuas pro nostra dignitate: nequis post hac malefacere audeat; speretq; se id impune laturum. Dat. prid. Calend. Aug. Anno secundo. Roma.

Galeatio & Antonio Mariæ Palauicinis fratribus.

XI Pertulimus adhuc quidem vestra causa Petri Mariæ Scotti intemperantes mores audaciamq; non ferendam. Ille verò benignitate nostra magis magisq; in dies singulos abutitur; atque in omnia mala promor sit. Quamobrem has literas dictaui; vt vos commonefacerem; nisi se ille audaciamq; suam furoremq; repressérit; & quæ nuper damna intulit, ea statim omnia illis ipsis reposuerit, qui pertulerũt; nos in illum neq; vos neq; quempiam reuerentes, quemadmodum meritus est, sic animaduersuros. Dat. prid. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Philippo Capello & eius patruelibus Andreæ Capelli filiis Venetis ciuibus.

XII Lectis vestris literis, quibus mecum multis precibus agitis; vt cum olim Iacobus Franciscanorum minorum societatis Magister, qui tunc erat; cubiculum in sociorum domo; quæ Venetijs est; Victori Capello auo vestro eiusq; liberis dederit, concesserit: idq; deinde factũ Romani Pontifices duo Paulus Secundus & Sixtus Quartus

probauerint: eam ipse dationem & conceßionem in vos; qui Victoris nepotes estis ex duobus eius filijs Andrea & Paulo geniti; itu transferam; vt parentum vestrorum ius in vobis tribus eorum liberis resideat: pro mea in vos pietate facile animum induxi; vt vestris postulatis satisfacerem. Itaque dationis & conceßionis eiusmodi sensum seriemq; omnem ipse quoq; approbans idem illud, quod Victori Capello auo vestro eusq; liberis vestris parentibus datū consessumq; tunc fuit; autoritate mea æqua portione in vos transfero: voloq; vt ius ex semisse illud in cubiculum habeas tu Philippe Capelle vnicus Pauli Capelli filius: vos autem Andreæ Capelli duo filij ex altero semisse; hoc est ex quadrante quilibet. Quorum quidem patrum vestrorum alter à me valde sane diligitur Paulus; Remq; pub. Venetam administrat: alter plures abhinc annos Romæ Legatū Venetum agens mortem obijt. Itu & mea in viuū beniuolentia, & mortui nex publicè susceptu vobis proderit. Dat. quinto Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

XIII Raphaello Vrbinati.

CVm præter picturæ artem, qua in arte te excellere omnes homines intelligunt, is à Bramante architecto etiam in construendis ædibus es habitus, vt tibi ille recte Principis Apostolorū templi Romani à se inchoati ædificationem committi posse moriens existimauerit; idq; tu nobis forma eius templi confecta, quæ desiderabatur, totiusq; operis ratione tradita docte atq; abunde probaueris: Nos; quibus nihil est prope antiquius, quàm vt fanum id quammagnificentißime quamq; celerrime construatur; te magistrum eius operis facimus cum stipendio numum aureorum trecentorum tibi annis singulis curandorum à nostris pecuniarū, quæ ad eius fani ædificationem erogantur ad nosq;

ad nosq; perferuntur, Magistris: à quibus id stipendium æquis pro tempore portionibus dari tibi cum petieris sine mora etiā mensibus singulis iubeo. Te verò hortor; vt huius muneris curam itu susciptas; vt in eo exercendo cum existimationis tuæ ac nominis; quorum quidem in iuuenili ætate bona fundamenta iacere te oportet; tum spei de te nostræ paternæq; in te beniuolentiæ; demum etiam fani, quod in toto orbe terrarum longe omnium maximum atq; sanctißimum semper fuit, dignitatis & celebritatis, & in ipsum Principem Apostolorū debitæ à nobis pietatis rationem habuisse videare. Dat. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Legato Auinionensi.

ANtonium Thebaldeum probū hominem, atq; in bonarū artiū in primisq; poëtices studijs tum nostra, tum latina lingua facile præstantē virū multos iam annos vnice diligo. Cui cum portorij munus, quod in ponte Sorgiæ Fluminis est Auinionēsis diœceseos Legationis tuæ, conferri cupiam, vt eo sese alere ac sustentare liberaliter possit; peto abste velis, vt homo egregius & excellēs & mihi valde charus eo munere per nos te libente afficiatur. Dat. Nonis Aug. Anno secundo. Roma. XIIII

Regi Britanniæ.

HAdrianum Bardum ciuem Florētinum Tami plebanum propter plurimas ipsius virtutes eamq; necessitudinem, quam cum domo mea veterem atq; arctam habet, valde diligo. Quem cum intelligam in Regno tuo triginta prope annos innocenter fuisse versatum; commendo tibi eum sane perdiligenter. Quicquid in illum beneficij liberalitatisq; contuleris; id tam nobis erit gratum, quàm quod gratißimum. Dat. octauo Id. Aug. Anno secundo. Roma. XV

Laurentio Medici fratris filio

XVI ET si ex aliorum literis de Consulatu Constantinopolitano Zenobio Medici tradendo mentem meam cognoscere potuisti: te tamen meis etiam literis putaui esse commonefaciendum; dares operam, efficeresq; autoritate tua & gratia, Magistratum vt illum Zenobius ab ista Rep. cõsequeretur. Valde enim cupio, ne propinquus noster ea in re ferendis suffragijs prætereatur vel propterea, quòd augeri illum omnibus in rebus sane volo; vel maxime, quòd Zenobium ipsum ei muneri fore idoneum vehementer existimo. Dat. septimo Id. Aug. Anno secundo Roma.

Ioanni & Gentili Saxatellis Forocornelienſibus.

XVII MVlti ad me scribunt; rumor etiam ipse quasi me admonet; Bentiuolos fratres modis omnibus dare operam, vt in patriam vi redire, Bononiaq; statum perturbare atq; peruertere possint; eisq; vos auxilio in primis futuros. Quod vtrunq; tum pro illorũ, tum etiam pro vestro in me cultu, nostraq; in illos atq; vos paterna voluntate & charitate credere nullo pacto possum. Quid est enim minus hominis; quàm hominum bene viuentium conuentus & societates constitutas diripere; eisq; vim afferre conari? nédum id etiam amicorum & necessariorum hominum munus esse atq; cogitatio credatur. Vtcunq; autem se res habet; mando vobis ea lege, quæ de maiestate est, non id modo, vt à Bentiuolis vlla in re iuuandis in eorum ad patriam reditu prorsus abstineatis; quanquam id quidem maxime: sed etiam vt illos modis omnibus ab ea cogitatione reuocetis; operamq; vestram omnem, curam, diligentiã adhibeatis; ne fiere, aut etiam tentare id omnino possint. Dat. prid. Id. Aug. Anno secundo. Roma.

Alfonſo Duci Ferrarienſium.

NOn vnis optimorum hominum & prudẽtium virorum literis certior factus sum, reditũ in patriam à Bentiuolis fratribus vi atq; armis parari; existimariq; à multis, vel iam plane sermone hominum confirmari, eis te auxilio futurum, opesq; tuas subministraturum, vt id facilius consequi atq; conficere possint. Quæ sane res mihi quidem; qui te atq; illos amo, deq; vtrisq; vt bene meritus essem etiam laboraui; omnino verisimilis non fit. Neque enim vel illis esse obscurum potest, me id non laturum, sed ei rei modis omnibus occursurũ: vel tu is es; qui sis nescius; quiq; non offensionem in me tuam damnosiorem tibi, quàm Bentiuolorum in patriam reditum fore vsui existimes. Verum enimuero, quoquo modo ea se habeant; te etiam atque etiam hortor, planeq; commonefacio; vt si illi ad reditum vi comparandum animum adiecerunt; non oratione modo eos tua, vel autoritate sententiæ absterreas ab eiusmodi consilijs suscipiendis; sed etiam quibuscunq; rebus potes; potes autem & plurimis & maximis; prohibeas, ne rem aggrediantur: sed quiescant; seq; cõtineant; neq; pergant eò progredi, vnde sciunt reditũ nullum esse. Id si feceris; & ipsis optime consulueris; & mihi tum fuerit gratum, quàm esset molestũ, si te adiutorem & sociũ meorũ hostium atq; rebellium præstitisses. Dat. prid. Id. Aug. M D XIIII Anno secundo. Roma. XVIII

XL viris Bononienſibus.

EX vestris ad Virgilium Legatum vestrum literis intellexi; quæ ad me deferri curauistis, argumenta coniecturasq; quibus in eam sententiã adducti estis, vt credatis tentari à Bentiuolis fratribus multũ armatorumq; hominũ manum ab eis cogi; vt redire in patriam vi, istiusq; XIX

ciuitatis ſtatum atq; otium perturbare atque peruertere poſſint. Itaque auxilia contra illorum conatus poſtulatis. Quæ autem per voſmet ipſos parari atque effici poterant; ea vos comparauiſſe iam omnia, ſuisq; diſpoſuiſſe ſingula & collocauiſſe locis adſcribitis. Quibus de rebus omnibus ſtudium, cura, diligentiaq; mihi veſtra vehementer probatur: fidemq; veſtram facimus certe plurimi. Nam quod ad præſentem veſtrarum rerum formam attinet; etſi exiſtimem tum Bentiuolos, tum etiam reliquos, quos commemoratis, nihil tale cogitare: ne vereri tamen queatis iſtius vrbis otium & tranquillitatem mihi minori, quàm profecto debeat, curæ ſolicitudiniq; eſſe: primum quidem Alfonſo Duci Ferrarienſium & Ioanni de Gentili Saxatellis fratribus interminatus ſum per literas; ne manum vllam, neve auxilium veſtris exulibus mitterent: ſed eos modis omnibus prohiberent; ne conuellere ciuitatis veſtræ ſtatum molirentur: quod eos facturos ſanè confido. Idem etiam Guidoni Rangoni ſcriptis ad eum literis mandaui: neque vereor, quin ipſe quoq; nobis ſit, vti debet, potius, quàm illis ſatisfacturus. Laurentium deinde Medicem fratris mei filiũ commonefeci; vt ſi vos Epiſcopus ve Polæ Bononiæ Magiſtratus opem ab eo Reip. pub. Florentinæ petitum miſeritis; rebus vobis omnibus præſto ſit ſine vlla mora. Quod, ſi erit opus, facietis; atq; ad illum, tanquam ad me mittetis. Nam is propterea, quod vobis eſt vicinus, facile iuuare vos atq; celeriter poterit. Quod ſi maiore auxilio eſſe vobis opus exiſtimabitis, meq; de eo certiorem facietis; copiæ noſtræ omnes ad vos tuendos defendendoſq; mittentur: ſic enim maxime Reip. noſtræq; dignitas retinebitur. Vos autem ſingulis de rebus, quæ iſtic agentur, diligentiſſimè ad nos, vt adhuc quidem feciſtis, literas dabitis; vt vobis in tempore opitulari, cum initia rerum cognoro, facilius & explo-

ratius poſſim. Dat. Id. Aug. MDXIIII Anno ſecundo. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magiſtro.

ET ſi exploratum nobis erat pro tuo fraterno amore ac pietate triſtem te nuntium accepturum, cum intelliges Cardinalem Finarium fratrem tuum mortem obiiſſe: volui tamen, vt de eo meis literis fieres certior; vt cognoſceres te atq; tuos tuaq; omnia paternæ mihi curæ, vti debent, fuiſſe. Quem ſanè virum cum propter plurimas eius eximias q; virtutes & diligerem, vt fratrem; & magno eſſe vſui in Reip. adminiſtratione viderem; quantũ mihi moleſtiæ, quantum mœroris eius mors attulerit; exiſtimare facile ipſe per te potes. Ego quidem certe ſic exiſtimo; multum in eo viro ſplendoris & præſidij Remp. amiſiſſe. Noſtri verò in ipſum amoris & beniuolentiæ teſtimonium id ſupremum fuit; quòd omnibus profecto in rebus; quas impetrare à me voluit, vt beneficeret ſuis; ei petenti ſatisfeci. Ipſe autem ita fortiter temperateq; deceſſit; vt credi par ſit, Deum Opt. Max. ex hoc impuro lachrymabiliq; hoſpitio ad cœleſtis illum patriæ iocundiſſimam beatiſſimamq; ſedem euocare atque traducere voluiſſe. Nihil enim eorum, quæ ad ſanctiſſime decedentes pertinent, prætermiſit. Quæ cum ita ſint; te hortor, vt eam iacturam æquo & erecto animo feras: vt virum magnum, & ætate iam deuexa, & terrena omnia infra ſe habentem & contemnentem decet. Ego autem; ſiquid in eo ſolatij tibi eſſe poterit: polliceor tibi atq; recipio, me omnibus in rebus, quæ ad te dignitatemq; tuam pertinebunt, fratris tui clariſſimi viri amoriſq; eius erga te partes atq; munera ſubiturum, libentiſſimeq; repreſentaturum & præſtaturũ. Tu modo ad rem Chriſtianã iuuãdam, tuaq; cura & diligentia, vt ſoles, amplificandam à luctu

atque mœrore te auoca. Erit id & te dignum, & tuæ antea actæ vitæ proprium, & mihi gratum & optatum. Dat. xiij. Cal. Aug. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Laurentio Medici fratris filio.

XXI Significauit mihi Matthæus Cominus Montis feretrius, se bona sua nondũ recuperauisse. Quod mihi quidem fuit sanè molestum: qui homini nobis familiæq; nostræ in primis dedito satisfieri valde cupio. Quamobrem volo des operam; vt is in pristinas suas fortunas omneis sine mora sineq; dispendio reponatur. Præterea quoniam per superiores syndicos Cortinarum Aretij propediem creandus est is, qui Camerariatus & Massariatus muneri præsit: erit mihi pergratũ; si abste curabitur, vt Matthæus ipse à supra syndicis Aretinis legatur, qui eum magistratum gerat. Dat. xij Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Francisco Marchioni Mantuæ.

XXII Quoniam ad sacra conficienda precesq; diuinas celebrandas cantore mihi opus est, qui grauiori voce concinat: velim, si tibi incommodum non est, vt ad me Michaelem Lucensem cantorem tuum mittas: vt eo nostris in sacris atq; tẽplo; quod est omnium celeberrimum atq; sanctissimum, communemq; totius orbis terrarum pietatem & lætitiam contineat; vti possim. Dat. tertio Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Alfonso Cardinali Senensi.

XXIII Scripsit ad te Iulius Medices Cardinalis meis verbis, velles ad me mittere eum puerum, quem habes Gallum Musicæ artis peritum. Ex ijs enim, quos è Gallia decerserui, vnus atq; is quidem, qui peritior erat voculaq; blandiore ac flexibiliore præditus, mortem obijt. Eas literas cum tibi arbitrer redditas non fuisse: nihil enim ad illas adhuc quidem respondisti: has ad te alteras literas dare volui; quibus item te hortarer; velles de puero illo sacra nostra commodare: quibus in sacris tu quoq;, cũ huc veneris, pium honestumq; oblectamentum capies. Dat. prid. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Francisco Mariæ vrbinatium Duci.

XXIIII Intelleximus te in recenti eorum Cesenæ oppidi ciuium tumultu; quibus priora delicta pepercerimus; quiq; nobis fidem apud te dederant se pacta seruaturos, pacemq; non violaturos; opportune prudenterq; curasse, ne malum serpere vlterius posset firmata tuo præsidio ciuitate, missisq; illò, qui eam regerent; cum eius te rei arbitrum fecissemus. Quæ nobis omnia magnopere probantur. Mando autem tibi; vt in eos, qui pacta quiq; fidem non præstiterunt, animaduertas; quemadmodum tibi æquum esse atq; opportunum videbitur: vt cæteri; qui fidem nobis suam vel iam dederunt, vel daturi posthac sunt; eã fallere minus audeant. Faciesq; nos de eo, quod egeris atq; statueris, quam diligentissime certiores. Dat. prid. Cal. Aug. Anno secundo. Roma.

Internuntiis apud Regẽ Hispaniarũ nostris.

XXV Exemplum literarum, quas ad Ferdinandum Regem dedimus, habebitis cum his literis: ex quo quàm mihi gratum futurum sit; vt cum Geuensem Ecclesiam Episcopus defecerit, velit vt eã Gabrieli Archiepiscopo Barcẽsi cõferamus; facile cognoscetis. Itaq; volumus, vt omnem curam diligentiamq; adhibeatis; vt ab ipso Rege id, quod volumus, consequamur. Dat. quarto Non. Septemb. MDXIIII Anno secundo. Roma.

Ferdinando Hiſpaniarum Regi.

IOannis Scotti; cuius fides & induſtria pro re Romana tuiſq; rebus egregia atq; mirifica bellis Italicis extitit; controuerſiam, quam habet cum ijs, à quibus res eius domeſtica retinetur atq; diripitur; commendo tibi maiorem in modum: petoq; abſte; vt eius cauſam cum veterem, tum aduerſariorum artibus conturbatam explices: fautoremq; te homini forti atq; prudenti præbeas. Erit mihi ſane quàm gratum. Dat. prid. Non. Sept. Anno ſecundo. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXVII COnqueſti apud me ſunt Legati Maximiliani Romanorũ Imperatoris deſig. multis & quotidianis propequerelis; Ioannem Paulum Balionem, dum is veſtri exercitus Præfectum ageret, captum ab Hiſpano exercitu, poſtea fide data reuertendi cum iuberetur nobis petentibus dimiſſum; demũ redire ſæpius iuſſum nunquam viæ ſe dediſſe. Quam rem ægre moleſteq; ferre Maximilianum, ſeq; deluſum exiſtimare, ijdem mihi ſæpe Legati ſignificauerunt. Quibus cum bona ſemper verba dediſſemus; proxime mecum egerunt longa conſtantiq; oratione; vt vel ipſum Io. Paulum ad Hiſpanorum exercitum, cuius eſt captiuus factus, remitterem: vel darem operã, vt tu Chriſtophorum Frigapanem Maximiliani exercitus item Præfectum captiuum tuum miſſum faceres illius loco: Earum rerum alterutram niſi breui tempore confeciſſem; Maximilianum graui ſe à me affectum iniuria, irriſuiq; habitum, exiſtimaturum. Quamobrem vt ipſe vel promiſſi mei onere, vel expoſtulationis eorum moleſtia aliquando tandem ſubleuer; peto abſte etiam atq; etiam; vt quemadmodum Maximilianus meo rogatu Ioanni Paulo Romam veniendi poteſtatem fecit; ita tu quoq; Chriſtophoro ſe ad nos conferendi

poteſtatem facias fide ab eo accepta, ſe Roma me nolente nõ diſceſſurum, neq; contra te hoc toto bello arma ſumpturum. Id ſi feceris; & me magna moleſtia liberaueris; & tuillis æquum & iuſtum præſtiteris, qui fidem meam adhuc quidem deſiderant; ego verò illius quidem certe, ſed mehercule etiam tuam. De eo cum Legati tui ſcriba ſum loquutus: is ad te ſermonem meum perſcribet. Dat. vi. Id. Septemb. Anno ſecundo. Roma.

Alfonſo Duci Ferrarienſium.

IAcobum Sadoletum ciuem tuum; cuius egregia & fi- XXVIII
deli opera ſcribendis epiſtolis quotidie vtor; ob eius excellens atq; præclarum ingenium, optimarumq; artium ſingularem doctrinam, & præſtantem omni virtutum genere animum magnopere amo; facioq; ſane plurimi. Eius ſororis vir Tadeus Gilinus cupit impetrare abſte magiſtratum aliquem tuis in locis, quem triennium aut biennium exerceat: vt & honeſtius eos dies traducere, & familiã ſuam alere facilius atq; commodius poſſit. Itaq; te non ſolum horor, ſed etiam rogo, velis præclari hominis mihiq; chariſſimi propinquo pudenti, vt intelligo, viro & virtute prædito ſatisfacere: qui tamen rem omnem deſideriumq; ſuum tibi coram ipſemet diligentius explicabit. Dat. v. Id. Sept. Anno ſecundo. Roma.

Ludouico Gallorum Regi.

ETſi te antea certiorem feci; me tum ad monaſteria, XXIX
tum etiam ad Eccleſiam Caturcenſem, quorum & poſſeſſor & Epiſcopus Cardinalis Finarius mortem Romæ obierat, Ludouicum Carretũ demortui propinquum & Franciſcum Eliſeum Cardinalem ſublegiſſe: hortatusq; te ſum, velles diplomata eis conficere; quibus ſignificares ea, quæ ſtatueram, probari abſte, atq; ita fieri tibi placere:

te tamen his etiam literis commonefaciendũ putaui; ne rem differres longius; neve in eo te duriorem & difficiliorem præberes; quàm vel meus erga te amor; vel optimi hominis tibi planè dediti, atq; duorum alterius viui, alterius nuper mortui Cardinalium egregia atq; illustria in te multorum annorum officia, studia, labores etiam postularent. Dat. xvij. Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Ludouico Gallorum Regi.

XXX PEtrum Nauarrum Cantabrum præstantem in rebus bellicis virum captiuum tuum; cuius res fortiter & præclare gestas pro Rep. Christiana egregiamq; in nos fidem & pietatem tibi notas esse arbitror; valde amo: eiusq; incolumitas & salus mihi magnæ curæ est. Itaque quo maiore studio possum, abste peto, velis eum aliquando tandem missum facere. Qua de re Ludouico Episcopo Tricaricensi Legato apud te meo per literas, & Ioanni Roccaforti Legato apud me tuo præsens ipse mẽtem meam latius & diligentius explicui. ij ad te omnia deferent. Dat. xij. Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Petro Nauarro Cantabro.

XXXI PRoficiscenti ad te Ferrando, qui est ex societate Franciscinorum minorum, familiari tuo dedi ad Ludouicum Regem literas: quibus literis peto ab illo, te vt missum faciat: quod eum facturum pro mea in illum voluntate & beniuolentia sanè puto. Itaq; hæc vt scires volui; tum vt bono animo esses, confideresq; me nulla in re, quæ ad salutem libertatemq; tuam pertineret, negligentem fore. Quod etiam plenius & vberius ex ipso Ferrando cognosces. Dat. xij. Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Municipio Firmano.

MAgna cum molestia percepi Ioannem Franciscum Astuldi filium Asculanum ingenti armatorũ hominum manu vestro in oppido cõparatu res Asculanorum perturbare aggressum fuisse; perductisq; ad oppidi muros ijs militibus, quos coëgerat, penetrare oppidum hostilibus adortũ modis multum turbarum excitauisse; magnumq; terrorem oppidanis incussisse. Quæ res cum indignissima sit, quæ nobis ferenda videatur; præsertim cũ certior factus sim Ioannis Francisci profectioni vos ipsos fauisse, propterea quòd is multos tũ ex ijs militibus, qui tuendi istius oppidi causa apud vos merent; tum verò etiam ex vestris municipibus secum habuerit: mando vobis atq; impero, pœna decem milium numum aureorũ proposita, si dicto audientes non eritis; vt impetum posthac à vestris hominibus quoquo modo in res & fortunas Asculanorũ eiusq; municipiũ tẽperamentũ fieri ne permittatis; neve vestrum in oppidum Ioannem Franciscum Astuldi filium, aut vllos ex Asculanis exulibus recipiatis: sed eos vniuersos ex municipio agroq; vestro, quoad fieri per vos possit, celeriter expellatis. Id si feceritis; harum turbarum, quibus alimenta præbuistis, admissiq; vestri culpa ne vobis fraudi sit statuẽdi, vobisq; ignoscendi occasio mihi aliqua fortasse parabitur. Sin mandata nostra despexeritis; dabimus profecto operã; ne id impune fecisse vos gloriari vllos apud homines vobis liceat. Dat. xij. Cal. Octob. Anno secundo. Roma. XXXII

Heluetiis.

PRoficiscenti ad vos Ennio Episcopo Verulano Legato meo mandaui vt vobis plurimam salutem impartiret meis verbis; vosq; magnopere laudaret de vestra in me obseruantia, deque ea cura & studio, quod pro XXXIII

nostra & Reip. dignitate maiestateq; tuenda & geritis quidem nunc, & semper gessistis. Hortaretur autē etiam amantissime; vt posthac quoq; quo ea, quæ adhuc quidem feciſtis, consilio, non temere feciſſe videamini; viam quam instituistis, in ea eodem passu pergeretis iter facere: tales que vos omni tēpore præstaretis; quales & ipsa Resp. experta non semel est; & ego, qui virtutem vestram atque constantiam noui, vehementer fore confido. Quæ præter hæc scire vos atque cognoscere voluit; ea vobis Ennius exponet. Me si vestri esse nominis amantissimum existimabitis; non fallam vestram opinionem. Sexto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Heluetiis.

XXXIIII EA; quæ in causa Eleutherij Ruscbi Lucani Comitis ex nouem pagorum sententia pro iustitia statuistis; & laudabilia profecto sunt, & nos de ijs ipsi vestrū sanè iudicium collaudamus. Hortamur autem vos; vt quæ etiamnum restant, vt res ad exitum perducatur; ea conficiatis; hominis que bene de vobis meriti iurium in eo, quod est reliquum, quemadmodum adhuc quidem feciſtis, rationem habeatis. Erit id mihi admodum gratum: quod etiam Ennius Episcopus Verulanus Legatus meus vobis latius atq; apertius significabit. Dat. quinto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Marco Cardinali Seduno.

XXXV CVm Ennius Episcopus Verulanus Legatus meus istuc proficiscereturi; ei mandaui, vt tibi salutem adnuntiaret; ostenderetq; tuum studium, curam, diligentiam, laborem; quem mihi Reiq; pub. impendis; esse gratissimum; eaq; omnia vt bene posuisse te sentias, me effecturum. Is alia etiā nonnulla, quæ te scire volo, tibi significabit.

Valebis igitur: nosq; diliges. Dat. sexto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Alfonso Duci Ferrariensium.

XXXVI EGo verò & magnopere te amo; & tibi omnibus in rebus, quod cum Dei Opt. Max. voluntate fieri posit, satisfacere valde cupio. Itaq; Latinum Iuuenalem familiarem meum ad te mitto; vt is Herculem filium tuum sacro chrismate perungendum meo nomine teneat, eiq; adsit: quod te & Lucretiam Ducem eius matrem vxorem tuam maxime cupere mihi significauisti. Qui quidē puer Deum oro, vt patri sit quam similimus; vel etiam te vt virtute facile vincat atq; superet. Ego in eum amore atq; beniuolentia parentis vicem secundum te atq; illam me præstaturum polliceor: cui suauiolum dabis & matri salutem dices. Dat. quarto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Sebastiano Ferrerio Quæstori Regio Galliæ Cisalpinæ.

XXXVII INsulam & hortos, quos Romæ in Quirinali habes, emere de te valde cupio. Itaq; peto absle, quod sine tuo incommodo fiat, eos mihi vti vendas, quāti ipsi tibi videbitur. Neq; enim vel te puto pluris postulaturum; quàm posceres, si vulgo vænirent: vel ipse minoris cogito. Dat. quarto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Cardinali Albreto Gallo.

XXXVIII AMore & beniuolentia, qua te fraterne prosequor, tuaq; valetudine me impellēte has ad te literas dedi: quibus literis, quemadmodum Iulius Secundus Pont. Max. tibi extra Italiam commorandi potestatem fecit, ita & ipse; vt in Gallia moram ducere saluis legibus posses, tibi permisi; quoad aliter statuerem. Quod tamen

ipsum non fiet, nisi commodo tuo: tibi enim valetudinīq; tuæ consultum iri maxime cupio. Quarto Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Iano Parrhasio.

XXXIX Cvm id magnopere optem, vt Romanus literarum ludus à præstantissimis doctoribus exerceatur; vt ij, qui se bonis artibus dediderunt, ea ex re fructus vberrimos percipiant: de tua in studijs mitioribus doctrina certior factus ad ea publice docenda Romæ te sublegi; stipemq; tibi dari iussi annis singulis ducentorum aureorum numum. Quare volo vt ad vrbem quamprimum venias: libenti enim te animo atq; paterno videbo. Dat. tertio Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Classis Præfecto.

XL Mando tibi, vt Ioannem Roccafortē Ludouici Gallorum Regis Legatū naubus longis, quibus præes, Massiliam, aut quem ad Prouinciæ locum ipse voluerit, peruehas; cum primum nauigandi tempestas idonea erit. Nam quoniam is infirma admodum & valetudine est & viribus; valde cupio, vt tranquillo nauiget mari. Dat. prid. Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Dauidi Regi Abissinorum.

XLI Proficiscenti ad te Andreæ Corsalo ciui Florentino mandaui, vt tibi meis verbis plurimam salutem diceret; certioremq; te faceret, pro tua in nos obseruātia, & pro ardore tuo atq; cultu in Christianam Remp. mirifico propeq; singulari, & amari te à me summopere, & fieri sane plurimi. Quod etiam his ad te literis perferri volui; vt te hortarer, vt in istis remotissimis à Romana Ecclesia regionibus Dei Dominiq; nostri Iesu Christi nomen atque

gloriam, quantum posses maxime, propagares & extenderes. poteris autem; si in eo curam atq; animum intendes tuum; semper quidem plurimū. Ipse etiam Dominus: quem colueris; cuiq; gratum te earum, quas ab ipso possides, maximarum fortunarū atq; memorem præstiteris; te fouebit, adiuuabit, proueht. Cæterum Andream ipsum honestum sane virum, & industrium hominem, & ciuem meum, & mihi valde gratum commendo tibi maiorem in modum. Dat. vi. Id. Octob. Anno secundo. Roma.

Octauiano Genuensium Duci & Federico Archiepiscopo Salernitanorum fratribus.

Amor erga vos meus prope singularis; quem quidem vos plurimis vestris maximisq; virtutibus & egregia perq; veteri pietate fidelibusq; officijs excitauistis; efficit; vt tametsi de commodis ornamentisq; vestris sæpe cogitem, mihi tamen quotidie magis magisq; esse cogitandum putem. Sed cum hoc tempore multa essent, quæ ad vos perferri magnopere cuperem; Augustinum Folietam municipem vestrum, familiarem meū; cuius mirificam probitatem atq; virtutē & eximiam ac prope incomparabilem in tractandis rebus consiliorum prudentiam propensumq; in vos studium satis cognitum habebam; misi ad vos cum mandatis: vt is vos de rebus omnibus doceret. Dat. prid. Non. Octob. Anno secundo. Rosilione. XLII

Ludouico Regi Gallorum.

Archiepiscopū Burgensem; quem ad nos cum mandatis misisti; & ipsum libenter vidi: est enim mihi & cognitus & probatus; & tuas literas legi diligenter. Ex ijs atq; Archiepiscopi sermone tuam in nos egregiam propensionē mirificamq; voluntatē abunde cognoui. XLIII

De quo tametsi non semel neq; vnis Interruntijs, sed multiplicibus & autoribus & literis certiores facti sumus: est illud tamen nobis, vt verissime dicam, magnopere semper gratum. Eandem enim tuam illam erga me beniuolentiam; quam quidem, vt debeo, facio plurimi; vel augeri repetitione testificationis tuæ, vel magis magisq; confirmari quotidie puto. De nostro verò in te, dignitatem, amplitudinemq; tuam paterno sensu atque animo; quanquam nihil eius latere te existimo; multa sum tamen cum Archiepiscopo loquutus. Ea te ab ipso cognoscere malo, quàm ex meis literis. Quem quoniam mihi commendas; dabo operam, vt extet fructus commendationis tuæ. Dat. quarto Id. Octob. Anno secundo. Viterbio.

Francisco Mariæ Vrbinatium Duci.

XLIIII ET legi tuas literas; & Horatium Floridum Internuntium tuũ libenter audiui; excusationemq; tuam accepi libentissime. Equidem is sum; qui te cum animorum copia, tum reliquis opibus & præsidijs cupio esse quammunitissimum: neminiq; in te amãdo atq; amplificando cedimus. Eoq; te impensius decet & nostræ dignitatis & Reip. maiestatis atq; amplitudinis habere rationem. Verum de ijs deq; reliquis rebus, quas te scire magnopere volo, ab eodem Horatio intelliges: cui mandaui, vt sermonẽ, quem cum ipso habui, curaret ad te quamcelerrime perferendũ. Dat. iij. Id. Octob. Anno secundo. Viterbio.

Petri

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER X

Ioanni Neroni ciui Florentino.

CVM statutum nobis sit à curis atq; laboribus, quibus assidue pro Christiana Rep. nobis credita regenda atq; administrãda distinemur, auocare interdum nos ijs animi remissionibus, quæ aucupij & venationis studio cõtinẽtur, propterea quod eiusmodi per agros atq; saltus peruagatio, dum in equis sumus, ad valetudinem viresq; corporis confirmandas plurimum valet; mediciq; nostri nobis magnopere suadent, vt eo motus & vectationis genere quamcreberrime vtamur: molestum admodum nobis est id, quod ad nos multi perferunt; quicquid agri atq; syluarum intra vigesimum ab Vrbe lapidem quoquo versus iacet, id temere vulgoq; à venatoribus aucupibusq; frequentari; vt omni auium & ferarum genere, quarum copia esse maxima consueuerat, magis magisq; in dies singulos exhauriatur; sic profecto, vt earum breui tempore magna Romæ caritas, magna in agris inopia videatur futura. Quamobrem cupienti mihi ne priuatorum hominum maximeq; vel lucri causa, vel quòd nullam rem aliam gerunt, aucupio & venatui se dedentium libidine meus & fratrum meorum E. R. 1

Cardinalium, qui vnà mecũ ad Reip. gubernacula vigiliam exercẽt, eiusmodi siue vsus siue voluptas impediatur; visum est eius tẽ rei ministrum facere; cuius mihi & industria & diligentia & quidem certe probitas atq; prudentia probantur. Itaq; mando tibi; vt eius tantummodo agri, qui ad decimum à porta Vaticana villaq; nostra Manliana atq; ab Hostia totoq; à Tiberi lapidem intra viam Cassiam & maris littora pertinet; saltus syluasq; omnes custodias: curesq; diligenter, ager vt is atq; tractus ab incolis, ab exteris, à peregrinis, à ciuibus, denicq; vllis ab hominibus aucupij aut venationis exercendæ causa ne adeatur: præter eos, qui auiculas visco & noctua capiunt. Quod vt facere commodius possis; volo vt tibi facultas sit & armatos homines, quo voleris, intra illos fines mittendi: qui retium & cassium genus omne, quod in agris atq; syluis comportatũ repererint; venabula omnia, canem vel ad indagandas, vel ad consequẽdas capiendasq; feras idoneum, accipitrem, aquilam manu assuetam intercipiant: & illos, siue domini siue serui sint, quos cum ijs aucupio aut venatui operam dantes offenderint, mulctandi, quemadmodum tibi æquum & iustum videbitur pro captarum volucrum aut ferarum vastatarum modo. Quas quidem mulctas tibi omnes remittimus, volumusq; tuas esse. Confidimus enim tẽ in eo non tuorum commodorum aut plane lucri cuiuspiam, sed tantummodo nostræ voluntatis rationem habiturum. Volumus autem, vt eum Roma exire nobis licebit, atq; per illa, quæ dixi, loca iter facere; non ipsi modo nos, sed Cardinales etiam, qui nobiscum erunt, atque adeo multo magis, cohorsq; nostra omnis, & confirmare se aucupij & venationis studio, & exhilarare voluptatẽ possit. Dat. Non. Octob. Anno secundo. Viterbio.

Ludouico Canossæ Episcopo Tricaricensium Legato.

II

PEtrum Nauarrum Cantabrum, Ludouico Gallorum Regi per literas perq; eius Legatum commendaui sane quam diligenter. Amo enim magnopere hominem propter eius spectatam virtutem; quod tẽ nõ latet: cupioq; vt eum Rex è captiuitate atq; custodia, in qua prope triennium confecit, ad libertatem restituat, missumq; faciat rogatu meo. Eam tu rem quanto maximo studio & diligentia fieri poterit, si mihi voles gratissimum optatissimumq; facere, procurabis atq; conficies, ita tamen, dum adhibeas in cõsilium orationis tuæ lenitatem atq; prudentiam. Dat. xij. Cal. Nouemb. Anno secundo. Cereuetere.

Vladislao Pannoniæ Regi.

III

DEdi proximis diebus ad te literas; quibus te de pace à Ludouico Rege Gallorũ & Henrico Rege Britanniæ me autore nuper inita certiorẽ feci. Postea verò & ex literis Thomæ Cardinalis Strigoniensis, & Frãcisci Marsupini eiusdẽ Cardinalis Internũtij sermone intelexi, tẽ plurimis maximisq; bellorum sumptibus iam prope exhaustũ ad tuẽda istius Regni vicina Turcis oppida solum atq; à socijs destitutũ, tuis tantũmodo opibus & præsidijs idoneũ hoc tẽpore nõ esse. Itaq; rogare obsecrareq; nos; vt quoniã cũ oppidorũ illorũ cõseruatione tui etiã vniuersi prope Regni salus mea coniuncta est: velimus tãtũ nostræ opis tibi subministrari; vt ea tueri atq; defendere possis; ne Christianæ Reip. hostes captis expugnatisq; ijs vires lacertosq; cõfirmẽt atq; augeant; quos, cũ libuerit, in reliquas tui Regni partes, atq; adeo in robur & pectus ipsum audacter vtantur. Habere autẽ tẽ loca & ditionẽ multis hominũ milibus ad bellũ aptissimorũ refertissimã: vt si tibi stipendiũ ad

eos alendos ſuppeditatum ſit, validiſſimum contra Turcas exercitum cogere atq; conficere facile poſſis. Itaq; ſtatuamus, vtrum Regnum iſtud per ſeſe firmiſſimum & populoſiſſimum gentibus inimiciſſimis proiicere ad ſeruitutẽ & ludibriũ velimus: an pro re facultatibusq; noſtris dare operam, ne hoſtes eo noſtri potiantur. Quas ad tuas poſtulationes tibi reſpondeo, Primum quidem, pro mea in te gẽtesq; tuas charitate, proq; Reip. dignitate, te tuosq; populos, Regnumq; iſtud omne mihi magnæ curæ eſſe: Deinde verſare me noctes atq; dies animo non tuam modo ſalutem & incolumitatem tuam, quæ mihi chariſſime eſt; ſed etiam de amplitudine tua de´que gloria ſæpiſſima cogitare; quoq; te pacto iuuem, curamq; adhibeam; vt in bello, quod tibi à Turcis nunquã non imminet, adminiſtrando ipſe te poſſis apud Deum quidem primum, deinde apud omnes homines commendare quammaximis quamq; pulcherrimis virtutis atq; gloriæ monumentis. Quamobrem ſi iuſtum exercitum conficere, atq; in Turcas impetum facere ſtatueris, bellumq; ſic adminiſtrare, vt illuſtris aliqua in illos impreſſio expugnatioq; oppidorum conſequatur; quinquies decies mille numum aureorum me ad id erogaturum daturumq; tibi ſpondeo atq; recipio. Sin verò id tantummodo conſilij ſuſcipies, vt tuta ab hoſtibus reddere tua illa propinqua Turcis oppida, de quibus ſcribis, tibi ſatis futurum putes: bis decies mille numum aureorum tibi præſto vt ſint, cum me commoneſeceris, curabo. Itaq; excita exſuſcitaq; te Vladislae fili præclaras ad actiones animi magnitudine atque conſtantia ſuſcipiendas: exemploq; maiorum tuorum maximorum atq; ampliſſimorum Regum tibi propoſito, te cum ad tui Regni populorumq; tuorũ & gentium, tum ad Chriſtianæ Reip. non ſolum propugnationem, ſed etiam amplificationem para. Quod cum feceris; ſtatutum habeas velim, meas fortunas opesq; omnes fore in tua poteſtate. A Deo autem Opt. Max. cauſæ patrocinium hoc quidem tẽpore vnus omnium maxime ſuſcipies, ſecundi tibi tuorum conatuũ exitus euentusq; proſperrimi ſunt expectandi. Quibus de rebus omnibus multo ſum latius atq; uberius cum Marſupino loquutus: eiq; mandaui, vt tibi ſingula perſcriberet. Vale igitur, nosq; dilige. Dat. xi. Cal. Octob. Anno ſecundo. Romæ.

Thomæ Cardinali Strigonienſi.

EXemplum literarũ, quas Vladislao Regi ſcribimus, IIII
erit cum his literis. Ex eo mentem erga illum meam plane perſpicies: quam tu etiam meis ad illum verbis deferes, explicabisq; ſingula & accuratius & prolixius. Ac te quidem ſcire volo, nos nihil aliud ſingulis penè horis cogitare atq; proſpicere; quàm vt pacem inter omnes Chriſtianos Principes conficiamus: eiq; rei neq; ſtudio, neq; diligentia, neq; labore, neq; certe ardore animi contentioneq; deerimus. Et quoniam in eo id, quod volebamus, à Galliæ atque Britanniæ Regibus iam conſequuti autore Domino ſumus; cæterorum etiam Regum & Principum controuerſias placandi & terminandi, animosq; conſociandi confido eundem mihi Dominum vires & facultatem ſubminiſtraturum. Ac fieri profecto poterit, vt ad id autoritatis atque prudentia Regis Poloniæ Vladislai Regis fratris mihi magno vſui ſit futura. Quod cum erit; ſtatim te faciam per literas certiorẽ: vt nauare in eo tu quoq; operam mihi tuam poſſis. Atq; ea quidem, de qua loquor, pax atque concordia Deum Opt. Max. oro & quæſo, vt ſuum ad exitum nobis viuentibus perducatur: vt reliqua, que reſtant multo meo quidem iudicio, opinione quàm re maiora, contra eius nomi nis hoſtes perpetuos communi omnium conſenſu & volum

tate aliquando moliamur. Sed & hæc & alia; quæ in eum sermonem conieci, quem quidem proxime habui cum Francisco Marsupino procuratore tuo homine in primis diligente; ipse ad te perscribet: cui mandaui, vt tibi salutem adscriberet. Dat. xi. Cal. Octob. Anno secundo. Roma.

Maximiliano Imperatori desig.

VAudita ea victoria, quam ingentem & maximã Turcarum Rex Selimus contra Ismaelem Sophim Persiæ Regem de mẽse Augusti prosperrimo successu est consequutus: fratribus meis E. R. Cardinalibus statim adhibitis, diligentiq; consilio ea de re habito, visum est nobis ad omnes Christianos Reges esse literas dãdas: quibus literis & eos certiores tãta de re faceremus; & hortaremur, vt imminenti vniuersæ rei Christianæ periculo communi consensu atq; sententia ire obuiam vellent. Quorũ quidem Regum cum tu primus & dignitate & autoritate sis; id mihi tecum primum atque potissimum esse agendum existimaui. Itaq; exemplum Selimi literarum ad Epidaurenses, quibus victoriæ summa seriesq; continetur, ad te mitto: quo perlecto pro tua singulari prudentia facile perspicies; auersus à nostris moribus atq; sacris homo efferus ab ineunte ætate bello exercitibusq; ductandis assuetus; qui se regnandi libidine contra patrem senem armauerit, eumq; Regno expulerit ad mortemq; compulerit; per fratrum & propinquorum aliam super aliam coaceruatas cædes ad maximum orbis terrarum Imperium euectus, eo demum in Asia Rege deuicto, cuius vnius maxime opes atq; potentiam verebatur, eiusq; Regno capto, quid sit facturus: cum illo integro superstitibusq; fratre atq; fratris filio, qui ei dubium paterni auitiq; Regni sceptrum faciebãt, perturbare tamen nos exercitibus in Pannoniam missis oppidisq; aliquot vi

captis anno proximo sit aggressus. Nemini profecto dubium esse debet, qui modo recte minus etiam quàm mediocriter sentiat; posteaquam is eum hostem perdomuit, à quo sibi vno ab altero Regni sui latere Asia videlicet superiore esse timendum videbat; quin sit in illos, quos ad Europam habet, exercitum victorem suum, omnesq; suas Imperũq; sui vires, ipsamq; illam tot secundis successibus tam crebris tamq; illustribus victoriis sibi blãdientem fortunam suam quamcelerrime conuersurus: qui quidem & maiori odio illi sunt propter alienam sacrorum rationem totiusq; vitæ studia; & maiorem ei curam incutiunt propterea quod nos multo se potentiores esse multoq; rebus omnibus ad bellum terra mariq; administrandum paratiores homo minime demens intelligit. Itaq; primũ omnium debilitare nos cogitat ea societate, Pannoniamq; suam facere: quæ tametsi est ipsa quidẽ per se firmissima atq; bellicosissima; sustinere tamen tantos impetus vna non poterit. Id cum fuerit assequutus; quid erit amplius, quod illius animum ad te atq; nos oppugnandos vnum tantummodo diem coercere atq; continere possit? Nisi forte, qui propinquis, qui fratribus, qui parenti regnandi cupiditate non pepercerit; cum volumus credere à nobis vnis, qui & moribus illi & certe voluntate hostes sumus, animi facilitate atque adeo lenitudine temperaturum. Huic tam præsenti malo atq; periculo nobis remedium medicinamq; adhibere sedulo quærentibus vnũ illud sese offert multo ante iam à me & prouisum, & tibi reliquisque Regibus & Principibus Christianis propositum: vt pace atq; cõcordia inter illos omnes teq; in primis tuosq; hostes cõciliatu, depositisq; priuatis inimicitiis publice cõmuniq; consensu hosti victori de fortunæ dulcedine ebrio opes viresq; nostras, oĩs cõiunctas atq; cõsociatas opponamus. Atq; id quidem nos si sæpe aliàs, vt dixi, & tibi & reliquis

Regibus frustra & sine vllo vsu proposuimus: est certe ea re turditatéq; nostra factum; vt idem Turca & antea non vnos suos hostes, & nunc Ismaelem ipsum, qui vnus ei ex non Christianis imminebat eratq; reliquus, debellare atque proterere, Imperiúq; sui fines lõge lateq; promouere, opesq; suas multo & firmiores ad se defendendũ, & ad nos aggrediendos explicatiores paratioresq; reddere sane potuerit. Qui nobis rerum euentus quàm sit formidabilis, nemo non videt. Quòd si nunc etiam non audiemur; aut potius si liberator noster Christus, qui vos per vicarium suũ alloquitur, atq; ad populos Remq; pub. suam tuendam impellit, nõ audietur; dicam ne, an taceam? locus iam iamq; tot peccata nostra corrigẽdi segniciemq; sarciẽdi nullus dabitur: vnusq; omnes exitus, vna clades atq; interitus manebit. Gliscit nãq; malum serpitq; in dies latius; & vires horis prope singulis ita sumit; vt si paululum prætereà præstolabimur, ac nosmet ipsos, quemadmodũ adhuc quidem fecimus, nostris ipsorum viribus cõteremus; spes iam nobis auxilij atq; præsidij nulla reliqua sit futura. Quamobrem per illam tv baptismatis tui sacram salutaremq; vndam, qua te Christianum es professus; perq; tuum Imperatoris nomen, quod tv apud omnes nationes verè magnum & venerendum facit; oro, obsteq; precibus omnibus peto & quæso; vt quãdo tu omnũ Christianorũ Regum Principem geris; primus etiam odia inimicitiasq; tuas, quas cum Christianis populis exerces, deponas: proq; animi tui magnitudine pacem, si non qua vtilius, certe qua facilius fieri potest conditione cum tuis hostibus ineas: omnesq; moræ causas plane reijcias; ne per te cuipiã stetisse videri possit; quominus Christianæ Reip. Turcarum gladijs ac furori propositæ in tempore succurratur. Id vel officij tui, propter quod Reip. Christianæ plus quàm cæteri debes; vel tui regni causa facere tv oportet; ne tuos

etiam aliquando populos, si obdormieris ea ipsa imminens omnibus illuuies atq; pernicies trahat: Deinde tuo vt nomini atq; gloriæ consulas; ne tv eum locũ tenente, quem tenes, vlla insignis Christianæ Reip. nota atq; calamitas inuratur: Demum etiam vt reliqui tuo se exemplo Reges ad id faciliores præbeant. Non enim vereor; cum tu vnus nostris fidelibus monitis obtemperaueris; quisquam omnino vt sit Ecclesiæ senatusq; consilijs hac in re communiq; periculo aduersaturus: vt nostra hæc in Turcas profectio; quàm dies atq; noctes cogitamus, necessitasq; ipsa nobis suadet; parari celerius atq; commodius possit. Quemadmodum quidem tv facturum; quæ tua semper fuit pietas atq; prudentia; sane confido. Reliquum est, vt valetudini tuæ seruias: à qua tibi non recte esse permoleste tuli. Quanquam quidem cum has literas dabam, sperabam te conualuisse: iam enim erat febricula illa leuior, qua tentabare. Saluebis igitur à nobis omnibus, & valebis. Dat. Non. Nouemb. M D X IIII Anno secundo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum Legato.

EA quæ scribimus Maximiliano Imp. desig. de pace cum suis hostibus ineunda, vt imminenti Reip. nostræ periculo ire obuiam possimus; ab earũ literarum exemplo his concluso literis cognosces. Mando autem tibi; vt ad eas literas etiam vim adiungas orationis tuæ: quàm tibi causæ ratio facile subministrabit: aduuesq; quantum poteris, sermone tuo consilium & sententiam nostram. Quod cum feceris; literas ad me de rebus omnibus dabis quãcelerrime quamq; diligentissime. Dat. Non. Nouemb. Anno secundo Roma. VI

Fabritio Magno Rhodi Magistro.

VII ET si te existimo de recenti Turcarum Regis victoria Sofianiq; belli exitu ante quàm nos intellexisse: tu men cum idipsum ex me etiã vt scires volui literisq; ijs, quæ erunt infrascriptæ; quibus tota rerum series explicatur; tum illud im primis quòd tibi viro optimo & rei Christianæ studiosissimo fore pergratum puto: me scilicet ad omnes Christianos Principes dedisse literas; quibus eos quanto maximo studio & contentione potui, hortatus obtestatus que sum, vt pacẽ inter se quamprimũ reiectis priuatis inimicitijs cõficerẽt: vt nos ad illã iam diu à me, vt scis, institutã animo, & ipsis propositã, nunc verò etiã necessario suscipiendã in Turcas profectionem atq; bellum accingere cõparareq; possemus. Quæ vt pax conficiatur, scire te volo, me omnem meam curã, vigilantiã, autoritatem adhibiturum, omnem lapidem, vt est in prouerbio, conuersurum: & peroq; pro Domini, cuius res agitur, clementia non frustra eum me laborem suscipere. Te autem & hortor, & planè rogo; vt quando vicinus illis es, quid agant, quid moliantur, quid etiam cogitent, perquiras diligentissime; faciasq; me in dies singulos de rebus omnibus certiorem: vt prorsus ne quid ignoretur: quo facilius quid agendum nobis sit, statuere in tempore possimus. Erit id & tui officij tuaq; diligentiæ proprium, & nobis peropportunum perq; gratum. Dat. prid. Id. Nouemb. Anno secundo. Roma.

Sebastiano Ferrerio Quæstori Regio Galliæ Cisalpinæ.

VIII ET literas tuas; quibus me de lætitia, quam de meis familiaq; meæ prosperis rebus percipis, deq; tuis pro mea meorũq; incolumitate decretis supplicationibus

certiorem facis; libenter legi: & Ioannis Lascaris de ea re sermonem audiui excepiq; libentissime. Volo autem vt existimes te tuosq; omneis charissimos mihi esse: idq; me quotiescunq; se occasio dederit, re cõprobaturu m. Cæterũ excusatio, quam affers, quod des ad me minus sæpe literas, mihi probatur. Ea de re, deq; reliquis rebus omnibus ad ipsius Lascaris literas te reũcio: qui ad te singula perscribet. Dat. tertio Non. Nouemb. Anno secundo. Roma.

Francisco Gherino ciui Florentino.

IX GRauiter ac permoleste tuli, proximis te comitijs in nouis istius Reip. magistratibus creandis præteritũ fuisse. Scire enim debes paucos meorum ciuium mihi te iocundiores esse, paucos à me pluris fieri. Et quoniam ea in re voluntatem erga te meam atq; beniuolentiam perspicere facile potuisti: te hortor, æquo vt animo quæ euenerunt, feras. Dabo enim apud istam Remp. operã efficiamq; profecto; vt dolor, quem ex ea reiectione cepisti, alicuius tibi potioris vel honoris vel commodi voluptate celeriter sarciatur. Dat. prid. Non. Nouemb. Anno secundo. Roma.

Bartholomæo Aluiano Venetorum exercitui Præfecto.

X SCire te arbitror Ludouicum Canossam Tricaricẽsium Episcopum propter plurimas suas maximasq; virtutes & magnopere à me diligi, & meum Legatũ apud Galliæ Regem agere. Eius fratrum germanorum bona & fortunæ omnes atq; prouentus, quos è fundis suis colligũt, sunt in villa Garzani, quæ est in agro Veronensi & ampla & luculenta. Quare peto abste, des operam, vt si tuus exercitus in ea loca peruenerit, ea bona tuis à militibus

ne diripiantur; sed tuta prorsus ab omni tuorum militum incursione sint. Quod etiam Legato Veneto, qui tuis in castris est, meo nomine significabis. Id erit mihi tam gratum, quàm quod gratissimum. Dat. sexto Id. Nouemb. Anno secundo. Roma.

Vito Frusto Præfecto Mutinæ.

XI ET mihi & Maximiliano Imp. desig. fœdus initũ est, pactiq; sumus; vt is Mutinæ oppidi eusq; agri ius omne mihi cederet atq; remitteret: quẽadmodum ex diplomate, quod ea de re confectum est, poteris cognoscere. Tametsi id te scire iam arbitror; literasq; à Maximiliano, quæ tibi eam rem significarint, accepisse. Quare velim vt Fabiano Lippo familiari meo viro probo & mihi probato, quem ad te his cum literis misi, ius & possessionẽ oppidi Mutinæ, cui præes, eiusq; arcis, agri, vicorum omnium des tradasq; liberaliter. Dat. prid. Id. Nouemb. Anno secundo. Roma.

Maximiliano Mariæ Insubrum Duci.

XII ET si cum superioribus diebus nobis renuntiatũ esset Nicolaum Scottum sese ad Venetos, vt apud illos contra Maximilianum Imp. desig. stipendia faceret, constituisse; sanè quàm pro eo, ac res postulabat, grauiter molestèq; tuli, tam temerarium tamq; audacem eũ fuisse; vt non solum ignorantibus nobis, sed contra omnino quàm volebamus, proficisci ad illos non dubitarit: tamen cum nuper certior sim factus eum Crema proficiscentem interceptum ab hostibus Mediolanumq; perductum esse; non potui non dolere; quòd vir fortis & bello egregius gentisq; suæ facile princeps in manus hostium incidisset. Itaq; tametsi pro ea tam insigni temeritate hoc quidem certe mereri videbatur, vt alieniori nunc esse nos in sese animo suo in periculo experiretur: tamen quoniam exemplo illius, cuius vicarium in terris gerimus, mites esse clemẽtesq; nos maxime omnium conuenit; has ad te literas statim dedi: quibus; etsi te pro animi tui magnitudine nihil in eum grauius, quàm in captiuos milites statuere homines magni solent, quamq; consuetudo militiæ ac ius quasi quoddam belli fieri permittit, esse factorum arbitrarer: tamen abste peterem; vt quando is multo in me verius Romanamq; Remp. cuius est ipse socius, quàm in te deliquit; Nicolaum ad nos remitteres: vt in eum statuere pro more nostro possemus. Erit id cum ad gloriam tui nominis augendam aptius; tum nobis vehementer gratum. Dat. decimo Cal. Decem. Anno secundo. Roma.

Duci & Magistratui Genuensium.

MAgna me lætitia is nuntius affecit; quo certior factus sum, quietis vestræ hostes, qui contra vos contraq; præsentem vestræ vrbis statum animis infensissimis se armauerant; irritos conatus suos effudisse; vosq; eis fortiter repugnantes magna cum vestra laude & gloria dignitatem vestram fuisse tutatos. Itaq; ea de re vobiscũ vere atq; ex animo gratulor. Sic enim existimo Deum Opt. Max. qui rectas hominum bene viuentiũ proborumq; virorum voluntates facile perspicit, acta vestra atq; consilia probauisse; statuisseq; ne vobis noceri ab iniquis atq; improbis posset. Veruntamen quoniam de Federico Archiepiscopo Salernitano Legato vestro intellexi eosdem illos hostes nihildum de sua in vos improbitate voluntateq; remisisse; atq; aliqua etiamnum moliri; egi cum Florentinorum Magistratibus Laurentioq; Medice fratris mei filio mandarent eis equitibus atq; militibus, qui Pisis sunt; vt ad vos tuendos defendendosq; cõtenderent, vobisq; præsto essent, quo tempore quoq; loco iussissetis. Quod si vobis erit opus XIII

maiori auxilio; Florentinorum equites milites q̃; quotquot habent, & nostræ copiæ omnes ad vos statum q̃ vestrum & dignitatem retinendam atq; oppidum conseruandum & confirmandum celeriter traijcientur. Volo enim omnes homines intelligere me pro vestra salute non minus, quàm pro meis patriæq; meæ fortunis, laribus, incolumitate laborare. Quemadmodum cum Federico ipso sum loquutus: qui vobis reliqua perscribet. Dat. septimo Id. Ianuar. Anno secundo. Roma.

Heluetiis.

XIIII EX Ennij Episcopi Verulani & Gori Gherij Legatorum meorum literis intellexi, vos in fœdere mecum quidem prorogando, cum Florentinis autem & cum mea gente atq; familia ineundo nonnihil esse suspensos; non quòd dubium vlli sit, quin, quo ardore animi hoc Imperium Romanos q̃; Pontifices antehac semper coluistis, eorum q̃; auspicijs multa egregia præclara q̃; facinora gessistis; eodem quoq; esse in posterũ statueritis: nam id quidem inter omnes iam prope constare significant: sed quia de ratione capitum, quæ in fœdere scribendo firmari oportet, inter vos non conuenit; & multi multa afferunt; plura immutant; aliqua nec recipiunt quidem; eo tardiores vos ad rem conficiendam quotidie fieri adscribunt. Qua in re nihil vobis præscribere debeo; quos tam diligo, quàm qui maxime; tam cõiunctos esse nobiscum puto, vt vestra ipsorum commoda mihi esse vsui existimem. Puto etiam vos ijs in rebus atq; sententijs optimo consilio duci. Illud dico, nostra vtrorunq; maxime interesse, vos in hoc fœdere siue confirmando siue sanciendo non esse lentissimos. Imminet enim nobis omnibus hostis efferus atq; perpotens Turca: quem quidem tot prosperrimis successibus atque victorijs exultantem nisi

retuderimus; iam iam q̃; aderit nostris in iugulis suos gladios eruenturus; quos modo è necessarioru̇, quos è propinquorum, quos è fratrum suorum absciſsis ceruicibus ac prope patris sui cano corpore atq; tremulo eduxit. Nam & magnos comparare illum exercitus, & ingentem classem ornare atque instruere ad nos perferunt, qui Byzantio veniunt: quibus vtrisq; rebus simul vti nisi contra nos plane non potest. Id veritus rem pulcherrimam illam quidem maximeq; salutarem, sed implicatam ac perdifficilem & cogito dudũ, & paro; vt pacem inter Christianos Reges omnes atq; populos conficiam: sperog; Dei opt. max. benignitate atq; munere non frustra me laborare: modo vos vni vestram mihi operam nauetis. Id erit; si quamcelerrime hæc, quæ instant, fœdera sancietis: quibus constitutis maior mihi erit apud reliquos Reges autoritas; si vobis socijs eos commodefecero; vt pace atq; concordia cum suis hostibus inita ad profectionem se in Turcas comparent. Itaq; à vobis quanto maiore studio possum, peto; vt quemadmodum adhuc quidem maximarum rerum gestarum Romanis Pontificibus autores extitistis; ita nunc etiam nobiscum tam exoptatæ pacis initium & quasi fundamenta iaciatis: vt reliqua, quæ restant, multo quidem & laudabiliora & magis salutaria, aggredi vnà atque ad exitum perducere possimus. Sed & hæc & alia quæ oportet, mei vobis Legati explicabunt. Deum oro; vt qualem nobis mentem erga vos dedit, talem vobis esse velit erga nos ad ea celeriter communi consilio constituenda; quibus eius maxime nomen, gloria, cultus, pietas augeatur. Dat. vi. Cal. Febr. MDXV Anno secundo. Roma. De villa Seueriana.

Franciſco Regi Galliæ.

XV GRatiſſimæ mihi tuæ literæ fuerunt: quibus oſtendis aſſentiri te, vt de Narbonenſi Epiſcopatu; quem cõferre Iulio Cardinali fratri patrueli meo cupiebam; quæ vellem, ſtatuerem: omnesq; cauſas & rationes; quas quidem plurimas neq; leuiſſimas colligis; quibus aliorſum trahebare; deſiderio meo te abſcribis poſthabuiſſe. Quod tu men ipſum etiam ex Epiſcopi Tricaricenſis Legati mei literis intellexi: qui de tuo propenſo & liberali erga me Cardinalemq; ipſum animo ad nos multa perſcripſit. Ea res præterquam quod illũ tibi magnopere deuinxit, ita mihi grata atq; optata accidit; vt ſtudiũ, quo tenebamur, vt te, qui quidem plane adoleſcens ad omniũ ampliſſimi nobiliſſimiq; Regni gubernaculũ acceſſiſti, & beniuolentia complecteremur, & autoritate noſtra confoueremus; non parũ medius fidius auxerit. Itaq; intellecta voluntate tua de fratrũ meorum E. R. Cardinalium ſententia eam illi Eccleſiam hodie contuli. Te autem, quod ſupereſt, hortor, eadem animi liberalitate cures, vt ſine vllo vel impedimento vel mora negocium cõficiatur. Eo & officiũ erga me Cardinalemq; ipſum tuum, & illius erga te ſtudium, & mea ſane charitas augebitur. Dat. tertio Non. Feb. M D X V Anno ſecundo. Romæ.

Aloiſiæ Regis Gallorum matri.

XVI EX legati mei literis intellexi, quanto ſtudio cũ Franciſco Rege filio tuo egeris, vt is vellet, vt de Epiſcopatu Narbonenſi, cui præficere Iulium Medicem, Cardinalem fratrem patruelem meum cupiebam, pro noſtra voluntate ſtatueremus. Quæ res ita mihi atque illi grata atq; iocunda accidit; quanquam tu in eo huius Reipub. quæ tibi quidem pro tua pietate chariſſima debet eſſe, dignitatem & autoritatem

autoritatem es tutatu, officiumq; præſtitiſti optimæ & præſtantiſſimæ mulieris; plurimũ tamen ex eo tibi debere vterq; noſtrum facile præ ſe ferat: eoq; magis; quòd Rex non paucis neq; vulgaribus ſane cauſis, quæ in alia ipſum impellebant, deſiderium noſtrum prætulit. Quamobrem ſcire te plane volo, eo te officio & Cardinalem tibi tuoq; filio deuinxiſſe; & meam in illum beniuolentiam auxiſſe: Quemadmodum ab eodem Legato meo latius intelliges. Dat. iij. Non. Febr. Anno ſecundo. Romæ.

Matthæo Cardinali Seduno Heluetio.

XVII MOleſte ſane tulimus Maximilianum Mariam Inſubrum Ducẽ haberi in cuſtodia iuſſiſſe Ioannem Petrum Moronum ciuem Mediolanenſem Federici Cardinalis ſancti Angeli procuratorem, ea de cauſa; vt fructus monaſterij Morimundi, quos is Cardinali debet, quiq; apud ipſum ſunt, ab eo per vim atq; iniuriam extorqueantur: eiusq; te iuſſionis autorem fuiſſe; quem minime quidem decuit, minimeq; opus fuit. Eo de genere toto iniuriarum tametſi proxime ad te literas dedimus; quibus te hortabamur, velles inferendis Cardinali detrimentis modũ aliquem aliquando tandem ſtatuere: tamen quia non ſolũ ea te literæ nihil mouerũt; ſed poſt eas multo etiam, quàm antea, grauius atq; iracundius te geſſiſti: has ad te alteras dare literas volui; vt te diligentius commonefacerem; meminiſſes, Federicum & eſſe Cardinalem, & haberi; noſq; id Romanamq; Remp. ſtatuiſſe: neq; eſſe Regem aut populũ Chriſtianum vllum, qui nõ ipſum eo nomine appellet. Hæc quãti tibi facienda ſint, ſineſcis; cur te fieri Cardinalem appetieris, non intelligo. Si ſcis, & magni æſtimas iſtã dignitatem; vide, ne quod tibi amplum putas, in altero te minimi facere, non tam vllius vitium redarguat; quàm ſit tuum. Quòd ſi

reliquæ causæ omnes parum apud te quidem valent; tui te ordinis & dignitatis ratio ab eiusmodi cõsilio reuocare certe debet: ne tuo exemplo quilibet lacessere reliquos etiã Cardinales ordinemq; ipsum augustissimum audeat: vnumq; vestrum male habendi licentia ad cæteros facile contemnendos emanet. Hæc scripsi impulsus non magis Federici causa, quãm amore in te meo mutuaq; nostra beniuolentia. Tu si offensionum iracundiæq; tuæ finem feceris, & illum frui monasterij sui fructibus & pensionibus passus fueris; profecto & reliquis Cardinalibus tibiq; ipse consules; & huius Reip. dignitati videbere tuas rationes posthabuisse, & mea mandata non despexisse. Dat. xvi. Calend. Mart. Anno secundo Roma.

Magistratui Parmæ.

XVIII Venit istuc meo iussu Iacobus Corregius; vt in Castri Gibelli possessione nobis tradenda curet agatq; meo nomine, vt res sine armis ex voluntate nostra transigatur. Quamobrem curabis; vt quoad ipse adire ad eos, quorum interest, tractareq; rem possit; omnia suspendantur, pacatiq; sint: eiq; fidem habebis ijs in rebus, quas ad te meis verbis deferet. Dat. xv. Calend. Mart. Anno secundo. Roma.

Ioanni Iordano Vrsino.

XIX Intelleximus inter Aldobrandinum Archiepiscopũ Nicosiensium & Ludouicum Petiliani Comitem germanos fratres disceptationem quandam super Fiani oppido rebusq; alijs magno animorum ardore susceptam exerceri; timeriq; ab eorum propinquis; ne breui ad acerbissimas contentiones atq; ad arma prosiliant. Quare te hortor, atque abste, tanquam ab homine Vrsinæ gentis facile principe, diligenter peto; cures quamprimum desq; operam tua prudentia, vt ea controuersia componatur: Quod si perficere non poteris; vtriq; eorum meo nomine volo mandes, ab altercatione vt abstineant; quoad ipsi te audito statuere, quæ æqua erunt, possimus. Dat. xv. Calend. Martias. Anno secundo. Roma.

Laurentio Tuccio ciui Florentino.

GRatæ nobis tuæ literæ fuerunt; quibus tuam in nos XX mirificam obseruantiam veteremq; in familiam nostram cultum multo quidem antea nobis & perspectum & cognitum facile ostendisti. Itaq; volo existimes, nos in tua commoda esse propensos; teq;, si Romam veneris, libenter visuros: ita tamen; dum id itineris senectutis valetudinisq; tuæ incommodo ne suscipias. Dat. prid. Cal. Mart. Anno secundo Roma.

Maximiliano Rom. Imp. desig.

SI vnquam aliàs vlla in re cõcupiuimus impetrare abste XXI optatos exitus nostræ petitionis; hæc vna est, in qua id per te consequi maxime omnium expeto; vt Marco Cornelio Cardinali aliquando tandem remittas atq; restituas fructus Ecclesiæ Veronensis, cui præest, reliquorumq; sacerdotiorum, quæ is in tua ditione habet. Qua de re non hortor te solum, sed etiam magnopere & vehementer rogo ijs de causis; de quibus ad Thomam Episcopũ Feltrinorum des. Legatum meum scripsi: cuius ad sermonem, ne bis in scribendo sim longior, te reijcio. His autem literis te rogo, ita mihi respondeas; vt singulas petitionis meæ causas & amanter & prudenter te appareat considerauisse. Dat. octauo Id. Martias. M D X V Anno secundo. Roma.

Thomæ Episcopo Feltrinorum Legato.

XXII EA, quæ ad Maximilianum Imper. desig. de fructibus Ecclesiæ Veronẽsis & reliquorum sacerdotiorum M. Cornelio Cardinali restituendis breuiter scripsi, ab exemplo mearum ad illum literarum, quas ad te mitto, quod erit cum his literis cognosces. Quoniam autem magnopere mihi est cordi; neq; solum cordi est, sed mea etiam interest, vt res ad optatũ exitum perducatur; volo captes obseruesq; tempus id, quo tempore nihil te ab eo non impetraturum possis confidere, literas meas ei reddendi: iisq; redditis petitionem meam tuis tum verbis tum precibus quantum maxime poteris, accuratè atq; appositè subsequare. cuius tui cũ illo sermonis illud sit caput: me pro Cardinali Cornelio non tantopere laborare solummodo, quia Cardinalis sit: quanquam id quidem & me mouet maxime, & illius etiam animum mouere & flectere sanè debet: vel quia fratrum meorum E.R. Cardinalium vniuersus senatus precibus omnibus, expostulationibus, contentionibus prope quotidie hac de re nos appellet; atq; vt eius ordinis iura autoritatemq; ne prodamus, à nobis non tam petat, quam etiam exigat: quibus quidem tam assidue tantoq; opere æqua præsertim petentibus deesse nullo pacto possum: sed etiã propterea, quòd & ipse quidem de me optime amplissimeq; promeritus; & quòd ei maiorem huius mei Põtificatus partem sanè debeo. Ea enim is in nobis Reip. præficiendis egit cura studio diligentia labore animiq; sui motibus omnibus & sensibus; vt illi multo maximã eius rei gratiam habeamus. Quanquam quidem, vt pergam ad reliqua, diu est; quod cũ illo, tanquam cum fratre optimo atq; iocundissimo viuo: omniaq; fraterna germanaq; beniuolentiæ studia atq; officia inter nos exercentur. Nunc autem ad priorem veteremq; nostram necessitudinem amoremq; mutuum additis ingentibus illius meritis ita est mihi animoq; meo gratus; nihil vt addi posse ad nostram coniunctionem videatur. Itaq; meo à latere fere nunquam discedit. Quoniam autem adẽptis ei distractisq; ijs, quos dixi, fructibus, alere sese ipse non potest; alo eum ego atq; sustento impensa mea. Quod etsi libentissime facio; est tamen mihi, vt verissime dicam, permolesta perq; grauis eius impensæ causa: præsertim cũ eius rei is sit autor; à quo subleuari me in rebus etiam dubie iustis pro meo in illum singulari amore atq; beniuolentia æquissimũ profecto esset, nedum in hac; in qua certe ipsa rectus mos, consuetudo, ius omne, æquitas omnis, pudor ipse, pietasq; inest; debeam. Neq; enim obesse Cardinali debet, quòd Venetus natione sit: eum ipse ita moderate omnibus in rebus quæ ad Maximilianum pertineant, ita temperate, ita non ambitiose semper se gesserit; vt indignissimum planè sit; eum ipse in illum nihil ommno agat, nihil cogitet, debitum etiã illi cultum & obseruantiam præ se ferat: suæ se vitæ atq; victus alimenta atq; præsidia, quoniam ab illo intercipiantur, desiderare. Quam indignitatem reliqui Cardinales omnes perinique animo cum ferant; ea de re ita apud me contendunt, vt dixi, prope quotidie; vt quilibet suam se causam agere in Cardinalis causa, quilibet pro seipso laborare atque niti existimet. Timent enim & verentur maxime; sibi quoq; aliquando idem ne accidat alijs ab Regibus; si Cardinalis Cornelij dignitas cum Reip. dignitate coniuncta per nos hac in re atq; causa negligatur. Itaque quod initio dixeram, non tam moueri me cæterorum Cardinalium causa & precibus ad fructus Cornelianos procurãdos: nunc mehercule, vt iam liberius dicam quod sentio, non moueri modo fateor ea me re & concuti; sed planè etiam conuelli magnopereq; perturbari. Neque enim sustinere illos iam, meq; ab eorũ & iustis

& quotidianis querelis tueri possum. His omnibus de causis petere te ab illo meis verbis atque precibus volo; vt me quidem hac animi solicitudine, his impensis atq; onere; se verò ea calumnia, atque etiã hac molestia liberet: neq; enim ab incepto possum, nisi re impetrata desistere. Itaque remittat aliquando tandem Cardinali Cornelio eos, de quibus loquimur, fructus, vel iustitiæ, quam vnus omnium maxime atque sanctißime omni tempore coluit, vel sacri Cardinalium ordinis & collegij, quod apud omnes homines augustißimum semper fuit, vel huius Reip. dignitatis: quam tueri ipse in primis debet; vel mea demum causa, qui illum tantopere amo tantiq; facio; vel simul omnium. Atque mea quidem certe causa non eo modo; quo illi atque alijs Regibus commendare sæpe multos soleo; sed quo agerem; si pro Iuliano Medice fratre germano meo, vel etiam si pro ipso me, quanquam & pro me ago, hac in re atque causa laborarem. Id si fecerit; confirmabit ille quidem in omnium hominum mentibus atque sermonibus existimationem, quam alit, liberalißimi Regis atque iustißimi. De Cardinali Cornelio autem deq; cæteris Cardinalibus optime merebitur: Ego verò id eo loci apud meum animum atque memoriæ sensum reponam; vt eius in rebus & postulationibus; si quid acciderit, in quo me quoque ipse velit sibi petenti satisfacere; vt sunt omnium rerum vices; facile appareat, mihi se in eo feciße gratißimũ. Ex his verbis potes facile perspicere quantum prudentiæ, studij, diligentiæ sit abste adhibendum, vt res ex sententia transigatur. Itaque non erimus longiores. Vnum addam; quanti me facis; tantundem hoc in negotio & procurando & conficiendo tute labora. Dat. octauo Id. Mart. M D X V Anno secundo. Roma.

Vladislao Regi Pannoniæ.

XXIII

CVm & Reip. Christianæ dignitas, & tui Regni atq; populorum salus in eo mihi versari hoc tempore maxime videretur; si certa in Illyrico atq; Croacia municipia Turcis exposita loci natura satis ad resistendum idonea, etiam hominum opibus atq; præsidijs munirẽtur: Vincentio Ototiensium Episcopo & Iulio Cortonensi procuratoribus meis mandaui, vt eam curam susciperent, eoq; se conferrent, quamcelerrime fieri posset. Eis magnum tritici numerum, magnum hordei illò comportandum iussi dari; puluerisq; perfecti ad tormenta impellenda libras mille: sulphuris præterea libras decies mille: salis nitri quinquies mille: quibus ex rebus puluis, si esset opus, confici posset: Tormenta etiam varij generis aliquot. Atque ijs quidem rebus omnibus curatæ pecuniæ adieci numos aureos vicies centũ: qua pecunia quibusq; rebus ex Episcopi Vesprimiensium Croaciæ præfecti sententia & consilio vterentur. Audio autem operæpretium esse maxime quidem certe vt mœnia eorum oppidorum reficiantur, & vallo ac fossa præcingantur, sed si quid esset aliud; quod vel ædificari, vel muniri oporteret; id eos ita iussi procurare, si Episcopus Vesprimiensium mandauisset. Te autem magnopere hortor; vt quam ad te pecuniam ex Reip. propediem ærario sum missurus; quæ quidem erit ad vicies mille aureorum nummum; eius multo maximam insumas partem illis in locis & municipijs & firmandis & communiendis. Hæc cum me videas pro tua tuorumq; incolumitate laborare; quid te ipsum facere Vladislae oporteat, facile iudicabis. Itaque non ero longior. Dat. tertio Cal. April. M D X V Anno tertio. Roma.

Episcopo Vesprimiensium Præfecto Croaciæ.

XXIIII Dedi ad Vladislaum Pannoniæ Regem Vincentio Ototiensium Episcopo & Ghilio Cortonensi intrepretibus & procuratoribus meis literas: quos ad certa Illyrici Croaciæq; municipia, vt scis, & firmanda & munienda ad Turcarum impetus sustinendos mitto petente maxime & monente te: quibus ex literis quantos labores, quantas etiam impensas susceperim; facile intelliges. Nunc te hortor; vt quando in eam procurationem atq; curam te autore sum ingressus; cuius prudentiæ atq; in rebus gerendis experientiæ plurimũ tribuo: quibuscunq; in rebus esse illis vsui poterit virtus autoritasq; tua, eos iuues, Ghiliumq; præsertim; cui mandaui, tuo vt consilio muniendis illis oppidis, & bello; si forte in aliquem tumultum eorum aduentus incideret, administrando & ducendo vteretur. Id facere te oportet cũ Reip. Christianæ, cuius res agitur, causa; tũ tua, quo impulsore vsus sum; tum verò etiã mea: qui te secũdum Regem tanti facio, vt tibi tota ista in regione latissima atq; populosissima præferam neminem. Dat. tertio Cal. April. M D X V Anno tertio Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXV Mitto ad certa Illyrici Croaciæq; oppida, Turcarũ incursionibus exposita, Vincentium Episcopum Ototiensium & Ghilium Cortonensem procuratores meos cũ commeatu armamentisq; ; vt ea bene atq; celeriter muniant: iisq; mandaui, vt omnem diligentiam adhiberent, nequid illis in locis detrimenti Res Christiana pub. acciperet. Quare te hortor, mandes quamprimum tuis magistratibus, quos in Illyrico habes; vt quibuscunq; in rebus

ferre opem meis procuratoribus poterunt, vt mãdata nostra facilius atq; celerius conficiant; illis præsto sint: maximeq; in calce reliquaq; materia atque operis ad fossas, vallum, mœnia vel sarcienda, vel exædificanda subministrandis: recipiantq; ac seruent ea omnia fideliter; quæ ii à nobis secum ferẽt; quoad illa vlterius deportari opus sit: Demũ ita se gerant; vt ea cura, quã ad cõmunem Christi populorũ vtilitatẽ suscipio, quantũ maxime potest, proficiat; & illos appareat ministros esse Principis optimi summaq; religione præditi. Dat. iij. Cal. April. M D X V Anno tertio. Roma.

Emerico Pannoniæ Palatino Principi.

XXVI Legi tuas literas; quibus & tuã in nos mirificam voluntatem & in Romanam Remp. singularem cultum pietatemq; præfers. Quarum duarum rerũ animiq; tui propensionum & inductionũ quæ ad me pertinet, valde mihi gratu est; quæ ad Remp. ea etiam sancta & vehementer probata & mihi esse debet & bonis omnibus. Itaq; de vtraq; valde te amo. Quod vt etiam apertius scire possis; exemplum literarum, quas ad Vladislaũ Regem dedi, tibi describi iussi, tum vt quam curam pro Christianæ Reip. dignitate tuenda suscepi, ea ne te lateret: tum etiam vt te hortarer; vt cõmunem causam apud Regem ipsum iuuares auctoritate tua & gratia, vt quas impensas feciss̃em pro istius regni maxime salute atq; gloria; eæ quam fructuosissimæ essent futuræ. Cæterum quod ad Episcopatũ Varadiensium attinet; cui postulas vt filium tuũ velim præficere; est illius quidem certe ætas ad id ponderis sustinendum imbecillior: sed quia te; vt dixi, valde amo; dabo operam; vt quãto aptius & citius pro nostra dignitate fieri possit, satis appareat tuam apud me autoritatem plurimum valuisse. Dat. Cal. April. M D X V Anno tertio. Roma.

Nicolao Leoniceno.

XXVII Literas tuas; quibus literis egregiam & singularem tuam in me obseruantiam doctè sanè lucutenterq; ostendisti; legi libentissime: tuumq; studiũ mihi operam nauandi, si qua in re vti vellem, in illis agnoui: quod mihi gratissimum fuit. Te verò & amaui profecto omni tempore, multiplicemq; & excellentem in optimarum artium studijs doctrinam tuam magni, vt debui, feci: & nunc etiam Petri Bembi scribæ à latinis mei; qui te mirificè diligit; & Ferrariæ in Prodominatu patris sui admodum adolescens cum esset, de tuo pleno fonte hausisse se præcepta philosophiæ dicitat, ruulumq; duxisse; apud me habito multa cum tua laude sermone facile adducor; vt ad priorem meam in te beniuolentiam magno addito cumulo vnice te complectar & prosequar: cupidusq; sim ornandi tui meritis & præmijs & laudibus. Id te scire volui; vt si quid esset; in quo tibi & vsui & ornamento esse posset amor erga te meus; confideres te à me omnia, que velles, posse consequi. Dat. quarto Non. April. Anno tertio. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXVIII Egregia singularisq; probitas, prudentia, virtus, atq; in agendis tractandisq; rebus istius Reipub. summa cum lenitate coniuncta tum grauitas tum etiam diligentia Petri Landi Legati tui eum nobis magnopere commendarunt. Itaque & hoc tempore toto, quo eum apud me esse voluisti, magno amore hominem sum complexus; & vidi atq; audiui vsquequaq; libentissime: & nunc ad te atque ad patriam iussu tuo reuertentem his prosequi literis volui, tanquam testibus & nostræ in illum voluntatis, & meritis non solum prudenter, sed etiam præstanti modestia, integritate, studio acti ab illo cum magna tua semper tuæq;

Reip. & Senatus istius laude ac dignitate. Quæ quidem res officijq; perfunctio charioremtibi illum reddere sanè debet. Ipsum autem redire nunc ad te eo nobis minus molestum est; quo aliquot iam menses sunt, cum is Romæ incommoda valetudine vtitur. Sperat autem se, cum istuc atq; ad suos redierit, facile conualiturum. Quæ spes ne eum fallat, Deum Opt. Max. precor. Tibi verò illum Senatuiq; isti, non quod existimem ciuem vestrum optimum hominem & prudentem virum deq; vobis optime meritum apud vos commendatione mea egere: sed vt mihi ipse charitati que in illũ meæ morem geram, summopere atque diligentissime commendo. Dat. octauo Id. April. Anno tertio. Roma.

Maximiliano Mariæ Mediolanensium Duci.

XXIX Alteris meis literis hortatus te sum; vt Paulæ Gonzagæ id, quod ratione dotis ei debetur, dari iuberes vel æquitatis causa, cuius esse minister in primis debes; vel mea, qui eius fratrem clarum & præstãtem virum vnice diligo: vt se sustentare, & celibatum, in quo aliquot iam annos est, ducere honestius atque commodius possit. Quod quidem te facturum vel propterea confidebam; quod nihil esse prope intelligebã fauore atq; tutela maximorum hominum & virorum principum dignius viduis mulieribus; quibus sanè omnium gentium leges, mores, consuetudines plurimum tribuunt. Verũ cum præter spem expectationemq; nostrã nihil abste curatũ, nihil mandatũ ea in re adhuc quidẽ sit, credo, quod occupationes magnæ tuæ cogitationem tibi illã eripuerint: nõ enim arbitror nihil te tribuere meis commendationibus voluisse: iterum te & hortor, & planè rogo, velis dare operam, vt mulieri satisfiat. Omnino eam rem ita tibi commendo; vt etiam cupiam te in ea procuranda diligentiorem esse, quàm causa ipsa postulat: vt

ostendas me à te pluris, quàm cætera, fieri. Dat. xij. Cal. Maias. Anno secundo. Roma.

Philippo Gualterotto ciui Florentino.

XXX Allatum ad nos est te apud animum tuum proposuisse, vnicam filiam tuam Rafaeli Medici gentili meo nuptui velle tradere: quod mihi admodum iocundum fuit. Nam & Rafaelem ipsum valde diligo; & te facio, vti debeo, plurimi. Quare tua hæc voluntas mihi vehementer probatur: scireq; te volo, nuptias istas si confeceris, eum me nuntium libentissime auditurũ. Deum autẽ in primis precor; vt quæ tibi & filiæ domuiq; tuæ, atque illi nobisq; omnibus vsui & voluptati futura sint; ea per te hoc in negotio transigantur. Dat. Cal. Maijs. Anno tertio. Roma.

Latino Iuuenali familiari meo.

XXXI Cvm magnopere cupiam; vt simultates ac belli semina inter Maximilianum Mariam Mediolanẽsium Ducem & Octavianum Ducem Genuensium populumq; Heluetiorum exorta iam atq; iactata pro communi bono atq; ipsarum partium statu per me adiutore Domino quamcelerrime sopiantur & aboleantur: mando tibi; de cuius fide atq; in agendis rebus experientia magnopere confido; vt magnis itineribus ad Maximilianũ quidẽ primum, deinde ad Heluetiorum eos pagos, qui militiam in Italia faciunt, demum Genuam te conferas: omneq; tuum studium diligentiam, curam, laborem adhibeas; vt pacem inter illos omnes firmare atq; conficere possis. Pro qua conficienda rebusq; constituendis si quid meis te verbis promittere atq; recipere sue vni, sue alteri eorum, sue planè omnibus oportebit: id omne, quod promiseris quodq; receperis, ratum & gratum me habiturum, fidemq; tuam in eo præstaturum,

omnia que illa, quæ tu egeris, probaturum, hoc meo chirographo polliceor & spondeo. Dat. decimoquinto Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Octauiano Duci Genuensium & Federico Archiepiscopo Salernitanorum fratribus.

Qva de causa Latinum Iuuenalem familiarẽ meum adolescentem probitate atq; virtutibus præditum ad vos miserim; ipse vobis exponet. Quoniã autẽ simultates odiiq; semina, quæ inter vos & Ducem Mediolanensium populumq; Heluetiorum nimis iam & diu & acriter iactantur, sine graui & vestræ vrbis & totius Italiæ incommodo vlterius progredi exerceriq; non possunt: pro mea in vos charitate etiam atq; etiam à vobis peto; animum & mentem inducatis ad ea statuenda; quæ mihi; qui propterea quod absum ab earum rerum culpa longius, iudicare recte possum; fore vobis & vsui & dignitati & certe otio magnopere videntur. Non enim, vt bene vobis atq; feliciter sit mmus laboro; quàm si vel pro patria ipsa mea, vel hoc pro Imperio Romanaq; Rep. eam curam suscepissem. Dat. xv. Cal. Iun. Anno tertio. Roma. XXXII

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

NOn vni ad me nuntij, rumor etiam ipse attulit, esse quosdam, qui in huius Reip. ditionem inuadere armis cogitent; Parmamq; atq; Placentiã in primis. Quod etsi non queo credere: recta enim sentio de omnibus: tamen ne prorsus imparati offendamur; si quispiam erit, qui male cogitatu exequi cupiat; peto à te; cuius in me remq; banc publicam pietatem animi que magnitudinem meq; paucis & grauissimis in rebus sum expertus; velis Iacobo XXXIII

Gambaro, quem ea de causa ad te venire iussi, eam militum tuorum manum tradere ad ea municipia muniendā; quam is à te requiret. Pluribus verbis non vtar cum propterea, quod te eius sceleris, quod paratur; si modo quisquam est, qui tantum ad scelus se comparet; ipsa indignitate permotum excitari per te tete atq; ardere animo puto: tum quia tota de re Bernardus Bibiena Cardinalis meo iussu literas ad te dabat, cum hæc scriberem. Dat. sexto Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magistro.

XXXIII CLemens Rhodius metropolites tum tua, tum verò maxime Ioannis Lascaris familiaris mei docti hominis commendatione & gratus mihi est & probatus sic; vt eum item tibi ipse eiusq; res commendare facile statuerim. Nota tibi esse arbitror; quæ à me proxime concessa & condonata illi fuerunt. Eane ipsi abrogari vllis ab hominibus, ne ve iniuriam fieri permittas; abste peto. Dat. tertio Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Octauiano Duci Genuensium, & Federico Archiepiscopo Salernitanorum fratribus.

XXXV QVoniam quod tantopere cupiebam, de pace nihil esse adhuc confectum & constitutum video: has ad vos literas dedi; ne ea de causa rem posse confici diffideretis; aliaq; cogitanda vobis esse atq; statuenda existimaretis. Nam & ea in re nihil prætermittam vel studij vel diligentiæ vel laboris, tentaboq; omnia & moliar: in quo nihildum etiam eiusmodi video, prorsus vt sit desperandum: & si erit is meus inanis atq; irritus de pace labor & cogitatio; tum illud aggrediar; quod

quidem mihi præripere vestrorū inimicorum nullus poterit: atq; ad vos oppidumq; & dignitatem vestram tuendam & conseruandam omnes meas omnes Florentinorū copias, quæ quidem sunt paratissimæ, statim mittam: ostendamq; omnibus hominibus, quanti vos vnos faciam; quiq; sit meus erga vos sensus, studium, beniuolētia. Quare volo bono vos atq; magno animo esse. Quin etiam vt cogitationes meas omnes clarius atq; plenius intelligeretis; Ioannem Vespuccium familiarem meum magnis ad vos itineribus his cum literis venire iussi; qui mentem vobis nostram explicaret. Dat. tertio Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Ioanni Blassiæ triremium Præfecto.

XXXVI MAndaui Ioanni Vespuccio; quem ad Octauianum Genuensium Ducem & Federicum Archiepiscopum Salernitanorum fratres misi; vt ad te sermonem meum, quem cum eo habui, perferret, ijs de rebus, quas te scire magnopere cupio. Cuius illud caput est; vt hanc ad oram littoraq; nostra à pyratis & purganda & muniendā cum ijs nostris triremibus, quas nunc quidem tecum habes, Centumcellas nauigatione non intermissa te conferas. Dat. tertio Cal. Iun. Anno tertio. Roma.

Sigismundo Trotto Ferrariensi

XXXVII QVam ad me scriptam probe sane & multa musicæ artis suauitate atq; dulcedine aspersam cātilenam attulit Vincētius Mutinensis missam abste mihi; ea me reliquosq;, quos habeo multos, vt scis, ea in re doctos homines oblectauit tenuitq; plurimum. Mirifice enim placuit; visaq; est eiusmodi; vt nihil ei ad auriū delectationē animosq; permulcēdos prope deesset. ita vocum inflexione, varietate, cōcinnitate, artificio denicq; omni & tēperamēto cōtinebatur. Quam re & tuā in me obseruātiā, &

optimum ūs in rebus ſenſum & iudicium animi ingeniiq; tui profecto agnoui. Itaq; iſta tua diligētia cum de veteribus tuis miſsis ad me ſcriptis cantibus, tum de hoc nouo, mihi valde grata eſt. Quod te ſcire volui; vt confideres, me de te & remunerando & ornando cogitare. Dat. v. Id. Iun. M D X V Anno tertio. Roma.

Florentinis.

XXX VIII Valde mihi opus eſt eis libris; quos Angelus Politianus à peruetteribus illis, qui à vobis publice aſſeruantur, Iuſtinianarum legum & digeſtorū libris, quos Pandectas vocant, ſua ipſe manu deſcripſit. Qui quoniam apud vos ſunt; vos hortor; vt eos Laurentio Medici fratris mei filio mihi mittendos dari iubeatis. Eos vobis, cum vſus fuero, ſtatim remittam. Dat. xv. Calend. Iul. Anno tertio. Roma.

Laurentio Medici.

XXX IX Proficiſcenti Florentiam Franciſco Saluiato deeſſe no lui; quominus ſcriberem ad te; dares operam; vt à ſuis creditoribus inſigni aliqua moleſtia ne afficeretur: maximeq; eam ob cauſam; nēquid ex ſuis fortunis rebusq; ūs, quæ moueri ſolo nequeunt, ſiue inſulā, ſiue fundū, vendere atq; diſtrahere cogeretur. Itaq; erit mihi ſane quàm gratum; valde enim hominem diligo; vt facilitate prudentiaq; tua eius cum creditoribus ita agas; vt malum malo ne addant; contentiq; ſint, vt eius rei modus aliquis & ratio amicè ineatur: quemadmodum tibi eſſe aptius expeditiusq; videbitur. Quod quidem creditores velle ipſi cū propterea debebunt, quòd eſt Franciſcus plane ſoluendo; tum etiam, quòd ipſe adiumento illi eſſe, eamq; ſolutionem mea pecunia explicatiorem facere cogito. Dat. xij. Cal. Iul. Anno tertio. Roma.

Ludouico

Ludouico Areoſto Ferrarienſi.

XL Singularis tua perq; vetus erga me familiamq; meam beniuolentia, egregiaq; bonarum artium & literarum doctrina atq; in ſtudiis mitioribus præſertimq; poëtices elegans ac præclarum ingenium iure prope ſuo expoſcere videntur; vt quæ tibi vſui futura ſunt, iuſta præſertim & honeſta petenti; ea tibi à me non libenter modo, ſed etiam liberaliter concedantur. Quare cum libros vernaculo ſermone & carmine de geſtis errantium, quos appellant, equitum ludiero more, longo tamen ſtudio & multorū amorum cura vigiliisq; confeceris; eosq; conductis abſte impreſſoribus edere in manus hominum ſtatueris; vt ea tua diligentia probiores exeant; tum vt ſi quis fructus ea re percipi poteſt, is ad te potius, qui conficiendi poēmatis laborem es perpeſſus, quàm ad alienos deferatur: edico & mando; nē quis te viuente eos tuos libros imprimere; aut impreſſos venundare, vllis in locis audeat ſine tuo iuſſu & voluntate. Qui contra mandatum hoc noſtrum fecerit, admiſerit; is vniuerſæ Dei Eccleſiæ toto orbe terrarum expers eſto. Dat. xij. Cal. Iul. Anno tertio. Roma.

Franciſco Mariæ Vrbinatium Duci.

XLI Ioanni Mariæ Mutinenſi Internuntio tuo mandaui, ageret tecum, tuas vt copias eſſe paratas ad profectionem iuberes; efficeresq; vt eſſent quamoptime quamq; celerrime inſtructæ. Eumq; ad te venire iuſſi tum hac de cauſa; tum vt te de meo beniuolo in te paternoq; animo & voluntate coram certiorem faceret. Quare te hortor; vt & charitatem erga te meam & hominum de te ſpem, quam excitaſti, fide cura diligentiaq; tua in Reipub. negotiis adminiſtrandis mandatisq; meis explicandis & conficiendis hac in iuuenili tua ſurgentiq; adhuc ætate atque florenti non

confirmes modo, sed etiam augeas. Decimo Cal. Iul. Anno tertio. Roma.

Antonio Sanctæ Crucis.

XLII CVm de tua in bellicis rebus virtute & fide magnopere posse me confidere existimem; vt libentius cum res exigat, mihi præsto sis; ornatiorq; te, quò eris iussus, conferas: sexcentorum numum aureorum pensionem in annos singulos stipendij nomine tibi vt dent ærarij Quæstoribus mando: ita quidem; vt quarto quoque mense tibi vel tuis procuratoribus eius summæ tertiam partem persoluant. Dat. Decimo Cal. Iul. Anno tertio Roma.

Populoniæ Domino.

XLIII ET tuam fortitudinem bellis exercendis, & vigilantiam atq; solertiam administrandis, & fidem animiq; tui sensum vel ardorem potius nobis & colendis & obseruãdis plurimi sane facio. Id vt clarius atq; apertius intelligas; atq; etiam vt mihi maiori esse vsui, cum opus erit, possis; ad quinquies mille numorũ aureorũ pensionem annis tibi singulis ab ærarij Quæstoribus iubeo dari. Tu verò ita te geres; vt facile ostendas te magnam curam exercere; vt & sanguinis propinquitati, qua nobiscum es coniunctus, & tuæ dignitati, & expectationi nostræ maximè satisfacias. Dat. xij. Cal. Iul. Anno tertio. Roma.

Bernardo Bibienæ Cardinali.

XLIIII CVm omnium, quas in Pontificatu curas gerimus, ea non postrema sit, vt Mariæ semper virginis Domiq; nostri matris Lauretanæ phanum augustißimum; quod magnis sumptibus atq; impensa multos iam annos à Romanis Pontificibus constituitur; qua maxime conuenit diligẽtia & studio cõficiatur; eiusq; phani prouentus

probe custodiantur; reliquaq; omnia, quæ ad ipsius Virginis matris cultum lociq; religionem non solum retinendam, sed longe etiam, si fieri possit, adaugendam atq; amplificandam pertinent, recte administrentur; ipsius te Lauretani templi, ædium, domus, loci, prouentuum omnis generis, eiusq; templi exædificationis, cultus, curationis, ministrorum, operarumq; omnium procuratorem facio. De tua enim in Diuam pietate, in rem Romanam studio, in me autem; cui quidẽ familiæq; meæ omnia pene vsq; à puero summæ eũ integritatis & fidei tum verò curæ atq; diligentiæ egregia & præclara officia præstitisti; peruetere obseruantia voluntateq; admonitus; nihil est rerum omnium, quod tibi recte mandari credíq; posse non existimem. Itaq; tibi in eo procurationis munere obeundo eandem potestatem idemq; ius largior in teq; transfero agendi omnia, mandandi, statuendi; quæ potestas quodq; ius mihi, idem si agerem, mandarem, statuerem, profecto esset. Quare tuũ erit; qui virtute atq; ingenio sic abundas, nemo tibi in vtrisq; vt præferatur, in singulis æquentur pauci; eum magistratũ ita gerere; vt & phanũ illud apud omnes homines plus in dies venerationis & celebritatis acquirat; & mihi extet fructus laboris & industriæ tuæ. Dat. Cal. Iul. M D X V Anno tertio. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

CVm existimarem propter ea, quæ tibi fœdera cum Turcarum Rege sunt, non posse te aperte quicquam atq; palam contra illos moliri: eorum autem latrociniis & incursionibus, quas creberrimas faciunt; per me ipse ire obuiam; oppositãq; illis loca nostra communire atq; defendere cuperem: statui triremes aliquot, quæ Anconi fabricatæ sint, deducere & ornare eam ob causam. Quare abste peto; vt tormenta bellica, cæteraq; armamenta, quæ XLV

ad naues eas instruendas satis sint; mihi commodes. Ea de re Augustinum Beatianum familiarem meum & ciuem tuum probum ipsum virum & ingenio doctrinaq; præstantem ad te mitto: qui tibi mentem meã latius explicabit. Cui etiam mandaui, vt certos Græcorum libros, quibus egeo, Venetijs perquireret: Ea in re si illum iuueris; erit mihi gratum. Dat. tertio Non. Iulias. Anno tertio. Roma.

Rafaello Petrutio Episcopo Grossetanorum Romanæ arcis Præfecto.

XLVI VT amoris erga te mei atq; beniuolentiæ, & eius curæ; quam in Romana arce custodienda, mihi impendis fructum aliquem iam nunc percipias: Carrantianam domum meam cum hortis, quæ ad portam Vaticanam egressis vrbem prima omnium sese ostentat; tibi dono do, trado: eamq; domum cum hortis tuam esse volo, ita tamen; vt hæredes tuos ne sequatur. Dat. xiij. Cal. Aug. Anno tertio. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XLVII DEdi ad M. Antonium Columnam meũ Præfectum equitum literas; quibus ei mando, vt cum suis equitibus CL. tot enim sunt; Veronam se quamcelerrime cõferat. Quamobrẽ te hortor; vt eos equites; qui Veronæ sunt, quorum præfecturas Mutius Columna & Troilus Sabellus gerunt, proficiscí Parmam atq; Placentiã iubeas per Mantuanum agrum, aut qua securius posse eos iter facere intelliges: sed ita; vt omnem profectionis opportunitatem in celeritate positam existiment. Dat. vij. Id. Aug. M D X V Anno tertio. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

GVisiæ Dominum consiliarium tuum prudẽtem sanẽ hominem & grauem ac eloquentem virum, ad nos cum mandatis abste missum libenter vidimus horas aliquot. Cui ad te redire festinanti bonum reditum precatus. Eorum, quæ me rogas, quantam tibi partem concesserim; ab ipso intelliges. Equidem omni tempore paternam tui curam & rationem habui: sum que posthac honesta præsertim postulantis & quibus Reip. dignitas coniuncta sit; quæ quidem mihi mea vita est charior; sic habiturus; vt facile cognosci possit, nullius apud me hominis autoritatem plus valere, quam tuam. Dat. septimo Id. Aug. Anno tertio. Roma. XLVIII

Francisco Mariæ Metaurensium Duci.

ET si in dubium mihi non venit pro tua in me voluntate animiq; tui magnitudine; quin omnem sis celeritatem adhibiturus; vt quemadmodum tibi mãdaui. Interruntius q; tuus te facturum mihi recepit, cum tua manu quamprimum Placentiam te cõferas: tamen magnitudo rei facit; vt etiam atque etiam te de eo & monendum & hortandum putẽ. Itaq; summopere tibi sum autor, vt quantis maxime potes itineribus eò te conferas. Nam cum maximi quidem interest te cum tuis copijs ibi præsto asse: tum verò in tui tuorumq; celeritate totius rei pondus atq; summam esse positam debes existimare. Quare maiorem in modum contendendum tibi est; vt de aduentu illuc tuo, quemadmodum quidẽ res postulat, quamprimum certior fieri possim. Dat. quarto Id. Aug. Anno tertio. Roma. XLIX

Prolegato Vmbriæ.

L RVmor est, ex tua prouincia multos quotidie proficisci, vt cum exteris Regulis militiam faciãt. Quo cum nihil esse possit indignius: pertinet enim ad maiestatem huius Imperij, suos homines atque milites sibi potius, quàm alienis nationibus vsui esse; mando tibi, eam profectionem prohibeas studio diligentiaq; tua: edicasq; ne quis piam ad militiam exercendam aliò se conferat. Qui secus fecerit; ei læsæ maiestatis pœna esto. Quod si erunt posthac in tua prouincia; qui abitum parent; dabis operã vt capiantur & puniantur. Dat. decimoseptimo Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Rafaello Vrbinati.

LI CVm ad Principis Apostolorum Phanum Romanum exædificandum maxime interfit; vt lapidum marmorisq; copia, qua abundare nos oportet, domi potius habeatur, quàm peregre aduehatur: exploratũ autẽ mihi sit magnã eius rei facultatem Vrbis ruinas suppeditare; effodiq; passim omnis generis saxa fere ab omnibus; qui Romæ, quiq; etiam prope Romã ædificare aliquid vel omnino terram vertere parumper moliuntur. Te; quo magistro eius ædificationis vtor; marmorum & lapidum omnium: qui Romæ, quiq; extra Romam denum milium passuum spatio posthac eruẽtur; præfectum facio ea de causa; vt quæ ad eius phani ædificationem idonea erunt, mihi emas. Quare mando omnibus hominibus mediocribus summis infimis; quæ posthac marmora quæq; saxa omnis generis intra eum, quem dixi, loci spatium eruent, effodient; vt te earum rerum præfectũ de singulis erutis effosis ve quamprimum certiorem faciant. Id qui triduo non fecerit; ei à centum vsq; ad tercentum numum aureorum quæ tibi videbitur mulcta

esto. Præterea quoniam certior sum factus multum antiqui marmoris & saxi literis monumentisq; inciси; quæ quidem sæpe monumenta notam aliquam egregiam præ se ferunt, quæq; seruari operæpretium esset ad cultum literarum Romanarumq; sermonis elegantiam excolendam; à fabris marmorarijs eo pro materia vtentibus temere secari itã, vt inscriptiones aboleantur: mando omnibus; qui cædendi marmoris artem Romæ exercent; vt sine tuo iussu aut permissu lapidem vllum inscriptum cædere secarẽ ve ne audeãt, eadem illi mulcta adhibita, qui secus atq; iubeo fecerit. Dat. sexto Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Ferdinando Hispaniæ Regi.

LII EXcusationem, quam affers, cur Episcopus Malacitanus venire ad me hoc tempore non posit; libenter accipio. Estq; id, quod scribis, verũ. Nam si quo ei tempore per literas mandaui, vt Romam se conferret scire potuissem te illi munus aliquod mandauisse, ipsumq; in Regni tui tractandis administrandisq; rebus occupatum versari; eiusmodi ad eum literas profecto non dedissem. Præter enim quàm quod ea, quæ tibi negotium aliquod aut incommodum afferunt, mihi esse vsui nequaquam possunt: hominem etiam valde diligo: estq; mihi cum illo consuetudo sanè peruetus: vt gratum mihi atque iocundum sit intellexisse eius te opera magnis in rebus vti. Itaque hoc illi viæ atque itineris duplici de causa æquo animo remitto; & quod ei bene atque honorifice apud te esse mihi gratum est; & quod tibi, vt scribis, eius est & opera & industria domi cum iocunda, tum fructuosa. Dat. quinto Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Heluetiis.

LIII HAnnibalem Rangonium Præfectũ Prætorianorum equitum eiusq; cohortis, qua totã ex vestris militibus vtimur, & præstantis animi iuuenem, & mihi in primis gratũ, venire ad vos ea de causa volui; vt & vos meis verbis salutaret; & mea in vestram fortißimam inuictißimamq; nationem studia beniuolentiamq; ostenderet: certioresq; vos faceret, quantæ mihi curæ esset salus, dignitas, gloriaq; vestra. Nam cum is meo à latere fere nunquam discedat; qualis in vos animus mensq; nostra sit, optime omnium nouit. Ei etiam mandaui: vt & forti vos animo atq; constanti esse ad rem communem tuendam & conseruandam iuberet; quo & fuisse adhuc quidem vos plane cognoui, & posthac futuros magnopere confido: & me nulla in re; quæ ad vos fouendos atq; ornandos pertineret; defuturum polliceretur, planeq; reciperet. Quæ quidem ei ad vos mãdata nostra perferenda eo libentius dedi; quo ipsum scio animo esse in vestram nationem beniuolentißimo; vestramq; virtutem atq; in bellicis rebus præstantiam magnopere & mente suspicere, & oratione laudare. Sed & hæc & reliqua ab illo. Ego certe & vt amicißimi hominis in vos officia præstitisse me omni tempore profiteri prædicareq; posßitis; libentißime procurabo: & Deum Opt. Max. vt vos in vestra fortiter constanterq; agendi consuetudine contineat; suppliciter rogabo. Dat. tertio Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Reipub. Florentinorum.

LIIII QVoniam ad exædificandum Principis Apostolorum phanum Romanum; cui quidem rei, vt scitis, omnem meam curam & diligẽtiam adhibeo; arboribus ad constructiones idoneis nunc

etiam deficimur: hortor vos, quod etiã anno superiore sum hortatus, vt pro rei pietate & vestra religione eam abietum vim cædi ab eius phani procuratoribus vestris in montibus permittatis; quam ipsi à vobis petent; vt facilius atq; celerius tam laudabilis tamq; veneranda omnibus hominibus ædificatio vestra ope surgere conficiq; posßit. Dat. tertio Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Henrico Nolæ Comiti.

LV ET audiui Traianum Nolanum Internuntium tuum: & tuas postulationes confecissem; si quo modo facere potuissem. Sed quoniam Ludouicus Petiliani Comes patruus tuus mea causa domo est profectus; eaq; est horum temporum natura, vt nulla pacis & concordiæ studia exerceri posse commodè videantur: te hortor; vt pro meo in te amore duos aut tres ad summũ menses nihil moueas; causamq; ita se habere, quemadmodũ nunc se habet, sinas. Confido enim interea occasionem mihi datum iri, rem ita, vt volumus, maximeq; conuenit, inter vos cõmuni concordia statuendi. Quemadmodum ab ipso Traiano cum his ad te literis reuertente clarius intelliges. Dat. prid. Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Heluetiis.

LVI EX literis Marci Cardinalis Seduni de vestro in præsentibus rebus forti atq; ad omnia difficilia superãda fidenti alacriq; animo ea; quæ à vestra sane virtute expectari maxime poterant; intellexi: quæq; mihi magnam spem attulerunt, inceptu nostra cum Dei Opt. Max. nutu eos, quos volumus, exitus habitura. Itaq; cum magnam verißimamq; vobis laudem ea de re tribuendã puto: tum vos hortor; etiam si minus necesse est id me facere: quid est enim vobis omnibus ad viriliter agendum vel constantius, vel

omnino ardentius? sed tamen vos hortor; vt eosdem animos, fortitudinem, alacritatem adhibeatis vsq; eo; dum res quam aggressi estis, autore me vel Domino potius, explicata soluta confectaq; sit. Quod quidem vos facturos multorum vestrorum antea recte præclareq; factorũ recordatione non dubito. Quod ad me attinet; dabo certe operam, vt vobis omnibus in rebus, quæ ad vestra vel commoda vel ornamenta pertinebunt, pro Reip. viribus dignitate adhibita, quam vobis esse charissimam video, satisfiat. Dat. prid. Cal. Septemb. MDXV Anno tertio. Roma.

Vincentio Granatæ.

LVII QVæ ad me de Consalui Ferrandi Magni & vo luntate in nos, & pietate scripsistis; ea mihi planè notissima perspectissimaq; sunt. Bene autem in eo se res habet; Nam illum item ego & vnice atque summopere amo; & facio, vti debeo, maxime. Virum enim pluribus virtutibus præditum, bellicisq; in rebus clariorẽ hominem ætas nostra non habet: atq; haud scio an etiam parentum auorumq; nostrorum ætates habuerint. Respondere tibi autem ad reliquas parteis epistolæ tuæ, vt te cupere video, plane non possum. Hæc enim tempora aliam rationem postulant. Reliquum est, vt scias tuum mihi studium valde gratum esse. Dat. prid. Cal. Septemb. MDXV Anno tertio. Roma.

N.

LVIII AD xij. Cal. Septembris quas ad me literas dedistis; eæ diligentiam mihi vestram ostenderunt; qua vsi estis, vt me de Asiaticis rebus certiorem faceretis. Itaque quoniam video vos adhibere operam, nequid eorum à nobis ignoretur; in ea vestra diligentia atq; officio plurimum cõquiescam. Curabo autẽ quod vos peruelle intelligo,

nẽquid emanet; ne officium vestrum vobis noceat. Vos modo pergite, vt facitis; literasq; ad me omnibus illis de rebus date quamcreberrimas quamq; plenissimas. Erit id mihi vehementissime gratum. Dat. quarto Non. Septemb. Anno tertio. Roma.

Francisco Mariæ Metaurensium Duci.

LIX ETsi prioribus meis vnis atq; alteris literis hortatus te sum; vt quanto celerius fieri posset, cũ tua manu Placentiam accederes: idq; curare te omni diligentia existimo: tamen quoniam permagni interest quamprimum te illic esse: etiam atq; etiam te commonefacio; vt diligentiæ tuæ celeritatem; celeritati etiam alas, quod aiunt, addas; vt id, quod volumus, abste tuisq; copijs citius atq; tẽporius fiat. In quo si nihil prætermiseris vel curæ, vel operæ vel laboris; nihil erit tam magnum tamq; amplum; quod non tibi à me deberi facile sim existimaturus. Dat. decimoseptimo Cal. Septemb. Anno tertio. Roma.

Marco Antonio Columnæ.

LX ETsi existimẽ antequam hæ tibi nostræ literæ reddantur, intellecturum te de Iulio Medice Cardinali Legato, quid te facere oporteat: ad tuas tamen literas prid. Id. Augusti datas tibi respondeo; mihi placere, vt te quamprimum cum tuis equitibus Veronam conferas, vt celerius, quemadmodum quidem valde opus est, Raimundus Neapolis Prorex eiusq; equites Verona discedere, & quo expedit proficisci possint. Quæ ad tuendũ id oppidum pertinent; ea tibi à Prorege parabuntur. Cæterũ de tuis rebus vel admonitus à tuis ea faciam, quæ volent ipsi; vel quod per me existimare potero velle te, non prætermittam: vt facile intelligas, me tui absentis cõmodorũ & dignitatis rationem habuisse. Dat. xvij. Cal. Septẽb. Anno tertio. Roma.

Franciſco Gallorum Regi.

LXI GRatiſſima mihi voluntas tua fuit; quam in Bernardum Bibienã Cardinalẽ oſtendiſti ijs literis; quibus mihi ſignificaſti cupere te; vt, ſi Federicus Cardinalis ſancti Angeli mortẽ obiret, Eccleſiæ illũ Maleacenſi præficerẽ. Nam cũ is propter ſuas plurimas excellẽteis q̃; virtutes, vitæq̃; conſuetudinẽ mecũ & cum meis omnibus prope vſq̃; à puero actæ, laboresq̃;, quos quidẽ maximos adminiſtranda mecũ Rep. ſuſtinet, ita mihi gratus probatusq̃; ſit, vt nemĩnẽ plus amem: nihil mihi accidere iocũdius potuit; quàm te perſpicere in eius fortunis, quæ quidẽ perexiguæ perq̃; tenues ſunt, pro dignitatis ratione amplificãdis penè nobiſcũ certare. Itaq̃; cũ tibi ea de re magnopere debeo: tũ volo te ſcire, hommi tibi deditiſſimo tuiq̃; ſtudioſiſſimo, atque in primis beneficiorũ planè memori & vehemẽter grato te fauiſſe; cuius ipſius in te obſeruãtiæ & ſtudiorũ ipſi optimi teſtes ſumus. Verũ quod ad Eccleſiã Maleacenſem attinet; quoniã ei Petrum Cardinalẽ Anconitanũ virum doctũ, ac bene de me deq̃; Rep. meritum iam præfeci; non queo aliter ea de re ſtatuere. Tibi tamen neq̃; ipſe Bernardus Cardinalis minus debet, quàm ſi eã eſſet Eccleſiã conſequutus; neq̃; beniuolentia in illum liberalitasq̃; tua minus mihi grata atq̃; iocunda eſt; quam ſi ei Eccleſiam ipſam tua in tempore intellecta voluntate contuliſſem. Itaq̃; exiſtimare planè poteſ; quantũ ad animum vtriusq̃; noſtrũ attinet; nihil omnino ea in re de tuo beneficio fortunã detraxiſſe. Quo te magis hortor; vt hanc ipſam egregiam in illum animi tui propenſionem vel retineas in poſterũ, vel etiam augeas: quando ipſe hac illius oſtenſione abſte facta ſuam in te beniuolentiam magis magisq̃; in dies omnibus eſt officiorum generibus illuſtraturus. Dat. vij. Cal. Sept. Anno tertio. Roma.

Petri Bembi epiſtolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine ſcriptarum LIBER XI

Franciſco Gallorum Regi.

CAPITA fœderis inter te atque me I Remq̃; hanc p. ſanciendi ab Epiſcopo Tricaricẽſi Legato meo allata Romã, tanquam primordia & quaſi fundamenta voluntatis vtriusq̃; noſtrum, quod magnopere concupiui, cõſociandæ libentiſſime vidi. Libentius autem ipſum Epiſcopum audiui. Plura enim mihi & clariora de tuo optimo in Dei Eccleſiam atq̃; nos animo egregiaq̃; voluntate narrauit. Quæ ſi vera ſunt, quemadmodum quidem puto; cum te de hac tua pietate atque mente vehementer laudo: nihil enim potes te dignius atq̃; præclarius facere; quàm nihil committere; quo te male gratum appellare Dominus tam in te largus tamq̃; beneficus poſſit: tum ſpero fore vt hoc virtutum tuarũ ſpecimen, quod quidem in tam tenera ætate nobis das, cum ijs opibus, quas maximas atq̃; ampliſſimas habes, cõiunctum & conſociatum vniuerſæ Reip. Chriſtianæ magnum breui adiumentum atq̃; ornamentum afferat. Itaq̃; eiuſmodi tuæ & virtuti & pietati omnẽ noſtram & Reip. dignitatem tuendam ſtatui permittere: vt exiſtimare planè poſſis, mihi te & eſſe iam chariſſimũ, & ſemper fore. Neq̃; enim vereor; cũ videas te à me plurimi fieri; quin ſtatuas, hoc in fœdere

sanciendo honorem meum abste neglectum iri nõ oportere. Quemadmodum ab ipso Episcopo; quem quidem ad te eadem celeritate, qua est ad me profectus, intra biduum, aut summum triduum remittam; clarius omnia atque apertius intelliges. Vale; nosq; dilige. Dat. quinto Cal. Octob. MDXV Anno tertio. Roma.

Magno Galliæ Magistro.

II INtelleximus ab Episcopo Tricaricensi, quanto studio, quantaq; pietate nostras Ecclesiæq; res omni tempore iueneris; quamq; te nostri obseruantem semper ostenderis. Quod quidem mihi gratissimum sane fuit. Meam enim de tuis plurimis maximisq; virtutibus illustriq; probitate tua, quam omnes homines prædicãt, spem expectationemq; egregie confirmauit. Itaq; ea de re cum te vehementer laudo: tum tibi polliceor; me tuæ operæ & studij memoriam nunquam abiecturum. Reliqua ex eodem Episcopo ad Regem tuum propediem reuersuro cognosces. Dat. quinto Cal. Octob. Anno tertio. Roma.

Duci Allobrogum.

III STudium & officium apud Franciscum Gallorum Regem pro mea Reiq; p. dignitate tuenda adhibitum tuum plurima me voluptate affecit: de quo sum ab Episcopo Tricaricensi coram admonitus: qui mihi summa cum tua laude multa narrauit, quamobrem meam dignitatem tibi fuisse charissimam cognoscerem: attulitq; capitula fœderis inter Regem atq; me sanciendi tuo labore diligentiaq; confecta: quæ quidem mihi magna ex parte magnopere probantur. Verum quod ad illa attinet; idem Episcopus, qui se ad Regem celeriter referet, mentem tibi meam explicabit; meq; eius tui officij fore bene memorem pollicebitur. Te interea hortor; vt quod reliquum est, in eo eandem

curam habeas nostræ dignitatis: quæ tibi etiam ornamento esse poterit. Vale. Dat. quinto Calend. Octob. Anno tertio. Roma.

Iuliano Medici fratri.

NArrauit mihi Ioannes Vespuccius familiaris tuus IIII de valetudine tua quotidie tibi melius esse, sperareq; se breui te conualiturum: quo nihil mihi potuit afferri gratius, nihil iocundius. Neq; enim in vita quicquam habeo te vno charius. Quare te hortor vt reiectis aliis cogitationibus omnibus vnum illud cures; te vt quamprimum confirmes, restituasq; tum pristinæ valetudini, tum nobis; tibiq; persuadeas nos tui absentis tuarumq; rerum omnium eandem curam habituros; quam haberemus, tu si hic esses, atq; à latere meo nunquã discederes. Proinde optime & suauissime frater, si me amas ipse; si te à me amari existimas, bono fac animo, hoc est læto atq; vacuo sis; ac nihil cogites præter hoc vnum, vt cito te valentem & confirmatum habeamus. Dat. Cal. Octob. Anno tertio. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

VEnit ad te Ioannes Lascaris Constantinopolitanus V obseruantissimus & studiosissimus tui, vir & genere apud Græcos admodum illustri, & doctrinæ optimarumq; artium & literariũ præstantia & agendis rebus experientia, & morum probitate omnisq; vitæ comitate plane insignis. Eum his tot tãtisq; de causis & amaui omni tempore; & in Põtificatu prope quotidie ita eius virtute sum vsus; vt nemo illo mihi charior sit; nemo iocũdior. Neq; solum nos; sed vniuersa domus nostra, atq; in primis Laurentius pater meus quotidiano prope in cõuictu illũ habuit; hominisq; familiaritate & cõsuetudine mirifice est delectatus. Quare gratissimũ mihi erit; si præterquã quod is tuo in aere

iampridem est; quodq; valde dignus est, qui abste diligatur; mea etiam causa arctius benignitate illum tua & liberalitate fueris complexus; ostenderisq; ei meam apud te cõmendationem plurimum valuisse. Dat. Non. Octob. Anno tertio Roma.

Marco Antonio Columnæ.

VI GRatum mihi admodum & optatũ fuit id, quod tuis ad nos literis est allatum, Maximilianum Rom. Imperat. designatum te exercitus Legatum fecisse. Omnis enim tuæ dignitatis accessio pro meo in te amore magnam mihi voluptatem affert. Quare quod ad meam voluntatem attinet, sine cuius significatione scribis nolle te eam legationem accipere; libenti animo titulos tuos vt augeas, idq; muneris obeas, tibi permitto. In quo vt magno illi vsui esse possis; tibi erit enitendum non solum vt quod te decet facias; sed etiam vt tibi viam munias ad reliquos honorum & dignitatis gradus capessendos; quos quidem magnis atque fortibus viris & diligentibus tuiq; similimis hominibus virtus atq; industria patefacit. Dat. Non. Octob. Anno tertio. Roma.

Magistratui Spoleti.

VII POst LXIII virorũ creationem, quam ex omni ciuitate fieri iussi iis literis, quas Non. Iulijs dedi; qui quidem pro istius oppidi statu conseruando munia publica procurarent; intellexi facile accidere posse, vt ciuitatis quieti conduceret, vt is numerus vel augeretur, vel subtraheretur; tum aliquorum iam declaratorum loco alij subrogarentur, ipsi eijcerentur. Itaq; quoniam omni ex parte istorum ciuium paci & commodo consulere magnopere cupio, nihilq; prætermittere eorum, quæ iuuare eam rem possint; volo vt tibi; cuius prudentiã maximis in rebus & perspexi

sæpe

sæpe & probaui; potestas facultasq; sit eum, quem dixi, LXIII virum numerum augendi, subducendi, antiquandi, reponendi, quæq; tibi esse vsui ea in re videbũtur, iubendi & statuendi. Quare te hortor; vt omnem curam adhibeas; vt quam de te spem habeo fore, municipium vt istud optime abste regatur; ea ne deseras. Dat. xiiij. Cal. Nouemb. Anno tertio. Thuscanella.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

VIII ALlatum est ad me Picentes exules, quos quidem de nobis male meritos esse omnes homines intelligunt, confidere sese ab exercitu tuo Regnum Neapolitanum per agrum Picenum petente restitutum iri; auxiliaq; eis iri præbitum; quibus auxilijs eorum municipiorum status conturbare atq; conuellere, deq; aduersæ sibi factionis ciuibus, qui de nobis bene merentur, vindictam sumere pro libidine possint. Id tametsi mihi; qui te prudentiamq; tuam & probitatem noui, credibile non est: volui tamen te & hortari & impensius commonefacere, nolles eiusmodi postulationibus Picentium exulum præbere tuas aureis; ne ve quid eis concederes, quo moliri quippiam contra eius prouinciæ quietem nostramq; voluntatem audeant. Nihil enim fere mihi grauius posset atq; molestius accidere; quàm si contingeret res illas ab eo, in quo nunc sunt, statu & temperatione diuelli & prorui. Dat. xiiij. Calend. Nouemb. Anno tertio. Thuscanella.

Cardinalibus absentibus singulatim.

IX ACcepit quemadmodũ Deo Opt. Max. placuit Franciscus Gallorum Rex eas pacis conditiones, quas ei dedimus; libentiq; animo nobiscũ fœdus iniit: quam quidem pacem non solum huic vrbi atq; imperio, sed vniuersæ etiam Christianæ Reip. confidimus maxime vtilem

& salutarem futuram. Nunc autem cum existimem ad eiusdem Reip. dignitatem magnopere pertinere, vt tota de re tu reliquosq; fratres meos E. R. Cardinales quamprimum consulam; vt quæ agenda nobis sint, communi omnium sententia constituantur: peto abste; vt omni mora posthabita, quod commodo tuo fiat, Viterbium ad nos tu conferas: quam ad vrbem ad tertium Cal. Nouemb. erimus. Dat. xi. Cal. Nouemb. Anno tertio. Grauiseis.

Francisco Gallorum Regi.

X MAndauimus Nicolao Flisco & Iulio Medici Cardinalibus Legatis nostris; vt tibi Bononiam ad nos venienti obuiam proficiscerentur; teq; nostro nomine exciperent; beneq; tibi precarentur meis verbis: & cum de lætitia, quam ex aduentu tuo capio, tum aliis de rebus tu certiorem facerent. Quæ ad te propterea scripsi; vt & ipsis fidem haberes tu alloquentibus; & scires magnæ mihi curæ esse dignitatem tuam. Dat. quarto Non. Decemb. Anno tertio. Florentiæ.

Iacobatio Cardinali Legato Romæ relicto.

XI QVoniam in hoc Francisci Gallorum Regis ad nos aduentu cupio, vt is à me præclarum aliquod piumq; munus habeat: Volo vt sanctæ Crucis fānum, quod in Hierusalem dicitur, caste atq; persancte adeas; capiasq; tantum de Crucis Dominicæ trunculo, quod ibi asseruatur; quantum formæ causa hac in membranula scriptum atq; depictum conspicies. Id vbi feceris; eam ligni partem bene obsignatam per celerem tabellarium ad nos mittito cum eius facti testificatione tua manu scripta; quæ Regi vnà cum ligno tradatur. Hæc diligenter curabis, & valebis. Dat. tertio Non. Decemb. Anno tertio. De villa Casagioli agri Florentini.

Aloisiæ Francisci Regis Gallorum matri.

QVemadmodum ei, qui cum vult atq; vbi vult spi- XII rat, sane placuit; Franciscus Gallorum Rex filius tuus hodie Bononiam ad me veniens clarum atq; illustre mihi obsequij obseruātiæq; munus præstitit, ea pietate & religione; vt libentissime illū amantissimeq; obortis prope paterna lætitia lachrymis cōplecterer; ageremq; Deo Opt. Max. gratias; qui mihi filij sui vicarium in terris gerenti dederit; vt huius Reip. maiorem dignitate & autoritate filium tantum Regem, tantis opibus, tanta potentia præditū, omnibus animi corporisq; dotibus perornatū, florentem ætate, eidem Reip. se tam pie coniunctum gentem addicentē submittentemq; conspicerem. Valde enim cōfido fore; vt ea res vniuersæ Christianæ Reip. maximam & vtilitatem & gloriā pariat. Quanquam hoc quidem nostrum tam mirificum gaudiū ea etiam lætitia est cōsequuta; quod cum illum subpostea priuato in congressu haberemus; spem expectationemq;, quam nobis primo aspectu atq; intuitu, primisq; illis habitis à se verbis excitauit; pleno religionis & prudentiæ sermone, suiq; in iuuanda Christiana re atq; populis erecti propensiq; animi, deq; nobis benemerendi cupidi ostensione etiam atq; etiam auxit. Itaq; has ad te quamprimum literas dedi: quibus meam ex eius aduentu conceptam tecum lætitiam communicarem; significaremq; tibi nulla eum ex parte, nulla ex re mihi nō egregie, nō amplius, non cumulatissime satisfeciisse; hortarerq; te, ageres ipsa etiam Domino gratias; qui te non solum tam potentis atq; magni, sed etiam tam pij, tam prudentis, tam alti animi Regis, tam tui, quod quidem perspexisse mihi videor, obseruantis esse matrem voluerit; quodq; ipsa tuū, in eo educando & instituendo studiū, diligētiam, laborem bene positum

planè iam videas; magnosq; ex eo atq; optatissimos fructus capias; confidas etiam te in dies longe quidē maiores atq; vberiores percepturam. Non enim vereor quin existimes; qui tibi nequedum planè adolescens, & (vt verius dicam) puer matri filius satisfacit, implet'que cupidum semper animum; eundem esse etiam deinceps annis pariter cum virtute crescētibus firmiores tibi de sese iocūditates plenioremq; lætitiam allaturum. Quod ad me attinet; scire te planè volo, nullum te in nobis erga illum boni patris officium vllo tempore desideraturam. Neque enim vllam Regis ornandi & dignitatis illius amplificādæ occasionem prætermittam; vt se mihi sentiat esse quamchariss imū. Pergat modo ipse: quodq; specimen veræ pietatis actimentis Deum animi cæterarumq; virtutum tua in primis cura tuisq; prudentibus consilijs fultus iam dedit; id in posterum tuebitur, vel etiam exaugeat. Quod vt facere melius atque facilius possit; etsi currentem, vt credimus, incitatura sis; tuas tamen maternas amantissimasq; hortationes ipsa ne intermittito: adolescentemq; bene institutum tibiq; in primis parentem in eodem Dei cultu & Reip. obseruantia, à qua sibi sperare omnia ornamenta potest, magis magisq; in dies tuis præceptis tuisq; monitis confirma & contine. Dat. tertio Id. Decemb. Anno tertio. Bononiæ.

Maximiliano Romanorum Imp. desig.

XIII EGidium ordinis Augustinianorū Eremitarum magistrum meum ad te Legatum mitto; vt tecum non sanè pauca vtriusq; nostrum ad munus, officium, dignitatem, Reiq; pub. Christianæ vtilitatem magnopere spectantia communicet meis verbis; apud teq; sit, quoad illa tractabuntur & terminabuntur. Is quoniam est eximia integritate, religione, doctrina; omniumq; prope linguarum, quæ

nunc quidem excoluntur, vsum atq; scientiam, omnium bonarum artium disciplinas cognitas & explicatas habet, te hortor; vt eum liberaliter excipias cū mea, tum ipsius etiam causa. Hominem egregium & tua clientela dignissimum cognosces. Dat. Idib. Decemb. Anno tertio. Bononiæ.

Matthæo Cardinali Gurcensi.

EGidio ordinis Augustinianorū Eremitarū magistro XIIII ad Maximilianum Imper. designatum proficiscenti, vt Legatum meum apud illum ageret, in primis mandaui; vt tibi salutem plurimam diceret; quæq; à me discedēs ad Maximilianum mandata habuit; ea tibi omnia nota face ret; vteretur q; in ijs tractandis maxime omniū consilio tuo. Itaq; quoniam exploratum mihi est, pro tua prudentia & autoritate quantum adiumenti tuus illi fauor sit allaturus: peto abste; vt rem non magis illam quidem meam, quam huius Reip. atq; tuam, vel potius, vt verissimè dicam, omnibus Christianis populis communem, quantum poteris iuues: Egidiumq; ipsum; quem quidem pro singulari eius humanarum diuinarumq; rerum scientia, bonarumq; artium omnium & literarum doctrina, probitate, religione item diligo, vt neminem eius ordinis æque charū habeam; & libenter videas; & ei quasi dux & moderator sis earum rerum, quas tractabit: desq; operam vt ipse tibi plurimum debeat. Mihi certe nihil gratius facere poteris: idq; vt facias abste peto. Dat. Id. Decemb. Anno tertio. Bononiæ.

Vincentio Martinæ Lusitano nauiū Præfecto.

CVm propediem ad Italiam atq; ad vrbem duas na- XV ues sis adducturus; volumus vt Aluarū Rodrigium & Garsiam Reberum Lusitanos; qui nuper ab Hebraica secta recedentes Christianæ Reip. baptismatisq; sacramento se addixerunt; cum ijs, qui vna cum ipsis volent

conscendere, tuis nauibus imponas; ad Italiamq; perducas omni cum eorum supellectili, quá cum transmissuri te adierint. Quibus omnibus: si mihi gratissimum facere vis; cura atque effice, nequa molestia vllo ab hominum genere adhibeatur: vt, quod in te erit, incolumes se Romam conferant. Dat. xviij. Cal. Ianuar. Anno tertio. Bononia.

Ludouico Comiti sancti Bonifacii à cubiculo meo.

XVI PEtijt à me Ioannes Franciscus Picus Mirandulæ Dominus multis precibus, vellem eius filiolum, quo proxime auctus est, ad sacrum baptismatis fontem meo nomine admoueri. Quare te, cuius sedulitas & studium mihi probantur, interpretem & Internuntium eam ad rem meum facio: mandoq; tibi, Mirandulam te vt conferas; Piciq; & vxoris eius nuper editum filium, qui lauandus est, tuis ipse manibus teneas; vicariumq; meum geras; omniaq; dicas atq; agas; quæ agi, quæq; dici consueuere in eiusmodi celebritate ab ijs; qui compatrum nomine atq; vinculo colligandi sunt cum infantium lauandorum parentibus. Infanti autem, cum lotus erit, bene dices, beneq; precabere meis verbis. Dat. xviij Cal. Ianuar. Anno tertio. Bononia.

Regi Lusitaniæ.

XVII CVm nobiscum per literas & per internuntios diligenter egisset Franciscus Gallorum Rex, vt se ad nos accedere vellemus; intellexissemusq; de illius recto in nos atq; in Remp. vniuersam propenso animo multa; quæ spem nobis faciebant, si se is ad nos contulisset, fore, vt eiusmodi congressus noster aliquid certe in communem vtilitatem boni pareret; libenti animo ei permisi, vt ad me Bononiam accederet. Itaq; ille ad tertium id. Decemb. Bononiam cum venisset; ita omnes boni & pij Remq; pub.

atq; nos obseruantis ac vere Regis partes impleuit; vt nihil neque à me, neque ab vllo meorum fratrum Cardinalium, qui penè omnes mecum erant, desideraretur. Secretioribus verò in sermonibus colloquutionibusq; nostris cum illius animum atq; mentem diligentius pertentarem; studia cogitationesq; eius omnes ad rem Christianam tuēdam, iuuandam, amplificandā mirificè cōuersas atq; directas cognoui: ipsum autē cum & probū, & vt illa ætas fert, etiā prudentem & alto ac magno animo præditum; tum etiam facilem ad curas suas, desideria, spes, conatusq; omnes remittēdos perspexi; dum illud tam pium, tam iustum, tam sanè etiam necessarium in Turcas bellum non verbis & literis, vt sæpe alias: sed re atq; opera vnanimi consensu cōspiratione q; susciperetur. Quæ cum vidissem; Regiumq; animum, quasi quod manu tangitur, tenuissem: est enim planè bonus; hoc est aperto ingenio ac perliberali: egi quidem primum Deo Opt. Max. plurimas gentibus immixus gratias: qui mihi eius filij vicario in terris dederit: vt tantum Regem, tanta virtute, tanto gerendarum rerum initio, ea ætate, ijs opibus, ad eam profectionem susciendam tam alacrem, tam nobiscum coniunctum & consociatum, quasi de cœlo missum aspicerem. Deinde has ad te literas dare volui; tum vt tibi omnia significarem; quæ quidem tibi pro tua religione & pietate, proq; tuis Reipub. Christianæ causa multa impensa, singulari perseuerentia, incredibili labore, nouis inusitatis q; ac prope inauditis antea susceptis peregrinationibus & bellis fore tibi gratissima nō dubitaui: tū vt te hortarer, absq; etiam atq; etiā peterē; quando imminere nostris ceruicibus Turcarū Regem acerrimū atq; bellicosissimum videres; te vt nobiscum hoc ad bellum pares; atq; ita quidem pares; vt reiectis reliquis consilijs tuis omnibus nihil cogites, nisi hoc, quod dixi, vnum: quod quidem maxime omnium

cogitandum aggrediendum explicandumq; est. Spero enim in ipso, cuius causam agimus, Deo; si ad nostram Regisq; Gallorum copulatum voluntatem tuam etiam voluntatem, tuam prudentiam, autoritatem, tuas opes alacri magnoq; animo adiunxeris; fore; vt quæ alij omnes multorum seculorum Reges vix optare ausi sunt; ea nos summa cum Christianæ Reip. tuaq; in primis laude celeriter atque facillime consequamur. Nullus enim reliquorum Christianorum Regum atque Principum erit; modo vere Christianus sit; qui cum nos ad id coniunctos animatosq; viderit, non se etiam comparet ad bene de Christiano nomine pro virili parte communi in re atque causa promerendum. Quemadmodum omnibus his de rebus cũ legato tuo fumus loquuti. Accinge itaque te cum Dei auspicio & nomine ad rem cogitationemq; tam præclaram suscipiendam: & Domino, qui tibi tantum Regnorum dedit; eorundem Regnorum opes prome: vt recuperare amissa turpiter à maioribus nostris ea, in quibus ipse nasci versariq; inter mortales, deum etiam pro salute nostra obire mortem voluit, loca teramq; plane sanctam possimus. Vt qui te illi gratum Christianæ ditionis fines vltimo in orbe terrisq; ignotis tua tantum virtute, nullis sociis nulloq; adiutore longe lateq; promouendo præstitisti; idem te media in Europa atque Asia vna nobiscum recuperanda gratum etiam præbeas; possisq; ad tuam propriam pristinamq; gloriam communis quoque gloriæ cumulum adiungere; sisq; omnium pariter & gratissimus & vera solidaq; laude cumulatissimus. Dat. xix. Cal. Ianuar. M D X V Anno tertio. Bononia.

Heluetiis fœderis Grisii.

XVIII

PRo mea in vos vestraq; commoda libenti paternaq; voluntate, proq; ea coniunctione & fœdere, quod inter me atq; vos sanctum firmatumq; est; certiores vos facio; me, cum Franciscum Gallorũ Regem ad huius Reip. vniuersæq; rei Christianæ dignitatem tuendam atq; amplificandam propensum animatumq; cognouissem; cum illo fœdus iniisse: quo in fœdere vnum est caput; quo capite eum ditionemq; eius defendere contra omnes bellum Regi molientes teneor. Itaq; hoc vobis cognitum esse volui; cum vt sciretis vnà cum Reip. maiestate coniunctam esse Gallorum Regis amplitudinem atq; potentiam: tum vt; quoniam intelligo esse quosdam, qui armis inuadere in eius ditionem cogitent; illos in eo cognoscere tis non solum contra Regem, sed etiam contra me esse facturos: idq; me quidem nihilo secius, ac si tantummodo in me arma sumpsissent, esse existimaturum. Dat. quinto Cal. Ianuar. M D X V Anno tertio. Florentia.

Francisco Gallorum Regi.

XIX

COnstantiam Varambonam Philibertæ fratris mei vxoris, materteraq; tuæ familiarem lectissimã fœminam paterna charitate sane prosequor; eiusq; causa cupio omnia. Quare te hortor, vt in re dotis ei iampridem debitæ; cuius dotis Maximilianus Sfortia sese prædem constituerat; mandes vt mulieri satisfiat: neq; permittas probam nobilemq; fœminam sua dote spoliatam iacere tandiu, frustraq; implorare auxilium pietatis & liberalitatis tuæ. Egit tecum proxime, Bononiæ cum esses, hac ipsa de re matertera eadem tua per sese; agitq; nunc etiam, vt intelligo, per internuntios: quæ quidem pro sua excellenti virtute & vestra propinquitate digna est, quæ à te talia impetret,

præsertim nobis commendantibus. Itaque non agam tecum pluribus. Vnum dicam: si Constantiæ satisfieri celeriter iusseris; id mihi perquam gratum fore. Dat. tertio Non. Ian. MDXVI Anno tertio. Florentia.

Magistratui Viterbiensi.

XX MAndauimus Ioanni Iordano Vrsino propinquo nostro; vt controuersias inter hæredes Bartholomæi Aluiani nuper exortas autoritate sua cõponeret; easq; quo sedatius & pacatius posset, omni studio & diligentia sedaret. Id cũ Iordanus facere sese posse planè diffidat; nobisq; significet, per alteros eorũ stare, quo minus res, vt volumus, cõficiatur; qui honestati & quieti sese dare neoquaquam volunt; cũ alteri imperata facere paratissimi sint: mãdo tibi, vt tui muneris atq; officij partes ea in re atq; causa posthac præstes: omniaq; agas & efficias; quæ tibi & Iordano ipsi agenda esse videbuntur: cui scimus æqua & honesta & vtrisq; cõmoda & salutaria vehementer probari. Dat. Id. Ianuar. MDXVI Anno tertio. Florentia.

Alfonso Duci Ferrariensium.

XXI VOlumus, vt naues sale onustæ vsque ad numerum quinq; nauium; quas Leonardus Lauredanus Venetiarum Princeps Pado amne Bergomum mittit; liberè & sine vlla portorij mora per tuam ditionem iter faciant. Dat. sexto Cal. Feb. Anno tertio. Florentia.

Episcopo Foroliuiensium in Hispania Internuntio.

XXII MIssus istuc à Iuliano Medice fratre meo ad Hispanos equos aliquot emendos ad nosq; perducẽdos is, qui has tibi literas reddidit; certiores nos fecit, eos sese equos emisse quidem iam; existimareq; ea se nobis

emptione satisfacturum. Verum ex ista eos prouincia educendi impetrare se facultatem non potuisse à Regijs ministris. Quare mando tibi, vt Regem adeas ea de re; petasq; mandet suis; vt equi illi; qui quidem ad decem sunt; educi ex eius Regno possint, ad nosq; perduci: vt si eorum aliquis ad nos vectandos erit idoneus; eo vtamur. Dat. quarto Cal. Febr. Anno tertio. Florentia.

Antonio Abbati sancti Bertini.

IMago diui Christophori; quam nobis dono misisti; pro XXIII mea in te singulari perq; vetere beniuolentia mihi sanè gratissima fuit; non quod ea mihi ad tui memoriã, vt scribis, excitandam vti necesse sit: cuius ob oculos ex eo, quo te vidimus, valde quidem longinquo tẽpore satis crebro amantissime suauissimeq; versaris: sed quia ea omnia, quæ abste proficiscuntur, vti ab homine mihi charissimo iocundissimoq; missa mirifice me delectant. Reliquum est; vt te conserues: seq; tam tuam & valentem & firmam cura diligentiaq; tua quamlongissime protrahas: existimesq; te à me & summopere amari, & fieri plurimi. Dat. Cal. Febr. Anno tertio. Florentia.

Maximiliano Rom. Imp. design.

ET si existimo eius te rei nuntium iam accepisse, qua de XXIIII re graui cum dolore ad te scribo: vel magnitudo tamen ipsius, vel mea in te beniuolentia facit; vt statuerim de ea te certiorem fieri meis etiam literis oportere. Itaque scies meos in Hispania Internuntios scribere Ferdinandum Regem ea nocte, quæ nox diem xi. Cal. Febr. est consequuta, vitam cum morte commutauisse. Equidem satis commemorare non queo, quantum nobis molestiæ, quantum mœroris tam grauis, tam prudentis, tam nostri & Reip. obseruantis, tam bello & pace præclari excellẽtisq; Regis

mors atque interitus attulerit, existimandus multum nobis, multum Romanæ rei, multum etiam Christianæ publicæ eo extincto Rege tum præsidij tum ornamenti esse sublatum. Quas ad causas tot atq; tantas doloris mei illud etiam accedit; quòd te scio eius viri obitum grauiter & moleste laturum, quippe, qui magno sapientissimoq; Rege & tui amantissimo tecumq; coniunctissimo te deiectum & spoliatum intelliges. Quamobrem vti de communi vtriusq; nostrum, aut etiam vniuersæ Christianæ rei damno atq; iactura grauiter atque magnopere doleo; animiq; mei vberrimũ tecum mœrorem & ægrimoniam partior. Quod cum facio; tum Deum oro quæsoq;, vt te esse apud homines eo diutius velit; quo Ferdinando Rege optimo atq; maximo nostri homines spoliati autoritatis, prudentiæ, temperantiæ, consiliorumq; tuorum impensius indigebunt. Dat. quinto Id. Feb. Anno tertio. Florentia.

Vladislao Pannoniæ Boemiæq; Regi.

XXV Lectis tuis ad nos literis; quibus cum literis erat exemplum earum literarum, quas Turcarum Rex de pace tecum sancienda, aut saltem de indutijs statuendis ad te scripserat; quibus me literis super ea re consulis; petisq; à me, velim, quid tibi agendum sit, mature constituere, ad teq; perscribere: Visum est mihi faciendum; vt adhibitis statim meis fratribus E. R. Cardinalibus tanta de re inter nos sententiæ dicerẽtur. Quod cum esset agitatum; tandẽ omnium consilio atq; sententia decreuimus ad te scribi oportere, nullo vt pacto non solum pacem, sed ne indutias quidem vllas cum Turcarum Rege faceres: nec tuam illi fidem, qui nulla fide obstringitur, obligares: néve causam dares eo fœdere perpetuis nostris hostibus rem Christianam pub. commodius atque facilius perturbandi. Non enim Rex pacẽ tecum

vult vllius boni causa; sed tantummodo te vt cõsopiat, quiescereq; faciat; dũ ipse cæteros suos hosteis expugnet: vt postea ab ijs, qui ei nunc imminent, hostibus securus, & fortior robustiorq; factus te tuaq; Regna cum prima rei bene gerendæ occasione aggrediatur atque opprimat. Quamobrem non te quidem pax ista tutum à Turcis reddet, otiumq; tibi comparabit; sed te quidem ipse primum tuaq; Regna ea pace imita, deinde etiam Christianam Rempub. opportuniorem illi obijcies ad debellandum; & quasi de manu, quantum in te est, trades. Quod quàm tibi committendum sit, statues ipse; & puto statues ex tua maiorumq; tuorum dignitate. Veruntamen quoniam exploratum nobis est sine nostro cæterorumq; Christianorum Regum & virorum principum auxilio non posse te à Turcarum impetu Regna tua tueri atque defendere, externis præsertim interneciuisq; bellis defessa iam prope ac debilitata: dedi Regibus singulis & Principibus literas: quibus petij diligentissime ab ijs, te vt pecunia vnà nobiscũ iuuarent. Quod eos omnes libenter facturos puto. Quare bono animo es: Confido enim tantum tibi pecuniæ in tempore communiter subministratum iri; vt nihil tibi verendum sit, ne repellere hostem possis, tuosq; fines facile tueri. Quod cum ita sit; summopere te hortor, abstineq; pro tua religione & pietate vehementer quæso; ne te vllo pacis aut indutiarum genere cum Turcis coniungas. Quanquam quidem non id peto; vt eorum postulationes iam nunc respuas atque reijcias: sed potius vt eis verba des, tempusq; interposita spe teras: quemadmodum ipsi tecum fecerunt; qui Legatum tuum ad se profectum ante biennũ non admiserunt: dum quid mihi à Christianis Regibus respondebitur, scire possis. Quod vt celeriter fiat, omnem operã adhibebo; incumbamq; in eam rem, vt in te defendendo nullum à me paternæ charitatis &

beniuolentiæ munus atque officium prætermittatur. Vale; nosq; dilige. Dat. sexto Cal. Febr. MDXVI Anno tertio Florentiæ.

Carolo Hispaniarum Regi.

XXVI SAcerdotium sancti Iacobi Ventosilianum; quod nuper Consalui Ferdinãdi magni morte vacuum factum est; Galeatio Butrigario meo in Hispania Internuntio cõtuli: quemadmodum meis ex literis, quas ea de re scribi iussi, cognosces. Mouit autem me ad hominem eo & dignitatis & beneficij genere honestandum cum ipsius virtus, probitas, industria; mitis elegansq; natura; tum mea in illum mirifica voluntas plurimis eius & veteribus & recentibus officijs excitata: cum nihil ei defuerit meis in rebus procurandis vel ad prudentiam, vel ad diligentiam, vel ad fidem. Itaque & opinionem; quam de eo pridem cepi, cum minorem dignitatem gererem; non sustinuit solum: sed etiam auxit: & indies suis meritis factus est mihi quidem charior. Hæc autem eo spectant, vt intelligas & debuisse nos Galeatio omni tempore bene facere; & nunc magnopere voluisse. Quare te hortor; vt eius sacerdotij possessionem ita ei liberaliter mandes dari; vt cognosci facile possit, qui mihi charissimi sunt, eos etiam abste diligi: id, quod ego quidem in tuos & feci sæpe, & facio quotidie: vt quos mihi commendas ipse, eos sic ornem; vt tibi non vel chariores esse videantur, vel coniunctiores; quàm mihi. Id si tu quoque hoc in homine feceris, vt videare eius ornãdi causa mecum quasi certare voluisse; erit mihi supra quàm dici possit, gratum: vtq; facias; etiam atq; etiam abste peto. Dat. prid. Non. Febr. Anno tertio. Florentiæ.

Episcopo Vesprimiensi.

CVm intellexissem Turcarum Regem ab Vladislao XXVII Pannoniæ Boemiæq; Rege per Legatum suum petere; vt vel pacem secum, vel indutias triennales conficeret: de fratrum meorũ E. R. Cardinalium sententia dedi ad eum literas; quibus ab eo magnopere petij, nihil eorum, quæ postulabantur, faceret; neq; se cum hoste suo nostroq; vlla conditione coniungeret. Pollicitus autem ei sum, daturum me operam, vt cõmuni Regum omnium & Principum Christianorum pecuniæ collatione iuuetur; vt se suosq; populos tueri, atq; propellere hostem possit: scripsiq; ad singulos ea de re diligentissime. Quorum qui vicinus nobis erat, Franciscus Gallorum Rex mihi amantissime rescripsit, omnia quæ vellem, libentissime se facturum. Itaq; confidimus, vt maxime opus est, ita fore: reliquosq; Reges omnes idem responsuros, idemq; facturos. Quod cum erit ab ipsis confectum; omnem illorum stipem mea cum stipe, quanta maxima fieri poterit, per meos homines magnis itineribus istò mittam. Quibus de rebus omnibus te certiorem facere volui; vt spem haberes, Vladislaum Regem & ipsum & eius populos non solum, qua se tueri; sed etiam qua, si volent, offendere hostem possint, propediem habituros. Dum hæc autem intered cõparantur; si tibi ad tuenda auxilijsq; munienda Illyrici municipia operæpretium erit commeatus is, quem in oppido Sibinico Gilius Cortonensis meo nomine asseruandum reliquit: permitto tibi; vt eo vniuerso, quemadmodum tibi videbitur, sic vtare. Hortor autem te; vt studium diligentiamq; tuam, curã, laborem, animiq; tui fortitudinem mihi plane iam, vel omnibus potius hominibus cognitã ijs in rebus administrandis ita exerceas; vt, quod spero, & Reip. Christianæ dignitas per te retineatur; & tui

gloria nominis augeatur; & tibi ipse magis magisq; deo beam. Dat. xvij. Cal. Mart. Anno tertio. Florentiæ.

Heluetiis vicorum octo.

XXVIII GRatissimæ mihi vestræ literæ fuerunt: quibus me certiorem fecistis, vos meis hortationibus impulsos cum Francisco Rege Gallorum amicitiam cõtraxisse, fœdusq; percussisse: eaq; de re vestram in me pietatem, quampulcherrime ostendistis, & propensos ad pacis studia concordiamq; vestros animos vehementer probo, efferoq; magnis & verissimis laudibus. Spero enim fore; vt vestra ea cum Rege illo inita beniuolentia & cõiunctione admoniti reliqui nostri Reges ad cõmunem pacem, quàm velle omnes atque optare tantopere debemus, conciliandam faciliores & lubentiores conueniant; eaq; statuant, quæ ex vsu dignitateq; Reipub. maximopere sunt futura. Hortor autem vos, amantissimeq; cõmonefacio; in eam curam cogitationemq; incumbatis; id enitamini; vt reliqui etiam vestræ nationis populi eandẽ pacem, idem fœdus conficiant; conglutinentq; cum vobiscum quidem sese suosq; animos: ne dum eiusdem corporis partes atq; membra contraria inter se pugnantia q; tendũt esse; existimationem apud omnes homines vestram incredibili virtute partum imminuant; & opes ipsæ viresq; vestræ discretæ atq; dissotiatæ debilitentur: tum certe etiam cum Romana re atq; nobiscum: vt quam antehac Dei Opt. Max. Ecclesiæ maiestatem contra labefactare illam atq; proterere impudenter aggressos vestro sanguini non parcentes sæpenumero protexistis; eadem in posterum per discordiam dissidiaq; vestra nullam à suis hostibus offensionem, nullam insignem notam accipiat: vosq; omnes & vestra natio vniuersa tam præclara, tam fortis, tam semper huius certe Imperij Romanorumq; Pontificum studiosa, cõsentiens secum ipsa

ipsa atq; vnanimis in eisdem studijs maneat: quæ quidem studia multum vobis dignitatis multum autoritatis & peperunt iam; & sunt profecto; si neq; in vestris inter vos sententijs, neq; in huius Reip. obseruãtia infirmi labantesq; eritis; etiam deinceps paritura. Cæterum quod ad Cardinalem Sedunum attinet; ita illi scribimus; vt sperandum vobis sit, ipsum quidem amantissimis nostris & cõsilijs & precibus permotum vestra posthac concordiæ studia nõ imo pediturum. Nihil autem eorum prætermittam tum hac ipsa, tum cæteris in rebus; quæ ad vestros animos coniungendos & consociandos esse vsui vel ipse per me cognoro, vel à vobis admonebor. Quod vt faciatis, literasq; ad me quamerea berrimas omnibus de rebus mittatis; sane perueli m. Dat. xvi. Calend. Mart. Anno tertio. M D X V I Florentiæ.

Marco Cardinali Seduno.

CErtiores nos per literas fecerunt Heluetiorum Legati vicorum octo nobiscum fœderatorum, qui in oppido Bergensi conuenerant; se, quo facilius nos communem omnium Christianorum concordiam inire, necessariamq; in Turcas profectionem parare atq; conficere possemus; suas cum Francisco Rege Gallorum simultates atque inimicitiam deposuisse: neq; dubitare, quin cõsentientes statim vnà cum ipsis futuri ea in re fuissent reliqui eorum fœderis socij: nisi tu eis impedimento fuisses; tuisq; eos studijs à proposito retraxisses. Deq; eo grauiter apud nos sunt conquesti: vtpote qui præuideant; si, quæ optas quæq; conaris, effeceris; nouos bellorum in Christiana Rep. motus, magna inter ipsorum societates dissidia, grauissimasq; breui tempore dissensiones futuras. Quæ quidem nobis omnia incredibilem molestiã attulerũt, fortissimæ illius nationis consensum XXIX

atq; concordiam, & Christianorum Principum vnanimem præclarum illud ad bellum conspirationem summo iam priꝰ dem studio desiderantibus atq; spectantibus. Quamobrem has ad te statim literas duxi dandas: quibus te commonefaꝰ cerem atq; hortarer ab incepto desisteres: quietiq; potius & tranquillitati; quàm bellorum & discordiarũ fouendis miꝰ tijs mecẽdisq; animis tete dares: cogitaresq;, quàm te deꝰ ecat cum à nobis dissentire atq; in alia omnia discedere; qui pro tua dignitate vnà nobiscũ Romanæ Reip. curã sustines; tum Heluetiorum nationem tam egregiam, ex qua oriundus es, cõcordiæ præsertim cupidam velle dissociare atq; dirimeꝰ re. Quod si tu vel priuatus omnino, vel alienus homo esses; deberes tamen & cum Reip. voluntate Romanq; Pontifiꝰ cis studijs consociare studia & voluntatem tuam; & velle fortem præclaramq; gentem illam & populos cõcordes poꝰ tius inter sese esse; quàm bellis intestinis laborare. Nihil est enim tam alienum à boni viri prudentisq; hominis consilijs; quàm, quæ coniuncta pacis & beniuolentiæ studijs præstat esse, ea cupere dareq; operam, vt bellis & dissensionibus cõꝰ terantur. Cũ verò & vnus sis ex meis ipsis fratribus E. R. Cardinalibus, & in Heluetiorum terra Heluetijs parẽtibus atq; maioribus genitus; vide, quam de te hominum opinioꝰ nem sis excitaturus; cum & à nobis atq; à Rep. dissentias; & ea tractes, quibus Heluetiorum natio, quæ te progenuit, à pace atq; concordia ad arma seditionesq; cõcitetur. Quamꝰ quam id quidem etiam mouere te plurimum debet, quod in eo vniuersæ rei Christianæ p. male cõsulis: quæ quidem maꝰ xime in Heluetiorum & inter se concordia, & cum re Roꝰ mana coniunctione, tanquã in optimo totius spei rerum beneꝰ gerendarum fundamẽto atq; initio, nititur. Neq; à me illud quoq; silebitur; amorem erga te meum, quo te semper fraterꝰ ne colui, veteremq; beniuolentiam mereri; vt ne nostris

conatibus, præsertim cum omnium Christionorũ bono atq; salute coniunctis ad pacem otiumq; tendentibus ire obuiam statuas, aduersariumq; te pares. Quod ne pergas facere; atq; vt verborum Domini memor, qui pacem nobis discedens commendauit, pacem & concordiam nationis tuæ miri cœꝰ ptam ne impedias; per huiusce Reip. dignitatem; cuius esse propugnator in primis debes, & mehercule consuesti; perq; eam, qua Christianus es, religionem, abste magnopere quiꝰ so & postulo. Id si feceris; & ipse tuorum in me officiorum & plurimorum neq; sane leuissimorum memoriã numquam proijciam: & dignitas tua principem apud me curam loꝰ cumq; semper obtinebit: & facies quidẽ ex vsu cum omniũ hominum, tum tuorum maxime ciuium, sed certe atque in primis tuo. Dat. xvi. Cal. Mart. M D X V I Anno tertio. Florentiæ.

Ioanni Francisco Pico Mirandulæ domino.

EGit mecum per Interuntium suum Franciscꝰ Triuleꝰ XXX tia, quæ Ludouici fratris tui vxor fuit, grauissimis mehercule querelis: cum se diceret intolerabilibus à te iniurijs quotidie affici: qui bona & fortunas ad se suumq; filium spectãtes intercipias ruptis spretisq; stipulationibus; quas vtriq; Matthæum Cardinalem Gurcensem autorem sequuti probastis. Itaq; precibus omnibus petijt; vt se viduam mulierem suumq; filium pupillum fratris tui filium abste spoliatum iri ludibrioq; esse ne permitterem. His auditis cum Interuntium item tuum admisissem; is apud me de Francisca iisdem fere verbis est conquestus: atq; ab illa tum intercipi fortunas tuas; tum nõ stari pactis Gurcensiaꝰ nis longa constantiq; oratione disseruit; opemq; meam atq; auxiliũ imploraut. Ego qdẽ; cui familia sane vestra magnæ curæ semper fuit, ægerrimeq; fero disceptationes eiusmodi

atque dissidia inter vos exerceri; te; quem quidem; cum vir sis, & bonarum artium sacrarumq; litterarum excellas studijs; decet etiam fœminis & prudentiorem esse, & ab inferendis iniurijs alieniorem; primum atq; præcipue hortor; si lapsus in aliquo es, pactaq; illa vestra læsa absite præteritaq; sunt; velis meo rogatu & ablata restituere, & in posterum curare, néquis eo nomine conqueri de te iure possit. Quid enim facere illos oportet, qui obscuri & sine nomine sineq; vllo cultu litterarum sunt: cum doctos & philosophia diuinarumq; rerum scientia præditos homines, & præclaros ac perillustres viros videant tam turpiter labi tamq; acerbe delinquere non in alienos, sed in suos? Hoc autē; quod te hortor, quodq; te facere est æquissimum; vt libentius facias; scire te volo hæc me omnia per literas à Francisca ipsa petere; quæ his absite literis peto. Quare tuum erit dare operam atq; efficere; ne nos quicquam absite eiusmodi frustra petüsse videamur: néve cogamur asperius aliquid in te, quàm vellemus quamq; consuetudo nostra fert, eo nomine statuere. Dat. sexto Cal. intercalares priores. M D X V I Anno tertio. Florentia.

Franciscæ Triultiæ Concordiæ dominæ.

XXXI ET longum apud me sermonē, & plenum querelarum grauissimarum habuit Ioannis Francisci Pici Mirandulæ, qui viri tui frater fuit, procurator üisdem ferè verbis; quibus antea Internuntius apud me tuus causam tuam egerat: se scilicet non vnis à te neque leuibus contumelijs esse vexatum: dum ea, quæ sui iuris sunt, vel furtim subripis, vel temere intercipis; & pacta Cardinalis Gurcensis autoritate omnibus de rebus inter vos confecta & sancta pro nihilo habes. Itaque petijt à me; ne sibi fraudi esset, si ipse quoq; in te eiusmodi aliquid admitteret, quod tuæ in

sese temeritatis impudentiæq; cursum atq; impetum refrenaret. Quibus intellectis rebus facere non potui, quin animo perturbarer; cum mutuas esse inter vos iniurias pactorumq; transgressiones cernerem. Quare cum Ioanni Francisco literas dederim diligentissime quidem scriptas; vt tuis postulatis & querelis satisfaceret: idem quoq; statui ad te scribere. Itaque te hortor, ac primum quidem, vt illud cogites; æquius profecto esse te fœminam, etiam si offendare; vel aliquid ei permittere, qui viri tui frater fuit; vel dissimulare te offensam esse potius; quàm velle aut iniurias vlcisci, aut ius tuum vsquequaq; persequi. Nihil est enim in muliere laudabilius continentia, placabilitate, lenitate; nihil audacia temeritateq; putidius. Deinde, vt siquid contra pacta vestra ablatum à te aut à tuis ex illius bonis est; id ei omne reponas atq; restituas. Deniq; vt quibus semel te pactis Cardinale statuente obligauisti; üjs omni ex parte des operam vt stes; præstesq; in posterum ea omnia tam diligenter; vt merito apud me conqueri de te nemo possit. Id si feceris; & quieti prospexeris tuæ; & filij tui saluti optime consulueris; & mihi curā eripueris, durius in te, atq; à mea in vos beniuolentia & consuetudine alienius, vt huic occurri malo possit, quippiam cogitandi. Dat. vi. Cal. intercalares priores. M D X V I Anno tertio. Florentia.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

XXXII CONqueſta grauiter apud nos est Franciſca Triultia, quæ ludouici Pici mirandulæ vxor fuit, de Ioanne Francisco Pico Mirandula viri sui fratre: à quo se ait plurimis maximisq; iniurijs & cōtumelijs premi; dū sti pulationibus inter se atq; illā Matthæo Cardinali Gurcensi autore initis nequaquā stat; sed iura omnia conuentionesq; perturbat: petüt q; à me; vt suæ filiüq; sui incolumitati pro

mei muneris officio consulerem: ne quotidie ipsa mulier vi
dua eiusq; filius puer patre orbatus in fortunarum suarum
salutisq; discrimen per Ioannis Francisci auaritiã & crude
litatem adducerentur. Idem subpostea Ioannes ipse Picus fe
cit; conquestusq; de Erãcisca eadem ferè attulit petens à me,
vt mulieris audaciam importunitatemq; retunderem. Quæ
cum mihi essent permolesta: totam enim illam gentem atq;
familiam & amo iampridem, & tueor: dedi ad vtrunq; li
teras, hortatusq; eos sum, inferendis inter se dannis & ofe
fensionibus modũ statuerent; concordiamq; Cardinale sta
tuente seruari vtrinq; iussam ne violarent. Peto autẽ abste;
vt pro ea, qua apud illos polles autoritate; cum illorum oppi
da ditionis tuæ fines pertingant; teq; ipsi vnum vereantur
planè atq; suspiciant: des operam; vt ea familia paci &
quieti & bonis artibus potius; quàm dissidio & inimicitia
rum seminibus & irritandis animis studeat: præstetq; vtere
que eam fidem, quam pepigere. Confido enim si tu illos com
moneseceris; fueriscq; interminatus te vtriq; succensurum,
si pergent inter se lacessere; ipsos facile quieturos, ad offi
ciumq; redituros. Dat. sexto Cal. intercalares secun
das. MDXVI Anno tertio. Florentia.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolani.

XXX III Ioannem Franciscum Picum Mirandulam doctum homi
nem & pereruditum cum ipsum, tum Franciscam Triul
tiam, quæ Ludouici Pici Mirandulæ vxor fuit, eiusq; fi
lium in huius Reip. tutela me Pontifice susceptos paterno
amore atque beniuolentia iampridem tueor. Eos, dum ma
gnopere inter se dissiderent, Matthæus Cardinalis Gurcen
sis pactis quibusdam & stipulationibus, quibus stare tene
rentur, initis firmatisq; ad concordiam reduxit. Eis ipsos
non acquiescere hoc tempore intelligo; sed dissidere inter se,

inferriq; ab vtrisq; in alteros iniurias magno cum illius fa
miliæ non solum dedecore, sed planè etiam detrimento. Scri
psimus sanè illis nos, quemadmodum quidem erat scribeno
dum, ea de re; vt eos ad bene atq; cõcorditer viuendũ reuo
caremus. Quoniã autem exploratũ nobis est, quantũ ipse au
toritate valeas tum apud familiam omnẽ Triultiorum, quæ
tua in prouincia est; tum apud Ioannem Franciscum ipsum:
te hortor; velis eos commonefacere; à pactis atq; conuentio
nibus, vt diximus, initis ne recedant; amentq; inter se po
tius; quàm se suasq; opes inferendis iniurijs cõterant. Id si
fecerint; te illos prudenter fecisse esse existimaturũ, pluriscq;
facturum: si nõ fecerint; daturũ operã, vt suæ ipsos stultitiæ
improborumq; consiliorũ aliquando pœniteat. His atque ti
libus tuis monitis non vereor, quin egregia familia in offi
cio contineatur. Mihi certè feceris gratissimum. Idq; vt fa
cias, abste peto. Dat. sexto Cal. intercalares secundas.
MDXVI Anno tertio. Florentia.

Ennio Episcopo Verulano apud Helvetios Internuntio.

SCripsi ad te prioribus litteris post fœdus à me cũ Fran XXX
ciseo Gallorum Rege initum, ita te apud Helvetios fœ IIII
deratos gereres; vt Regis animum nulla in re procura
tione ve offenderes. In quo tametsi pro tua prudentia & fi
de morem à te mihi gestum putem: Regij tamen ministri
suspicionem illam priorem de te non abiecerunt. Quamob
rem censeo à conuentibus istic publicè proximeq; celebran
dis prorsus abstineas; abdasq; te potius in aliquem deuium
& priuatum locum; ex quo exploratum illis sit te ne cogita
re quidem quippiam contra Regis voluntatem. Nam aggre
di & moliri quî poteris? Dat. prid. Cal. Mart. Anno
tertio. Roma.

Isabellæ Aragoniæ Barionis dominæ.

XXXV Accepi de Ioanne Iacobo Lamello equũ missum absẽte mihi & pulchrum quidem, & perornatum, & quoniam vti eo iam cœpi, qualem ad me commode vehendum maxime idoneum habere cupiebam. Itaque scito tuum mihi munus & gratum & iocundum accidisse. Quod verò attinet ad petitionem tuam in ornando eo, quem nobis idem Lamellus tuis verbis commendauit; dabimus, cum se occasio nobis obtulerit, profecto operam; vt intelligas tuas apud nos commendationes plurimum valuisse. Dat. iiij. Non. Mart. MDXVI Anno tertio. Roma.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanensium.

XXXVI Redeunti ad te Minioni, quem tuis cum literis ad me miseras, has ad te literas dari volui: quibus tibi significarem, mihi quidem displicere non potuisse me satisfacere petitioni tuæ de monasterio Clareuallensi propter eas rationes, quas ad te proximis diebus scripsi. Quoniam autem confido non defuturas mihi occasiones ornandi tuos; dabo quidem operam, vt intelligas rẽq; ipsa experiare, tuas apud me commendationes multum valuisse; autoritatemq; tuam, quemadmodum quidem meæ & cum Rege tuo beniuolentiæ, & de tuis excellentibus virtutibus opinioni maxime conuenit, à me fieri plurimi. Dat. iiij. Non. Mart. MDXVI Anno tertio Roma.

Lutrechæ Præfecto Mediolanensium.

XXXVII Mittit ad te Iulius Cardinalis Medices frater patruelis meus procuratorem suum; vt in causa monasterij Clareuallensis, quod ei nuper cõtulimus, tuo auxilio ea cõficiat, quæ agenda illi sunt: quemadmodum

ab ipso intelliges. Qua de re literas ad Regem tuum dedi: nec vereor pro nostra in illum beniuolentia, proq; recentibus ipsius Cardinalis totiusq; nostræ familiæ in Regem studijs, quin ea mea collatio grata illi probataq; sit futura. Nunc autem his de causis cum existimem eam te amanter rem administraturum; minus diligenter te hortor; hortor tamen; & erit mihi sane gratissimum; vt efficias, vt Cardinalis procurator id, quod petet, ex sententia consequatur. Dat. quarto Non. Mart. Anno tertio. Roma.

Ioanni Paulo Balioni.

XXXVIII Venerat proximis diebus Romam Alfonsus Cardinalis Petrutius vocatu meo: quod quidem feceram; vt disceptationes & controuersiæ, quas habet cum gente ipsa sua, me autore sedarentur & consopirentur. Cumq; is nobiscum mensem integrũ prope fuisset, vellemusq; iam plane omnia ex eius sententia statuere; nobis non salutatis repente profectus est: cum tamen nos ea profectio abitusq; non lateret. Quoniam autem certior factus sum, versare illum animo; vt, si qua ratione poterit, suæ patriæ otium perturbet, conuellatq; eum Senarum statum, qui nunc est: fidere enim plurimum in Perusinorum quorundam auxilijs: tametsi puto fore neminem eo in oppido; qui cũ mihi & huic Reip. iniuriam facere cogitantibus se cuniungat: hortor tamen studiose te, scribas tuis, non id solum vt ab eiusmodi sceleresse abstineant; quod eos per se facturos facile crediderim; sed etiam vt absterreant contineantq; alios: si qui erunt, qui id moliantur: eaq; omnia facias; quæ de Laurentino Medice fratris mei filio Vrbinatium Duce operæ pretium esse abste fieri & curari latius intelliges. Dat. tertio Non. Mart. Anno tertio. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER XII

Iacobo Bannisio Maximiliani Romanorum Regis ab epistolis.

I  TANTEA te paterna beniuolentia sum complexus; atq; vti virũ prudentem & huius Reipub. meiq; studiosum hominem inter illos; qui mihi maxime chari & probati sunt, libenter habui: & nunc multo sanè vberius atq; prolixius idem mihi esse faciendum puto; propterea quod Latinus Iuuenalis familiaris meus istinc rediens de tuis in me Remq; pub. officijs ea retulit; quæ mihi quidẽ gratissima iocundissimaq; acciderũt. Itaq; volo te scire, eius mei memoriam nullo tempore abiecturum. Hortor autẽ præterea te idem illud; quod pro tua probitate non dubito, quin tua sponte sis facturus: vt quoniam ad Maximilianum Regem tuum Bernardus sanctæ Mariæ in porticu Cardinalis Legatus proficiscitur ad mea & Christianæ Reip. negotia procuranda; velis ei præsto esse, cum prudentia & consilio, tum verò studio & diligentia tua: vt quæ tractare atq; agere incipiet, tua ope fultus etiam explicet. Ipse porrò, cuius causam agis, Dominus tuam in eo pietatem intuebitur; eamq; tui patrocinij mercedem constituet; quam nulla vnquam eripiet dies. Nos quidẽ certe; cum primum se occasio

dederit, aut etiam quotiescunq; se dederit; bene grati erga te animi præclara sumus signa atq; indicia ostensuri. Dat. tertio Cal. Aprilis. MDXVI Anno quarto. Roma.

Heluetiis.

QVæ ad me proxime de componẽdis Maximiliani II Roman. Imp. desig. & Francisci Gallorum Regis controuersijs sedandoq; bello scripsistis; ea legi oculis libentissimis: vosq; vti & prudẽtes viros & religiosè præditos homines & illorum Regum peramanteis ea de re magnoperè laudandos puto. Nihil enim neq; sapientius per vos fieri potuit; neq; nobis gratius & iocundius significari. Deo etiam Opt. Max. qui pacem à nobis atq; concordiam coli amariq; in primis vult; satis vos in eo facere arbitror. Quare nulla quidem in re vobis deero; in qua tam iustæ vestræ petitioni, tamq; piæ, tam cum Domini voluntate coniunctæ opitulari præstoq; esse autoritas cura diligentia studium labor etiam meus possit. Reliqua ex Ennio Episcopo Verulano cognoscetis. Dat. tertio Non. Aprilis. MDXVI Anno quarto. Roma.

Ludouico Pannoniæ Boëmiæq; Regi Puero.

EX literis Thomæ Cardinalis Strigoniensis Legati in- III tellexi Vladislaum Pannoniæ Boëmiæq; Regem patrem tuum magno cum illorum populorum mœrore & luctu viuere desijsse. Quo sanè nuntio vehementer sum perturbatus: magnumq; vt debui, cepi dolorẽ ex amantissimi mei prudentissimiq; Regis morte, præsertim tam alieno Reip. Christianæ tempore: existimoq; te quidem primum; qui in tam tenera ætate patrem tuum maximũ clarissimúmq

que virum amisisti; reliquos deinde istorum Regnorum viros principes, Regna deniq; ipsa & populos magno esse & præsidio & ornamento spoliatos; remq; hanc pub. beniuolentissimi in se animi Rege, fidelissima societate, maximis auxilijs eo extincto planè carere. Verum cum eisdem literis certior sim factus Regnorum te istorum à patre tuo hæredem fuisse institutũ; cuius indoles egregium iam specimen magnamq; excellentis virtutis spem præbeat; statui mihi à luctu atq; molestia esse temperandum: Deumq; Opt. Max. rogandum, & vt illum mortali exutum corpore terrenisq; compagibus cœlestem in patriam inter beatissimas fortium optimorumq; virorũ & sanctissimorum hominum animas conuentumq; recipiat: & vt te; cui quidem planè puero duo Regna maxima iure rectoq; obtigerunt; tantum pollere bonis studijs optimisq; artibus velit; vt expectationem de te nostram tuorumq; populorum vota æquare atq; implere facile possis: euadasq; in eum Regem; qui quidem in timore Domini eruditus omnibus Christianis populis atq; gentibus multum gloriæ multumq; Roboris sis allaturus. Quod profecto animo libentissimo & facio iam; & sæpe in posterum faciam: sperogq; fore vt me pro te pie se atq; suppliciter precantem Dominus audiat. Et quoniã idem Legatus scripsit ad nos patrem tuum extremo vitæ suæ tempore mihi te commẽdauisse: omnes meas opes, omnem autoritatem ad te fouendum ornandumq; polliceor: teq; iam in charissimi mihi filij locum agnosco atq; recipio, bonisq; verbis atq; omnibus & complector & prosequor. Tu verò ipse optimi viri patris tui maiorumq; tuorum fortissimorum & clarissimorum Regum gressibus atq; vestigijs inambulans Regnum tuum à Dei pietate & cultu, atq; ab huius Reip. obseruantia & studio auspicare: daq; operam, vt non minus religione, quàm ætate; neq; magis corporis viribus, quàm virtutis

bus animi subrescere tui te populi videant. Dat. prid. Non. Aprilium. M D X V I Anno quarto. Roma.

Episcopo Vesprimiensi: tum cæteris singulis in Pannonia magnis viris.

SCribimus ad Bernardum cantorem Agriensem Interuntium nostrum ea omnia; quæ per illum tibi hoc tempore significãda esse duximus nostris verbis. Hortamur itaq; te, vt pro nostra in te paterna sanè beniuolẽtia, expectationeq; ea & spe; quam de tua probitate magnitudineq; animi, & religione, cæterisq; tuis virtutibus magnã atq; mirificam semper habuimus; des operã; vt quibuscumque rebus poteris, istorũ Regnorum quieti & tranquillitati per te consulatur: autoritateq; tua, qua multum polles, ad eam rem cum huiusce Reip. dignitate; quæ quidem in tua erga se illustri voluntate & studio libentissime conquiescit; maxime omnium atq; in primis vtare. Erit id cum per se præclarum, & tibi laudi atq; gloriæ; tum certe egregiæ isti fortissimæq; nationi & populis apprimè salutare. Dat. Nonis Aprilibus. Anno quarto. Roma.

Thome Cardinali Strigonienſi.

QVantum mihi molestiæ, quantum mœroris Vladislai Pannoniæ Boëmiæq; Regis mors attulerit, V de qua tuis ad nos literis est allatum; ex mea in illum charitate atq; beniuolentia tibi quidem vni omniũ maxime perspecta & cognita per te ipse facile potes existimare. Videor autem mihi in illo non magnum & prudentem modo Regem; sed optimum etiam filium meiq; obseruantissimum amisisse; quo tempore propter Turcarum insidias adiectumq; ad ista Regna semper animum maxime illum viuere oportuisset. Itaque cum mea & certe istorum popu-

lorũ, vel potius vniuersæ Christianæ Reip. causa vehementer dolerẽ, angererq; prope animi omnibus articulis & sensibus; illa me res non mediocriter est consolata; quòd is, vt scribis, Ludouicum filium suum mirificæ indolis magnæq; spei puerum Regni hæredem sibi reliquit. Qui quidem si non satis dum propter ætatem sit ad id regendum & procurandum idoneus: habet certe nõ paucos excellenti virtute, singulari prudentia viros principes; quibus nitatur; quorumq; cõsiliis, & ipse recte institui, & eius Regnum administrari commode atq; feliciter possit. Quamobrem sedato quantũ potui, mœrore meo & luctu, consilioq; cũ meis fratribus E. R. Cardinalibus super ea re mature amantissimeq; habito tibi quidem negotiũ damus, primũ; vt Regem puerum saluere iubeas nostris verbis; affirmesq; illi salutem eius & dignitatem magnæ curæ nobis fore; nosq; singulos in eo & fouendo, & ornando Vladislai patris eius curam & studiũ plane gesturos. Deinde vt reliquos istius Regni Principes quo maiore animorum nostrorũ ostensione poteris, hortere; velint, quemadmodum quidem confidimus tu atq; illos esse facturos, in eam præcipue cogitationẽ incumbere; nihil vt inter vos dissidij, nihil omnino discordiæ suboriatur; sed vno omnium vestrũ consensu & voluntate sedate atq; amãter Regni & Regis pueri res, prouectus, otium, negotiũ procuretur. Id erit & prudentia vestra dignum, & nobis omnibus in primis gratum sic, vt iam nunc libentissime profitear, eius nos rei gratiam vobis singulis aliquando etiam relaturos. Cæterũ quod ad municipiorum illorũ curam & tutelam attinet; quæ municipia isto in Regno vicina oppositaq; Turcis sunt; atq; in summa rerum omnium inopia versantur, celerisq; auxilij magnopere indigẽt; ea in re omnem meam curam adhibebo: daboq; operam, vt eis omnibus in tempore succurratur. Itaq; volo bono vos animo esse; neque

vereri, quin à me omnia paterna in vos officia procurationesq; proficiscantur. Quod quidem vt iam re fieri perspicere omnes homines possint; mittere istuc quam primũ decreui Robertũ Archiepiscopum Reginum familiarem meũ, illustri ortum gente, probumq; ipsum hominẽ, & doctrinæ studijs præditũ; quem quidem valde amo; tecum vnà vt à Regis pueri latere nunquam discedat; autoritatemq; illi afferat nostram, quibuscunq; in rebus & opus erit, & oportebit: ne is tam illustrem patris sui de se commendationem apud nos parũ valuisse suspicari possit. Scripsi etiam Bernardo Cantori Agriensi Internuntio meo; vt cũ istius Regni magnis viris; quos ad singulos etiam literas dedi, diligenter ageret, vt in Regni negotijs procurandis concordiam in primis exercerent: vt rectius atq; commodius publicæ per eos vtilitati regiæq; dignitati consuleretur. Iubebam autem tum has ipsas, tũ cæteras, de quibus dixi, literas eiusmodi tabellario dari; qui celerrimè iter faceret: vt ante cõuentus vestri tempus, qui ad diem nonũ Cal. Maij est futurus, ad te perferretur. Dat. octauo Id. April. Anno quarto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi puero.

VI

QVod Hieronymo Vicco excellenti virtute, mirifica diligentia, singulari fide viro; qui Romæ Ferdinãdi Regis aui tui Legatũ multos annos gessit; velle te hoc tempore vti scribis; habereq; illũ eo dẽ apud me loco; sane gaudeo. Nam & ego illũ valde amo; gratissimaq; mihi eius consuetudo semper fuit: & tu hominem ad eam rem magis idoneum habere nullũ poteras. Habes autẽ eo in munere multa cũ laude diu versatũ; & cui vrbs Roma notior, quàm vlli domus ipsa sua sit: qui neq; fallere propter probitatem volet; neque falli poterit propter vsum rerum atq; prudentiam. Itaque verissimum de illo

testimonium Antonij Stunigæ magni Castellæ prioris, de quo scribis, plurimum apud te valuisse valde lætor. Hortor autem te: quem quidem & amaui semper antea; & nũc pluris etiam facio; cum quidem ad priorem in te charitatem meam Regij etiã nominis tui dignitas maiestasq; sit adiuncta; vt, quo horum ipsorum in te beneficiorum Domini bene memor videare, velis in ipsius Domini cultu & timore, quemadmodũ quidem intelligo facere te, & in huius Reip. obseruantia amãtius in dies atq; ardentius versari; addicere teq; animũ in hoc ingressu in adolescentiã tuo ad omniũ hominum pacem atq; salutem, quantũ in te erit; erit autẽ semper plurimum; procurandam. A me certe omnia boni amãtis q; patris officia in te proficiscentur. Quemadmodum cum Vicco ipso; de quo, vt ad initum reuertar, magnopere probo consilium tuum; his de rebus omnibus sum loquutus. Dat. vij Id. Aprilis. Anno quarto. Roma.

Sigismundo Poloniæ Regi.

VII CVm Vladislai Pannoniæ Boemiæq; Regis fratris tui mors, eiusq; filij Ludouici nimis tenera ad perferenda onera duorum Regnorum ætas; aliquot nos dies mœrentes suspensosq; habuisset: de fratrum meorum E. R. Cardinalium sententia Robertũ Archiepiscopum Reginum designatũ familiarem meum; quem propter familiæ splendorem & singularem ipsius doctrinã atq; virtutem inter cõplector, vt sit mihi plane charissimus, legaui; quem illuc quamcelerrime mitterem: vt esset; qui vnà cum Cardinali Strigoniensi Regi puero meo nomine adesset: atq; ad pacem & otium eius Regni procurandũ autoritatẽ adderet meam: vt quantũ pro tempore possem, puerum quem quidem nobis pater extremo vitæ suæ tẽpore diligentissime amãtissimisq; verbis cõmendauerat; & pueri Regnũ ornarem atq; protegerem.

Volo enim omnes homines intelligere, fratrẽ me tuũ fortem virum & prudentem ac religione præditũ hominem cum fruentem vitã dilexisse, tum eius cõmendationem morientis non neglexisse; Regnorumq; illorũ & nationũ fortissimarũ & bene de re Christiana meritarũ, quam debui, curam & rationem habuisse. Cui quidem Roberto, cũ maturare, quantũ posset, profectionem suã mãdauissem; has ad te literas iussi dari certo tabellario & celeri: vt te ante omnibus de rebus docerem, quàm is Pannoniam attigisset. Ego si commendare tibi fratris tui filium velim; diffidere videar probitati tuæ: cui sane non diffido: est enim mihi quidem probatissima. Sed tamen facere non possum, quin tibi illum commendem. Vale. Dat. tertio Id. April. Anno quarto. Roma.

Viterbiensibus.

CVm nuper intellexerim Pyratarum Punicorum ius- VIII tam classem ad vicina vobis littora oramq; istã maritimam aduentare; vos quidẽ vnos maxime omniũ & commonefacere & hortari volui; paratos vt vos alacresq; ad ea munera obeunda, curas laboresq; capessendos præstaretis; quæ munera Franciscus Pitta Hetruriæ Prolegatus vobis mandauerit; quamobrem tam inopinato teterrimorum hostium & latronum aduentui atque impressionibus in obuiam posit. Ea in re si quemadmodum quidem spero, deq; vestris confido studijs, sic egeritis: non vos quidem ipsos plus amauero. Quĩ enim fieri potest; nihil cum sit meo perueteri erga vos amore charitatiq; ardentius? sed plus amari à me meritos esse vos facile profitebor. Dat. sexto Calend. Maias. MDXVI Anno quarto. Roma.

Faliscis.

IX QVoniam renuntiatum nobis est, Pœnorum, qui Pyraticam exercent, non paruam classem in mari nostro esse, vestrasq; ad littora atq; ad Cētumcellas cursum tenere; mando vobis; vt omnibus in rebus, quæ à Francisco Pitta Hetruriæ Prolegato vobis imperabuntur, sine vlla ei mora pareatis, nō secus, ac si ipsis à nobis præsentibus iuberemini: ad vestram enim & vestrarum rerum incolumitatem salutemq; pertinebunt. Dat. sexto Cal. Maias. Anno quarto. Roma.

Grauiscis.

X ALlatum est ad me satis magnam Pyratarum classem à vestris littoribus non multum abesse. Quare vobis mando; & vt oppidum istud, quo celerius fieri poterit, communiatis; ne imparati ab hostibus paratissimis offendamini: & vt Francisco Pittæ Hetruriæ Prolegato omnibus in rebus vestram operā nauandam statuatis, quas ille per vos fieri iusserit, non secus, ac mihi ipsi. Volo autem vos bono animo esse. Eorum enim quæ ad vos oppidumq; vestrum defendendum pertinebunt; nihil prætermittam: vt intelligere possitis vestrā incolumitatem mihi magnæ curæ esse. Dat. sexto Cal. Maias. Anno quarto. Roma.

Francisco Pittæ Hetruriæ Prolegato.

XI QVod me de Pyratarum classe celeriter monuisti; quam appropinquare nostris littoribus scribis; diligentiaq; tua & vigilantia, quam adhibes, ne imparati offendantur, mihi vehementer probatur. Scribimus autē ad ea municipia; quæ in Legatione sunt Marci Cardinalis Cornelij: vt quoniā eiusmodi classis in mari nostro est, primū se præmuniant, prouideantq; ne

offendi possint: deinde tibi omnibus in rebus, quas fieri per eos & curari voles, ita præsto sint; vt mihi essent, si à me præsente iuberentur. Te verò hortor: nam mādare tibi, cum omnia per te facias, nihil debeo: vt pergas quemadmodū quidem cœpisti, nulla in re deesse ad istorum populorū salutem incolumitatemq; protegēdā: sic enim & præstabis ipse mihi fidem tuā; & ego te chariorem habebo, & pluris plurisq; faciam. Dat. sexto Cal. Maias. Anno quarto. Roma.

Federico Fregosio Archiepiscopo Salernitanorum.

GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt; quibus ostendis, si XIII quid aggredi contra Pyratarū classem velim eam, quæ Italiæ oram nuper insedit, infestatq; Tyrrheni maris littora; te paratū animatumq; esse cū nauibus longis quatuor, quas ista vrbs deductas & ornatas habet, quò oporteat quoq; iubeam accedere: neq; vereri; quin ipsa ciuitas nihil sit mihi eiusmodi pro sua in me obseruātia & cultu recusatura. Deq; ista tui animi propensione & studio mehercule gaudeo. Video enim bonorum ciuium & fortium virorum prouentu hanc Remp. nō prorsus inopem factam: cum vigere adhuc qdē in nostris hominibus eiusmodi sensus & cogitationes intelligo. Erit autē eo mihi tua hæc liberalitas opportunior; quo celeritate opus est ad rem recte atq; vt volumus cōficiendā. Scribo itaq; ad Octauianū fratrē tuū Præfectū Genuæ eiusq; oppidi decuriones, velint mihi & eas, quas dicis, quæq; in anchoris sunt, triremes naueis cōmodare; & ornare alteras totidē, ad nosq; mittere: vt cōmunes hosteis nostros eo & tutius aggredi, & celerius opprimere possimus. Te verò etiā atq; etiā hortor; rē apud ciues tuos iuues: atq; in eo multū insumas operæ; vt quæ cōparāda erūt, quām celerrime cōparentur. Erit id mihi apprime atq; summopere

gratum. Reliqua ex literis Petri Bembi familiaris mei ab epistolis, qui te plurimum diligit, cognosces. Dat. tertio Non. Maias. Anno quarto. Roma.

Octauiano Fregosio Præfecto & Decurionibus Genuæ.

XIII Appulisse ad Italiæ insulas & littora vobis vicina Punicam Pyratarum classem non ẽspernẽdam; eaq; infestissima reddere, diripere, depopulari, intellexisse vos aliquando etiam, quàm me temporius arbitror. Eam ad classem vel repellendam, vel si fieri poterit, conterendam, omnem meam curam & cogitationẽ adhibeo. Sed quoniam ad id & magna classe opus est, & quæ celerrime cõficiatur: pro vestra vetere in Ro. Pontifices & Dei ecclesiam pietate proq; meo in vos paterno amore cultoq; à vobis diligentissime etiam atq; etiam à vobis peto; vt ad hanc rem, quam paro, Italis quidem omnibus in primis honorificam, vobis certe propter periculi societatem etiam salutarem, & eas vestras triremes, quæ instructæ paratæq; sunt, commodetis; & simul ornari alteras totidem quamcelerrime imperetis: quibus naubus cum nostra classe cõsociatis cõmunes omnium nostrum hosteis nobis turpiter insultãtes aggredi atq; opprimere possimus. Ea res vt facilius confici possit, si me admoneritis, partem stipis ad vos mittam in nautas & milites cogendos naubusq; imponendos. Toto verò in apparatu atq; negotio vos oportet vnos tum diligentiam & studium, tum maxime celeritatem adhibere. Si enim præstolabimur; nihil est cur illos, qui omnia temporum momentis metiuntur, posse nos consequi ẽspem vllam habeamus. Id autem vt animis alacrioribus vobis esse faciendũ statueretis, petij à Francisco Gallorum Rege per literas non hoc ipsum modo, vt vestras naueis permitteret mihi præsto esse; sed illud etiam vt suam ipse classem cum nostra classe coniungeret, quoad aliquid actum & confectum esset. Quod quidem illum confido pro nostra coniunctione, proq; suo in tuenda Christiana re studio libentissimè esse facturum. Dat. tertio Non. Maias. Anno quarto. Roma.

Abbati sancti Bertini.

MIttimus ad Carolũ Hispaniæ Regem Pindarum Santesium familiarẽ nostrum: eiq; mandauimus; vt Rege salutato te inuiseret; tibiq; significaret; me tui memoriam crebro libenterq; repetere; vtpotè boni hominis & religione præditi, & mei obseruãtis, & quem ego vnice atq; summopere amo. Itaq; ei te meis verbis alloquenti, deq; mea in te voluntate plura & certiora deferẽti fidem habebis; tibiq; persuadebis gratissimum mihi fore; si te & rectè valere, & bene agere intellexero. Dat. sexto Id. Maias. M D X V I Anno quarto. Roma. XIIII

Prospero Columnæ Cauio.

LIteras tuas Decurionibus municipij Acutini & Vicario Episcopi Anagnini scriptas; quibus literis de mortui Episcopi bona tuis procuratoribus dari postulas; legi missas ab ipsis mihi, non illas quidem dignas, quæ à te proficiscerentur, & cum iniquas, tum cõtumelioſas; præsertim in hominem mihi charissimum, quiq; à latere meo nunquam discedit. An tu vnus nesciebas Acutum oppidum & Episcoporũ bona non ad te, sed ad nos pertinere? Quamobrem primum quidem paterne te hortor; deinde mando etiam atque impero; ne te causa vlla, modo vllo, colore vllo illis in bonis immiscеas; neq; ve animum addas Episcopi aduersarijs male in eũ cogitandi: faueas etiam potius præstoq; sis eius procuratoribus, qui has tibi meas literas reddiderunt. Quod si ius tibi aliquod ijs in bonis competere existis XV

mas;id à me postulato:qui tibi, quod rectũ honestumq; sit, nulla ex parte deero. Dat. tertio Id. Maias. Anno quarto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

XVI PRoficiscentem ad te Antonium Stunigam Castellæ Priorem dimittere sine meis literis nolui: in quo cum ad generis nobilitatem animi etiam magnitudinẽ, prudentiam, continentiam, plurimas egregias excellẽteisq; virtutes adiunctas & consociatas agnouerim: apud nos enim prope biennium in sui Prioratus controuersia dum sibi ius fieri postulat, summa cum tẽperantia & æquanimitate versatus est: eum dignum existimaui; qnem & mea beniuolentia vnice complecterer, & tuæ pietati diligentissime cõmendarem. Moram autem eam, quam iudiciorũ præstituta tempora sibi deposcunt, illud etiam auxit; quod Ferdinando Rege auo tuo quotidianis prope postulationibus agente apud me, vt rem illius & causam paululũ protrahi permitterem: fore enim propterea, vt dilatione aliqua iudicij interposita Prior ipse ad cõcordiam adduceretur: sententiã iudicium q; differri aliquantis per rogatu Regis passus sum existimans ipsum concordiæ conditiones, quæ Regis & aduersariorum ei nomine proponebantur, non recusaturum. Quanquam quidem postea cum illũ nullas pactiones accipere, nullas sibi leges velle dari cognouissem, neq; vllis conditionibus adduci posse, vt ad concordiam sese demitteret; iussi vt causa lisq; omnis terminaretur, ad exitumq; perduceretur. Iis verò in actionibus omnibus biennioq; toto planè perspexi id, quod mihi gratissimum profecto accidit; ipsum quidem obseruantissimum tui esse; tuumq; nomen maxime colere, maximiq; facere nutus singulos voluntatis tuæ. Itaque tibi illum commendare iustissime sanè videor tum morum optimorum hominem eximiæq; constantiæ atq; virtutis, tum fidei exploratæ erga te planeq; singularis. Gratissimum igitur mihi feceris: si præter id, quod Antonium diligere meritò eius debes, habebis illum mea causa etiam chariorem. Vale, nosq; dilige. Dat. Idibus Maij. Anno quarto. Roma.

Laurentio Medici fratris filio.

IOannis Iordani Vrsini propinqui nostri precibus adductus, charitate etiam, qua illam gentem, vt scis, atque familiam prosequor, me impellẽte, te hortor; vt Virginium Vrsinum Anguillariæ dominum istius Reip. Præfectum equitum in ea, qua nunc est, cõditione dignitateq; retineas; neque eum missum facias: quem quidem etiam in meliore esse apud te remq; illam pub. loco, si fieri posset, magnopere vellem: meamq; hanc voluntatem ipsi quidem exploratissimam esse scio. Itaque sic velim tibi persuadeas; te mihi rem pergratam esse facturũ; si curabis, vt Virginius, quam in me spem adhuc quidem positam habuit, ea ne deseratur. Dat. xvij. Cal. Iunias. M D X V I Anno quarto. Roma. XVII

Ioanni Paulo Balioni & Sipitiani Dominis.

CVm mihi; quem quidem pacis atq; concordiæ suasorem autoremq; esse maxime omnium cõuenit; non mediocrẽ molestiam attulisset ea controuersia; quam de Petri & Graffiani oppidulis obstinatã nimis animorũ contentione inter vos aliquot iam annos exercuistis: ne semper ũsdẽ in disceptationibus versaremini: quod sine vestro magno mehercule malo; nostri verò prope, vt verissime dicam, contemptu fieri non potest: Laurentium Medicem fratris mei filium Florẽtinorum exercitus Imperatorẽ delegi quo vtriq; arbitro vestrarũ disceptationũ vteremini: quiq; interea, dum de iure vestro cognoscit, illorum oppidorum XVIII

possessionem meo nomine capiat: ne peioribus in dies malis grauioribusq; impendijs implicemini. Quamobrem vobis singulis mando atq; impero; vt sine vel mora, vel recusatione vlla Matthæo Cautio Laurentij procuratori eorum oppidorum possessionem tradatis; ab ijsq; ipsi recedatis, & possessionemq; faciatis, per illum iudicato vos staturos & quieturos. Secus si feceritis; quo maiore charitate vos amplector, eo cogar & diligentius & celerius dare operã, vt meã dignitatem tuear. Dat. xvij. Cal. Iun. Anno quarto. Roma.

Thomæ Feltrinorum Episcopo Legato.

XIX PVto te non latere quanto studio cum Venetis egerim, vt Christophorum Friapanem Matthæi Cardinalis Gurcensis sororis virum captum ab eis sui redimeret. Quod quoniam parum successit; neque velle Venetos intelligo missum illum propterea facere, quod Iulium Manfronium eorum Præfectum equitum hostes captum item à suis, si id fiat, missum se facturos recipiant: multorũ valde mihi & gratorum & probatorum hominum precibus adductus mando tibi; vt tum apud Maximilianum, tum cum Cardinale ipso agas, contendas, efficias, vt conditione aliqua neutri parti graui Iulium liberent missumq; faciant hortatu meo. Dat. xv. Calend. Iun. M D X V I Anno quarto. Roma.

Boiorum Duci Præfecto Mediolanensium.

XX SCribitur mihi non paruam militum manum extra Regis tui ditionem abste mitti. Ea de re cum nihil mihi significaueris; non potui non moleste ferre me à te iis de rebus esse celatum; præsertim cum intelligerem eos milites iamprimum ad conturbandum Carpi & Mirandulæ statum tendere municipiorum mihi in primis commendatorum, nostraq; in tutela ociose atq; imparate quiescentium.

Quamobrem cum existimem pro summa nostra beniuolentia Regem ipsum, ad quem quidem ea de re literas dedi, non permissurum, vt ij, qui nobis commendati sunt, ab eius militibus diripiantur: peto à te etiam atque etiam, primum quidem, vt ab illorum oppidorum impressione tuos milites contineas, quoad aliquid ab Rege afferatur: deinde vt de militum itinere, si tibi videtur, cogitationibusq; tuis, quemadmodum quidem nostræ coniunctioni valde conuenit, aliquid nobis impartiare. Dat. xij. Calend. Iun. Anno quarto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

REnuntiatum nobis est non exiguam tuorum militum XXI manum extra tuæ ditionis fines transq; Padum iter facere. De eo cum neque ad me scripseris ipse; neq; tui, qui quidem in Italia sunt, mihi quicquam ministri significarint; affectus molestia sum propterea, quod est sane rumor eos tuos milites ad peruertendas Carpi & Mirandulæ res cõtendere: quæ quidem municipia aliquot anni sunt, cum in meam clientelam tutelamq; sunt recepta. Quare te hortor; ne permittas eos, qui se mihi dediderunt, à tuis militibus vexari; præsertim cum illos constet nulla in re cõtra te dignitatemq; tuam vel egisse vnquam, vel omnino cogitasse. Id erit & te dignum, & à coniunctione nostra postulatum, & mihi gratissimum. Dat. xiij. Calend. Iun. Anno quarto Roma.

Boiorum Duci.

HEri ad te scripsimus; vt, quoniam rumor erat tuos XXII milites ad Carpi atq; Mirandulæ municipia lacessenda iter facere, velles eos continere, dum sciri posset, quid Rex tuus ea de re fieri vellet. Eas meas literas tametsi confidimus tantum, quãtum profecto debent pro mea

summa in Regem beniuolentia proq; nostra coniunctione, apud te ponderis habituras: tamen increbrescẽte magis magisq; horis singulis rumore illo & sermone hominum statui Latinum Iuuenalem familiarem meum magnis itineribus ad te mittere: qui coram totũ de re diligentius tecum ageret meis verbis. Ei tu igitur fidem habebis; pacemq; & pacis studia, si me audias, plus diliges bellis & turbis omnibus. Dat. ad xij. Cal. Iunij. Anno quarto. Roma.

Episcopo Vesprimiensi.

XXIII Reuertenti ad te Thomæ Nigro Vicario tuo; qui non solum apud me, sed etiam apud fratres meos E. R. Cardinales publice oppidorum eorum, quæ à Turcis obsidẽtur, Regniq; istius causam, atque in primis tuam grauiter & accurate egit; mandaui; vt te meis verbis saluere: ac primũ tibi significaret; quod plurimos pro re Christiana labores pertuleris; grauia omnia periculosaq; adieris; impensas maximas feceris; nos te efferre maximis & verissimis laudibus, deq; ea optime esse meritum libentissime profiteri. Deinde tibi cognitã faceret diligẽtiam meam, quam adhibeo, vt tibi tantum auxilij, quantum satis sit ad illa oppida munienda hostesq; propulsandos communi consilio atq; opibus quamcelerrime mittatur: vt tuam & istius Regni Christianæq; Reip. dignitatem defendere ac tueri possis. Demum te hortaretur; vt pro tua virtute animiq; magnitudine hostium furorem tandiu sustineres, dum hæc conficerentur; quod quidem paucis diebus confidebamus fore. Itaque bono animo es: optimamq; spem alere populos istos fortissimos & constantissimos iube, breui se incolumes futuros. Reliqua ex ipso cognosces. Dat. octauo Cal. Iun. Anno quarto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

XXIIII Binas iam ad te literas dedi; quibus te literis sum cohortatus, vt fessis atq; labantibus Pannoniæ rebus propter assiduam in Dalmatas Turcarum impressionem diuturnamq; nimis bella pecuniæ auxilio mecũ & cum cæteris nostris Regibus pro tua liberalitate succurreres. Et quoniam ea res magnæ sanè diligentiæ celeritatisq; indigebat; commonui in primis te; vt quæ tibi agenda esse ea de causa putares; ageres efficeresq; quam primum: neq; committeres: vt elapsa rei bene gerendæ occasione, quæ quidem erat perbreuis, tueri posted ab audacissimis hostibus nostris Regnũ illud, cum velles, non posses. Eas ad literas postulataq; nostra, quod te dignum erat, rescripsisti; te scilicet velle facere, quæ proponebantur: itaq; ei te rei pro tua portione non defuturum. Quod quidem statim ego Regi Pannoniæ Principibusq; illius Regni viris significaui; acciditq; eis omnibus planè gratissimum. Verum cum nouissime per literas Episcopi Vesprimiensis Præfecti Croaciæ Pannoniæq; Proregis optimi atque fortissimi viri certior factus sim, ipsum quidem in exigua spe esse, posse se vlterius Turcarum vim atq; impetum sustinere: ipsius autem Episcopi Vicarius coram mecum & cũ meis fratribus E. R. Cardinalibus prostratus ante meos pedes illorũq; genibus aduolutus flens, fidemq; nostram atq; omnium Christianorum Regũ implorans obtestansq; Deos & homines egerit; ne Regnum illud; quod quidẽ adhuc hostiũ gladios nostris iugulis atq; ceruicibus semper repulit; uri perditum nostra ignauia atq; segnicia sineremus: oppidorum enim eorum, quæ à Turcis hoc tempore obsiderentur premerenturq; modis omnibus, Idizæ, Timinij, Clissij, Seardonæ, eam naturam esse cũ propter portus; quos haberent maximos atq; tutissimos; tum

propter materiam ad naueis ædificãdas idoneam; qua abundarent; demum etiam propter ipsorum situs atq; positus ita Pannoniæ atq; Italiæ opportunos imminẽteisq; ; vt vno eorum aliquo in Turcarum potestatem redacto, Pãnonia quidem ipsa se tueri nullo modo possit: Italiæ autem ora, quæ ad mare Adriaticum est, noctis vnius nauigatione eorũ classibus pateat, quibus diripi atq; incendi possit. Hæc itaq; cum ita se haberent; de eorumdem fratrum meorum sententia statui ad te scribere; teq; hortari, & rogare; vt quamprimum quamq; celerrime saltem quindecies mille numũ aureorum ad nos mitteres: qui vna cum meis alteris totidẽ illuc transmitterentur: quibus se opibus illa municipia communirent; ne nostris hostibus sese dedere fame ac rerum omnium egestate atque inopia magno cum nostro, nostro inquam te coniungens, reliquorumq; Regum nostrorum dedecore & ignominia cogerentur. Plura me ad te scribere hæc de re fortasse res ipsa postulat: quæ quidem secum maximum in vtranque partem rerum omnium motum atque faciem trahit. Sed persona, quam sustines; nomenq;, quod geris, planè non postulat. Ea te mouere etiam tacentibus nobis debent; vt non magis verbo, quãm re tuendisq; Christi populis & esse & haberi velis Rex & maximus & Christianus maxime. Quod quidem te facturum & pro animi tui magnitudine; quam & omnes prædicant & ipse agnouiq; proq; tua prudentia, religione, pietate, liberalitate sanè confido. Hæc verò ipsa, quæ ad te scribo; scribo itẽ cæteris Regibus: quos quidem in eo non defuturos puto. Sed te decet: qui & illis maior es, & nobis cum vicinus, tum coniunctus magis; ad tui partes muneris peragendas etiam priorem & alacriorem accedere: ex quo tamen & vberior à Dijs immortalibus gratia & clarior ab hominibus gloria te sequetur. Fratres mei tibi salutem ascribunt. Vale. Dat. Idib. Maijs.

MDXVI Anno quarto. Roma.

Maximiliano Rom. Imp. desig.

XXV

PRoximis diebus à te cum venisset Sigismũdus Alberti Legati tui familiaris multa nobis narrauit; quæ libentissime audiuimus; quæq; nobis pro summa nostra in te beniuolentia gratissima & iocũdissima fuerũt. Quanquam quidem, quod ad te attinet, nunquam sanè dubitauimus; te, qualem confidimus decetq; esse, talem futurũ. Sed pupugerant me quorundam hominũ voces non tam malevolorum, quàm timidorũ, & omnia sua ipsorum natura moribusq; metientium. Quos tamen ipsos nunc valde pœnitet minus recte de animi tui magnitudine, quàm par erat, cogitauisse. Sed hæc quidem hactenus. Sigismundo verò ipsi ad te reuertenti multa mandaui; multa etiam cum Legato tuo sum loquutus; quæ ad te perferri volo. Quare & illius sermoni & huius literis semihoram dabis: tibiq; persuadebis, dignitatem amplitudinemq; tuam mihi magnæ curæ esse. Vale nostrorum hominum Imperator vere maxime atque optime. Dat. Cal. Iunijs. Anno quarto. Roma.

Vrbinatibus.

XXVI

INtellexi vestris ex literis id; quod mihi pro ea, qua vrbem istam omni sum tempore beniuolentia charitateq; prosequutus, iocundissimum sanè fuit; vos ad meum & huius Reip. Imperium libenti animo redüsse. Equidem vos ea de re vehementer laudo: qui tempestatibus huc illuc diu iactati post longos atque multos labores in Reip. piæ optimæq; matris sinu, tanquam in portu, cõquiescere voluistis. Itaque municipium istud vosq; omnes in meam curã atq; fidem libentissime recipio: daboq; operam; vt in mea erga vos tum beniuolentia, tum studio & diligentia securè pacateq; degatis. Atque aliquẽ ex intimis charissimisq; mihi

perſpectaq; probitate & virtute virũ propediem iſtuc mit-
tam ad vos nõ ſolum regendos, ſed maxime etiam & fouen-
dos & omni pietate cõplectendos. Neq; interea vobis deerit
Laurentij Medicis fratris mei filij veſtri Ducis induſtria:
qui ſuis vos opibus amãtiſſime tuebitur. Hortor autem vos;
vt quam vobis nuper Dominus in recuperãda huius Reip.
benuolentia mentem dedit, eam in poſterum pietate, fide,
ſtudijſq; veſtris etiam augeatis. Dat. Calend. Iun.
Anno quarto. Roma.

Genuenſibus.

XXVII Q Veſti apud me ſunt per literas VIII viri Reip. Florentinæ grauiter illi quidem, & plus dolore, quàm atramento illutis codicillis: cũ ſcriberent nauem quandam Cypriam à Florẽtinis mercatoribus conductam, onuſtamq; ſale Ebuſitano in ciuitatis ipſorũ vſum Piſano in portu à veſtrarũ quatuor triremium Præfectis captam fuiſſe, perductamq; iſtuc, inquientibus iura ſibi facere per vetuſtiſſimas Romanorum Imperatorum cõceſſiones licere; velleq; ſe eo detracto ſale nauem comburere iactantibus præq; ſe ferentibus. Quod quidem mihi; vt vere dicam, quod ſentio; moleſtiſſimum accidit; viſumq; eſt valde mehercule indignum veſtra maiorumq; veſtrorum æquitate ac frugalitate, addo etiam vrbis veſtræ dignitate & nomine; eoq; magis; quod quibus à ciuibus veſtris ſe defenſum iri Florentini ciues contra Pœnorum Pyratarum claſſem exiſtimabant; idq; ab ipſis prædicabatur; quoſq; ciues veſtros ea de cauſa ſuo in portu amiciſſime receperant, rebus omnibus inuerãt; illis ipſis eorũ fortunas prædæ atq; ludibrio eſſe, ſpeciem quandã habet inſolitæ vel perfidiæ, vel auaritiæ, vel ſceleris. Quid enim hoſtes ipſi Pœni vi atq; armis illos aggreſſi durius in eos atque crudelius ſtatuiſſent?

Aut quis vobis poſthac fidem vllam habendam exiſtimabit; ſi quos ab alijs tuendos ipſi palam ſuſcepiſtis; quiq; vos ſane liberaliter atq; etiam verius hilariter, tanquam bonos hoſpites, amicos quidem certe atq; ſocios ſuis in terris atq; portubus exceperant; ij à vobis capiuntur, diripiuntur, incendũtur; eiuſmodiq; habentur, in quos exempla crudelitatis exerceatis? Quamobrem ſtatui vos magnopere hortari; ne plus antiquas vllas veſtras Imperatorias cõceſſiones; quàm ius gentiũ, quàm bonũ & æquũ, quàm humanitatem ipſam faciatis: iubeatisq; vt mercatoribus Florentinis, vel Reip. potius; ea enim me hoc rogat, tam quidem mecũ & cum reliqua p. cõiunctæ atq; conſociatæ, vt vna atq; eadem ambæ eſſe videantur, ablata per veſtros Præfectos omnia ſine mora ſineq; impendio reſtituantur. Quod erit & iuſtitiæ modeſtiæq; veſtræ; duas enim has præclaras maximeq; vrbibus populisq; ſalutares adhuc in vobis virtutes agnoui; magnopere proprium; & mihi vehementiſſime gratum. Sed tota de re Franciſcus Ghibertus fiſci Romani miniſter; ad quem longiores literas dedi; mentem vobis meam diligentius exponet. Dat. octauo Id. Iunias. M D X V I Anno quarto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

MVlto ante, quàm ab hominibus emigraret Ferdinandus Rex auus tuus; literas ad me dedit: quibus ſe literis Heronymo Vicco Legato apud me ſuo pollicitũ fuiſſe narrabat, quem quidem virum optime de ſe meritum fatebatur; daturum ſe operam, vt quæ primum Eccleſia boni prouẽtus ſuis in Regnis Epiſcopo deficeretur, ei nos Eccleſiæ Vicci fratrem præficeremus. Qua de re mecum Hieronymus non ſemel egit; quippe qui eã ſpe pluri-
mum fouebatur; nec verebatur; quin Rex; quemadmodum XXV VIII

quidem & sibi receperat, & mihi scripserat; primo quoque tempore esset facturus. Hæc mea commemoratio quam vim habeat; per te ipse facile iudicabis. Nunc autem, cum Hieronymus mihi significarit Ludouicum Episcopum Dertusensem vitæ functum esse; testis verò ipse sum nõ solum promissi Regis, vt dixi, sed Vicci etiam in Regem fidei, diligentiæ, meritorum: probo & prudenti homini, & eximia in Reges suos obseruantia, & cum summa illorum laude maximis q̃ suis laboribus decem totos annos Romæ versato, optime de auo ipso tuo, bene de te merito, mihi propter eius excellentem virtutem in primis grato deesse plane nolui, Itaque non solum te hortor, sed etiam atque etiam abste peto; velis vt ei Ecclesiæ Pontificis cura atque solatio destitutæ frater Hieronymi præficiatur, cum propterea; vt tu; qui fortunarum aui tui & Regnorum tot atque tantorum hæreditatem Dei Opt. Max. munere creuisti; illius etiam fidei & promissorum, ratione præsertim meritoq̃ factorum, hæredem velle agere videare: tum vel maxime vt Legati tui; qui tuorum Regnorum negocia tam diligenter tantaq̃ cum dignitate totq̃ annos apud Romanos Pontifices procurauit; laborum & vigiliarum rationem te habuisse omnes homines intelligant. In quo cum illud egeris; quod facere tua sponte sane debes; quodq̃ tibi & laudi & gratiæ apud tuos est futurum; qui hoc exemplo ad bene de te merendum excitari poterunt: Mihi quidem ipsi tam gratum feceris; quàm si tantundem aut eo amplius alicui ex meis familiaribus mihi charioribus & coniunctioribus contulisses. Dat. xiij. Calend. Quintilis. Anno quarto. Roma.

Agnesinæ

Agnesinæ Montis feretrianæ Fabritii Columnæ vxori.

Affertur ad nos multa quotidie latrocinia multasq̃ cædes in Algidi sylua fieri; impediriq̃ itinera sic, vt iam à viatoribus non frequententur. Quod cum & mihi permolestum sit, & cum Reip. indignitate magnopere coniunctum: peto à te; des operam, mandesq̃ tuis hominibus, vt latrones intercipiant: vt & eiusmodi scelera reprimantur, & itinera purgentur. Ea in re cum id; quod, tametsi fœmina es, à tua tamen virtute postulatur, teq̃ maxime dignum est, facies: tum viri tui absentis optimi hominis atq̃ fortissimi desiderium mihi & Reip. leues. Dat. xi. Cal. Quintiles. Anno quarto. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER XIII

Thomæ Cardinali Strigoniensi.



I

RECTIS tuis literis, quas binas vno tempore accepi, alteris ad decimum, alteris sexto Cal. Iunias datis, statim fratres meos E. R. Cardinales adhibui; vt vnà, quid tibi ad illas respondere nos oporteret, mature consuleremus. Itaq̃ de cõmuni nostrũ omniũ sentẽtia tibi respondeo:

vtur autem ordine, ad priorem scilicet epistolam prius: Gratissimum nobis accidisse; quod in cõuentu Pannonico nuper habito omnia tranquille atq; pacate acta cõfecta transactaq; sint. Nam cum proxime propter recentem Vladislai Regis mortem, imbecillamq; Ludouici eius filij ad regendos populos ætatem ne turbæ seditionesq; inter istos Principes existerent, magnopere timuissemus: nunc, cum res aliter ceciderit; iamq; omnia per vos & prudenter & temperate administrentur; magna certe voluptate tuæ nos literæ affecerunt. Valde enim fore credimus; vt si vos in tractandis Regnorum istorum explicãdisq; negocijs idem atq; vnum omnes respicietis; magna cum pacis & quietis, tum dignitatis & commodorũ incrementa publice atq; priuatim vestris rebus sint accessura. Pacis enim atq; cõcordiæ cupidos & retinentes protegit augetq; pacificus & mitissimus Dominus. Quare eo de consensu & volũtate maximis vos singulos & studijs prosequimur & laudibus. Hortamur autem; vt in instituendo Rege puero, ætatemq; illa tenera & flectenda, & dirigenda eundẽ consensum eandem curã adhibeatis, quoad Rex se atq; sua regere per ætatem possit. Nam vt arborum semina, dum pusilla sunt, palis indigent, quibus nitantur; ne ventis & tempestatibus meurrescant; obliquitatemq; ducãt crescentia; sic puerorũ ingenijs moderatore opus est & magistro; qui ea regat atq; contineat; ne flectere in vitia malasq; artes possint: ad quas tenera omnis & infirma ætas pronos maximeq; lubricos lapsus habet. Rescripsi ad priorem epistolam tuam: nunc ad postremam venio: qua me de aduentu ad vos Turcarum Regis Legati certiorem facis inducíarum cum Rege tuo conficiendarum causa: consiliumq; requiris meum: vt quid vobis faciendum sit, scire possis. Quod quidem nullum habeo, tibi quod dem, præter illud; de quo ad te non vnis literis scripsi. Quod idem nunc

scribo: nobis scilicet eandem esse mentem, eundem animum; qui antea fuit; quiq; semper est futurus. Cupimus enim vt debemus, ne cum perpetuis nostris hostibus vlli Reges nostri, vlla Imperia se coniungant. Qui non id postulant propterea; quod pacem & otium velint; cum nihil, nisi bella meditentur: vel quod vllo vos commodo affici non ægerrime molestissimeq; ferant; quorum oppida ditionemq; ipsas inducias flagitantes depopulantur & proterunt. Sed vt à vobis populisq; istis bellicosissimis atq; fortissimis securi tãtisper sint; dũ vel alia, quæ sibi cordi sunt, explicent aliosq; Reges oppriment; vel sibi opes comparent ad vos postea, quibus maxime inhiant, validis integrisq; viribus aggrediendos planeq; conficiendos. Itaq; non possumus assentiri ijs cõditionibus; quas in vestras ceruices atq; perniciem credimus reuersuras. Eam ob rẽ, vt scis, diligẽtissime ad omnes Christianos Reges non semel scripsimus: multisq; precibus contendimus ab ijs; vt Regi Regnisq; istis ad hostium conatus repellendos vnà nobiscum opem atq; suppetias ferãt. Id etsi serius fit, quàm volumus, quamq; decebat; futurum tamen in tempore confidimus: vtq; fiat; damus nunc quoq; ad eos ipsos eadem de re literas; monemusq; singulos, longiorem mittendo auxilio moram ne addãt: ne dum ipsi cunctabundi sedent; ad id vos necessitas compellat; quod postea factum recidere in maximũ vniuersæ Christianæ Reip. dammum atque dedecus facile possit. Qui si, quod petimus, in tempore fecerint; vobis ante omnes erit vtile, nihil cum Turcis statuisse: quibus fortasse veteres etiam eorum in vos iniurias vlciscendi occasio propterea dabitur. Nos quidem certe pro vestra dignitate tuenda Regnoq; defendendo omnes nostras opes, sanguinem etiam nostrum, si expediat, sumus libentissime profusuri: quemadmodum cum Frãcisco Marsupino familiari ab epistolis tuo latius & ipse

loquutus sum, & meorum fratrum plurimi idem fecerunt: cuius te ad litteras referes. Dat. octauo. Cal. Quintiles. M D X V I Anno quarto. Roma.

Hominibus sancti Martini in fines Ariminensium.

II IVlianum ordinis Franciscum theologicis in studijs magistrum Internuntium vestrum libenter audiui gratăq; mihi eius oratio fuit. Intellexi enim cognouiq; ex ipso nostrum vos exercitum proximis diebus ad vicina vobis loca missum, omni ope copiaq; vestra iuuisse: de quo etiam Laurentij Medicis fratris mei filij litteris sum certior factus: qui mihi vos iisdem ipsis litteris diligentissime commendauit. Ea de re studijsq; vestris vos & laudo vehementer & probo. Volo etiam confidere, posse vos æqua honestaq; omnia vobis ipsis de me polliceri. Atque vt primas postulationes vestras me non neglexisse intelligatis; in meã vos iam nunc curam tutelamq; recipio. Dat. octauo Cal. Quintil. Anno quarto. Roma.

Petro Ioanni Gallicæ classis Præfecto.

III GRatũ mihi fuit voluntas & alacritas tua; quam tuis ex literis perspexi, Francisci Regis tui iussu in nostra cõtra Pyratas Pœnos classe operam studiumq; tuum mihi nauandi. Qua in re quoniam me consulis, quæris q; quid per te maxime fieri velim: nihil sanè, præter vnum; vt Federico Archiepiscopo Salernitanorum, quem classi nostræ legaui, præsto sis; cuiq; pareas rebus in omnibus. Ille enim is est vir, eaq; tum prudentia, & rerũ gerendarum experientia, tum facilitate temperẽtiaq; præditus; vt mihi dubium non sit; quin huius belli administrãdi eam, quam debet, & curam sit & rationem habiturus, tibiq; in primis satisfacturus. Cæterum quoniam accidere poterit, vt

cum Caroli Regis Hispaniæ classe; quæ quidem etiam proxime Neapoli ad Pœnos persequendos est solutura; nostra classis se coniungat: te hortor; vt cum eius classis Præfectis omnia amici hominis officia exerceas; teq; ijs facilem atque beniuolum præbeas: sic enim Regijs ministris recepi, te reliquosq; nostros & Præfectos & ministros omnes esse factu ros. Itaq; meam in eo fidem vt præstes, etiam atque etiam abste peto. Quod attinet ad morte multandos Pyratas illos, si capientur; vt magis cæteri à locorum nostrorum vastatione absterreantur: eius rei deliberationẽ, quemadmodum reliqua omnia, ipsi Legato remisi: quem scio tuis consilijs multum semper tributurum. Perge modo ipse: & quæ tuæ erunt partes, hoc in bello fortem te & diligentem præsta: vt bene de me addo etiam cæteris de populis, quorum interest, quosq; defendes atq; tueberis, bene agendo beneq; consulendo mereare. A me certe tuorum & laborum & meritorum paterno animo ratio semper habebitur. Dat. septimo Cal. Quintilis. M D X V I Anno quarto. Roma.

Philibertæ Allobrogi Iuliani Medicis fratris demortui vxori.

EA; quæ cum Bauno Internuntio tuo de tuis meisq; rebus loquutus sum; ab ipso intelliges. Vnum hoc te volo ex me cognoscere. Ego cum te semel in filiæ mihi charissimæ loco collocarim atque habuerim; etsi is, cuius te causa impensius amabam, frater meus optimus & suauissimus decedens è vita me atque te mœrentes reliquit; tui tamen curam, rationem, beniuolentiam, amorem deniq; paternum meum nunquam reiiciam. Id virtus, probitas, religio tua, optimi tui castissimiq; mores atque nobilitas postulant. Dat. prid. Cal. Quintil. Anno quarto. Roma. IIII

Duci Allobrogum.

V BAunus Philibertæ sororis tuæ Interpres, quæ mecum egerit; ipse ad te veniens tibi significabit; mentemq; meam atq; animum explicabit: qui quidem animus ad tuam sororisq; tuæ dignitatem commoda rationes & fuit præsto antea, & erit posthac, quoad vixero. Dat. prid. Cal. Quintilis. Anno quarto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

VI QVam mihi grata & probata sit Ludouici Episcopi Tricaricensium egregia in me obseruantia, probitas, virtus, ea res præbere tibi argumentum potest; quod esse illum apud te volui, quo Internuntio tractandis tecum meis rebus vterer. Eo in munere obeundo cũ ille ita se gesserit, atq; adhuc quidem gerat; vt cũ nobis maxime satisfaciat, tua etiam beniuolentia tuaq; liberalitate dignus esse magnopere videatur: æquũ esse duximus; vt ad ipsum, qui quidem Episcopatum satis tenuem habet, pro virtutum dignitate fortunis amplificandũ te socium adiutoremq; haberemus. Quare te hortor; vel etiam pro meo iure abste peto: est autem beniuolentiæ atq; amoris ius omniũ optimum atq; maximum: vt cum primũ Ecclesia aliqua, aut omnino sacerdotium aliquod eiusmodi, quod prouentus liberales habeat, tuis in Regnis vel Pontifice vel curatore destituetur; Ludouicum velis esse; cui illud, quicquid erit, conferatur. Equidem si exploratum non haberem vel pro animi tui munificentia, vel etiam pro ea familiaritate, qua is tecum iam est biennium prope totum versatus, id, quod opto, te libenter esse facturum; vterer pluribus verbis. Valde enim cupio, in eo me homine ornando habere te; qui esse mecum non abnuas eius muneris atque oneris particeps. Sed cum nihil minus necesse putem esse; quàm me ad te hac de re multa

scribere; finem faciam scribendi. Addam tamen illud: si ei commode feceris; tuum te beneficium optime atq; pulcherrime positurum. Dat. Cal. Quintilibus. Anno quarto. Roma.

Octauiano Fregosio Præfecto & Decurionibus Genuæ.

SAne quam pro mea vetere in vos beniuolentia molestè VII tuli, de naui à Florentinis mercatoribus conducta, atq; à vestris triremium Præfectis in eorum portu capta; post acceptas meas ea de re literas vos ea statuisse; quæ maximam illis fraudem atque iacturam afferrent. Nam & meam apud vos autoritatem alicuius esse ponderis existimabam: & æquitatem atq; bonos mores usq; ipsum gentium nihili à vobis fieri non credebam, ea præsertim in re; quæ vicinæ vobis atq; amicæ, neq; spernendarum opum vrbis & Reip. animos maxime læderet atq; exulceraret. Sed hæc quanti facienda vobis sint; ipsi videritis; quorum interest recte dispicere atq; cognoscere, quid, cuiq; tribuẽdum aut negandum sit. Ego, cum Octouiri Reip. Florentinæ iterum à me postularint, vt vellem suis ciuibus non deesse; hæc dictaui ambulans; cum me dolor, quem ea de re capio, quiescere non pateretur. Itaque & planè & bene Romane vos moneo; vt mercatoribus Florentinis dependi & reponi ablata omnia, damna omnia iubeatis sic, vt sarctos tectosq;, quod dicitur se videant: ne si ii sæpius apud me eadem de re conquerentur; cogar ipse aliter, ac mea fert voluntas, eorum incommodis mederi. Cupio autem, vt debeo, pacate potius atque amanter ijs de rebus statui inter vos: quàm ea fieri, quibus odij & inimicitiarũ semina subnascantur. Id ne fiat; vestra in manu est. Meo ipse munere & functus adhuc quidem sum; & deinceps fungar: neq; meos

ciues male à vestris ciuibus acceptos, atque à vobis indigne habitos deseram. Dat. prid. Id. Quintilis. Anno quarto. Roma.

Decurionibus Eugubinis.

VIII CArolum Gabrielem Ecclesiæ vestræ Præpositum, & Hieronymum Acorambonium doctũ hominem & philosophiæ studijs illustrem optimumq; medicum ciues Internuntios q; vestros ociose audiui: quæq; mihi ij vestris verbis accurate & prudenter exposuerunt, excepi auribus libentissimis. Itaq; vos de vestra in me pietate etiam atq; etiam laudo. Quod verò ad postulationem vestram attinet optimis illam quidem fultam causis & rationibus: dabo operam, vt id, quod petitis, breui consequamini. Reliqua omnia; quibus de rebus ijdem vestri mecum interpretes egerunt; aliud in tempus distuli eo consilio; vt vobis plenius atque vberius satisfieret. Dat. Id. Quintilibus. Anno quarto. Roma.

Matthæo Strozzæ ciui Florentino.

IX CVm ex Æneæ Pio Alfonsi Ducis Ferrariensium procuratore intellexissem nolle te ei gemmas illas restituere; quas apud te esse ipse Dux voluit propterea, vt mihi item eius nomine sponsionem quandam faceres: nisi ego ea de re tuã fidem libero: has ad te literas iussi dari; quibus sciri omnibus ab hominibus volo; tuam me fidem, quam mihi Ducis nomine dederas, liberam solutamq; fecisse: quodq; sponsor mihi fueris Alfonsi Ducis verbis, tibi fraudi nulla in re aut iudicio esse debere. Itaque eas illi gemmas per me quidem reddes, cum voles. Dat. Id. Quintilibus. Anno quarto Roma.

Bernardo Bibienæ Cardinali.

ETsi per mihi gratum atq; iocundum est pro eo amore, quo Iacobum Episcopum Albanum Cardinalem Arborensem prosequor; ipsi melius esse de ea valetudine, qua omnes ei medici mortem allatum iri existimabãt; maximeq; illum cupiam conualescere: ægre tamen fero, commodare tibi me non potuisse de ea domo; quam is in Vaticano ædibusq; nostris habet. Nam quoniã domo illa, quam adhuc quidem inhabitasti, ipse vti volebam: est enim maxime apta ad lætitiam animi & exhilarationem propter mirificam porticum speculasq;, quas habet multas atq; bellissimas: eam ipsam Cardinalis domum, is si vitã functus esset, cogitabam tuam facere: quam esse percommodam perq; amplam sciebam latis spatiosisq; & thalamis & atrio; festiuam etiam & sumptuosam aureis laquearibus & pauimento tessellato: tibiq; magno illam & vsui & voluptati putabam fore vel propter confluentẽ ad te omnibus horis populi multitudinem: vel propter ingrauescentẽ iam ætatem tuam: quæ natura etiam sua lætitijs & hilaritatibus gaudet. Qua re non potest mihi non molestum esse, inuideri tibi eam commoditatem. Sed profecto tibi nos non deerimus: dabimusq; operam; vt quæ prior nostrarum ædium pars elegans vacua erit, ea tua sit. Interea cura vt valeas: vt te saluum & sospitem quamprimum videre possimus. Dat. tertio Idus Quintiles. Anno quarto. Roma. X

Duci Grauinæ.

SCripsit ad me Magistratus meus ex ijs, qui in Latio sunt, te nescio quibus Andreæ atq; Massentio; qui ob suas disceptationes armis dimicaturi sunt; in oppido tuo Nerula locum certamini concessisse. Id cum à Domini nostri voluntate atq; præceptis valde abhorreat, qui pacem, XI

qui animorum concordiam, qui amorem nobis mutuum ante te omnia commendauit: magnopere te hortor; aut si minus hortatu meo commouebere, mando tibi pro eo, quanti me facis; duellum istud tuis in locis fieri ne permittas: sed illorum potius animos, qui dissident, auoces ab ea re autoritate sententiaq; tua; componasq; si poteris. Id & à virtute tua postulatur; & omnes æquum est facere; & mihi erit gratum. Dat. Id. Quintil. Anno quarto. Roma.

Fabritio Magno Rhodi Magistro.

XII QVod tuis me literis de Turcarum Regis apparatu bellico certiorem feci sti; valde mihi gratum fuit: idq; vt quamcreberrime facias; neq; solum quid speculatores tibi tui referãt, aut amicorum literis ad te perferatur; sed quæ rumor ipse dubius sæpe iactet, ea vt mihi significes abste peto; vt quid ille agat, quid paret, quo cogitationes intendat suas, ex te sciri & cognosci possit. Equidem quod assequi coniectura possum, sic existimo; in Asiam illum potius hoc tempore; quàm istuc aut nostras in oras cogitare. Itaque aut contra Sultanum Aegypti Regem, aut contra Sophim Regem Armeniæ puto illum suos exercitus moturum: vt eos; à quibus fere singulis annis premitur; prius aggrediatur atque opprimat: quibus integris nullum tibi, nullum Christianæ Reip. periculum impendere magnopere arbitror. Nam nisi illos, quos habet hostes paratissimos atque audacissimos, & quibuscum bello fere semper est implicitus, antea vel deuicerit, vel debilitarit, vel inducias cum ijs inierit; vires suas in nos atque furorem exercere satis commode profecto non poterit. Tibi tamen sum autor, Insulam vt istam atque oppidum, quod tanquam in ore atque in faucibus est nostrorum hostium, commeatibus, apparatu reliquo, rebusq; omnibus ad repellendum & ad sustinendum bellum idoneis iammunc fulcias, teq; ante compares atque præmunias; ne imparatus offendi possis. Neq; tamen recuso; quin, si accidat vt te Turca velit aggredi; omnes meas opes tibi præsto futuras putes. Volo enim te scire; me pro collegio isto bene de re Romana optime de re Christiana merito omni tempore omnia; pro tua verò & salute & dignitate, vti & prudentis hominis, & optimi fortissimiq; viri, & mihi amicissimi, plurima atque maxima esse facturũ. Itaque bono animo es: valetudinemq; tuam cura; meq; vt facis, dilige; si te scis à me & amari, & fieri plurimi. Dat. xi. Cal. Septemb. MDXVI Anno quarto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

XIII QVod Ludouicum Episcopum Tricaricensium Legatum meũ honestaueris Ecclesia Bellouacorum & locuplete & honesta; valde lætor. Nam cum illum, vt proxime ad te scripsi, magnopere diligam, sitq; is in meis summis atque intimis familiaribus; hæc eius fortunarum accessio, præsertim abste profecta, mihi magnæ voluptati fuit. Itaque sic existimes velim; non te quidem minimum recentis amoris cumulum ad meam veterem in te beniuolentiam tua ista liberalitate addidisse. Qua in re cum mea de illo apud te commendatio tantum valuerit, quãtum ego eam valituram confidebam: efficiam profecto; vt tua item autoritas in tuis familiaribus mihi commendãdis, vel potius omnibus in rebus tantum habere ponderis cognoscatur; vt & ipse videar vinci abste in officio noluisse, & tu lætere meo in homine ornando munificum & liberalem te fuisse. Dat. nono Cal. Septemb. Anno quarto. Roma.

Ludouico Canossæ Tricaricensium & Bellouacorum Episcopo.

XIIII SAne mihi pergratum & periocundum fuit, Regem istum in te augendo voluntatem & liberalitatem suam contulisse. Nam cum te propter tuam excellentem virtutem, nostramq; veterem necessitudinem, & plurima tua in me officia, non solum tuendum mihi, sed etiam honestandum amplificandumq; susceperim: tam illustri & fortunarum tuarum accessione, & Regis in te beniuolentiæ ostensione, mirifice sum delectatus: à quo me beneficium accepisse existimo; tibi cum dederit, teq; ornauerit nec exiguis prouentibus & honesta dignitate. Itaq; & contuli tibi Ecclesiam Bellouacorum libentissime; & reliqua, quæ habes sacerdotia tibi manere volui: vt intelligeres te mihi esse charissimum; excitarereq; ad bene, vt soles, de me in posterum etiam atq; etiam promerendum. Ages autem Regi gratias eo de munere meis verbis, ostendesq; id mihi planè ac vere gratum accidisse: quod ei tamen ipse & nunc ijs libenter ostendi, quas ad illum dedi, literis; & sæpe re cum potero libentius declarabo. Dat. nono Cal. Septēb. MDXVI Anno quarto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

XV REdit ad te Villabramius; quē ad me miseras; quemq; libenter vidi, vt & diligentem hominem, & familiarem tuum. Ei sum omnia, quæ à me petijt, sic elargitus; vt ab ipso intelliges. Reuerti autem hominem at te nolui sine meis literis; quibus tibi significarē meam optimam in te voluntatem magis magisq; indies singulos augeri. Dat. octauo Cal. Septemb. Anno quarto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

PRoficiscenti Venetias Ioanni Georgio Trissino ciui Vi XVI centino; quem quidem propter bonarum artium doctrinam & ~~politiores literas~~ excellentemq; virtutem vnice diligo; mandaui vt tibi salutem nūtiaret meis verbis; tecumq; certis de rebus ageret; quæ cum mihi cordi sunt; tum ~~nostra vtriusq; interest~~ ea confieri: tibi verò etiam honestati atq; gloriæ sunt futura. Dat. prid. Non. Septēb. Anno quarto. Roma.

Federico Archiepiscopo Salernitanorum.

ET si antea de rebus tuis classe ea, cui meo nomine præ XVII fuisti, contra Pœnos gestis abundè ex alijs intellexi: tuæ tamen literæ; quibus ad me singula è bello domū rediens ordine perscripsisti; me magnopere delectarūt. Aliquanto enim plenius ex ijs & liquidius consilia, actiones, impressiones in hostem tuas, difficultates, euentusq; singulorum cognoui. Quæ quidem omnia quoniam magno constantiq; animo, multoq; tuo labore ex nostra dignitate sunt confecta: te de ijs vehementer collaudo; meoq; te beneficio plurimo optimisq; verbis impartior. Hortor autem te ciuitatemq; istam præclaram & fortem: quæ sanè omnibus in maritimis artibus semper excellit: eundem vt animum eandemq; alacritatem parandæ contra eosdem hostes classis in æstatem insequentem retineatis; vt si erit opus, Christianis nominis offensam atque illusam ab illis dignitatem; nostrasq; & nostrorum iniurias cōmuni consilio vindicemus. Dat. decimo Cal Octob. MDXVI Anno quarto. Viterbio.

Franciſco Gallorum Regi.

XVIII IOannem Iordanum Vrſinum propinquum meum, hominem iſtius Regni atq; Regum omnium Italorum ſtudioſiſſimũ, tibi deditiſſimũ, mihi certe multo chariſſimum, omnibus in rebus; quas impetrare abſte non minus confidit pro tua liberalitate animiq; magnitudine, quàm cupiat; ita tibi commendo; vt quicquid vel commodi vel dignitatis in illum contuleris; id omne tam mihi gratum ſit futurum; quàm ſi tantundem in me ipſum contuliſſes. Itaq; vt eius poſtulationes liberaliter excipias, tuaq; bonitate cum iuues; etiam atq; etiam abſte peto. Dat. prid. Cal. Octob. Anno quarto. Viterbio.

Procuratori Cardinalis Seduni.

XIX IOannes Laſcaris Bitantius homo Græcis literis pererus ditus, noſtrarum non ignarus, omnium bonarum artium appetens, bonus plane vir, cupit commodari abſte de ea domo; quam Cardinalis Sedunus herus tuus in Eſquilijs habet, hoc tantummodo tempore; quo is Roma eſt abfuturus: Idq; ea de cauſa vult; vt dum ego hic autumni calores & Romanum cœlum deuito; ipſe iſtic & pulcherrimarum ædium elegantia, & hortorum amœnitate & ſylua viridiſſima ſuis cum libris oblectare ſeſe poſſit. In eo ſi illum iuueris; erit mihi gratum: idq; vt facias te hortor. Dat. prid. Non. Octob. Anno quarto. Viterbio.

Franciſco Gallorum Regi.

XX PErdiu eſt; cum Rolãdum Palauicinũ hoſpitem meum rectum & probum hominem valde diligo. Ei quoniam intelligo negotium & moleſtiam per tuos miniſtros parari in poſſeſſione oppidorum Zibelli & Rochæ Blanchæ; te hortor vel etiam abſte peto, mandes, nequid ei

aut damni aut laboris contra æquum & fas inferatur: habeasq; hominem tum hac, tum cæteris eius in rebus commendatum mea cauſa. Dat. tertio Non. Octob. Anno quarto. De Faliſcis.

Petro Nauarro Cantabro.

EX Ferrandi familiaris tui oratione intellexi te magno XXI deſiderio teneri contra Chriſtiani hoſtes nominis virtutem tuam mihi nauandi; rogareq; ea de cauſa nos; vt in paranda ad id claſſe opem tibi noſtram ſubminiſtremus. Equidem valde lætor te tam laudabili voluptate curaq; affici; vt de omni Chriſtiano nomine bene mereri ſtudeas: teq; de eo & præſtantiam iſtam egregiam in rebus bellicis tuam, mirificamq; pietatem & religionem ſummopere & amandam & collaudandam puto: nihilq; profecto eſt, quod tibi publice non deberi exiſtimem. Quod verò ad petitionem tuam attinet: ſcire te volo, id ipſum nos hoc anno ſummo ſtudio & diligentia curauiſſe; duasq; claſſes magna impenſa Neapoli alteram, Genuæ alteram parauiſſe. Quod ſi alio tempore hanc aggredi prouinciam ſtatueris, & me commonefeceris; dabo operam, vt tibi, quantum fieri poterit, ſatisfiat. Dat. Non. Octob. Anno quarto. De Faliſcis.

Guillelmo Gallo Medico.

QVod me certiorem feceris noſce te locum quendam XXII in agro Centumcellarũ; in quo theſaurus ſit abſcõditus perantiquus; polliceriſq; te mihi illũ repertum; ſi tibi & terrã fodiendi poteſtatem, & eius theſauri partem aliquam fecero: etſi agnoſco credulitatem inanemq; ſpem tuam; neq; me fugit; quàm hæc lenia fallaciaq; ſint: tamen vt ijs, qui me pro te hoc rogant, magnis illis quidem & claris viris mihiq; chariſſimis ſatisfaciam;

fodiendi vbi voles eo in agro tibi facultas esto edicto meo; quod valere mensem integrum volo; tecumq; dum fodies, Centumcellarum Decuriones bini sunto. Dat. sexto Id. Octob. Thuscanella.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanensium.

XXIII Multi ad nos detulerunt in Fräciſci Mantuæ domini ditionem eo, quo Veronam ſpectat, latere à Regijs militibus vaſtitatem iam prope inductam eſſe cæſis arboribus, incenſis villis, comprehenſis & multatis colonis, ciuibus aut magno pretio redẽptis, aut in cuſtodias abductis; eaq; de cauſa cũ Franciſcum ipſum, tum eius municipium omne magno in luctu atq; mœrore verſari. Quam quidem indignitatem eo iniquiore animo ferimus; quòd te atq; illos non latebat & ipſum & eius populos dudum ſub noſtra & Reip. tutela eſſe receptos: vt facile appareat à Regijs & Præfectis & miniſtris nullam noſtri, nullam Reip. habitam fuiſſe rationem. Sed acta quæ ſunt; ea reprehendi facile poſſunt: reuocari & reſtitui non poſſunt. Itaque quod ſupereſt, ſi curabis vt à Regis tui exercitu nullum vlterius damnum, nulla iniuria Mantuanis inferatur: & quod te decet, feceris; & mihi minus magnam anſam dederis vel de te atq; illis apud Regem, vel de Rege tuo apud Reges reliquos conquerendi. Dat. Idibus Octob. Anno quarto. Grauiſcis.

Raphaello Medici.

XXIIII Quoniam certior factus ſum Carolum Regem, qui adhuc in Gallia ſe cõtinuit, profectionẽ ad Hiſpanias ſuam in prima veris tempora diſtuliſſe: ne is Internuntio noſtro diutius careat; mãdo tibi, cuius prudentiã facile perſpexi, vt meum hominẽ apud illum

illum agas, tractesq; mea negocia ea fide atque diligentia; quam & abſte amor in te meus poſtulat, & te allaturũ pro tua probitate & noſtra propinquitate plane confido. Dat. xi. Cal. Nouemb. Anno quarto. Palo.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

XXV Cogitantem me quidem certe iam inde ab initio Regni tui mittere certũ aliquem ad te meum interpretem; qui & tibi de adeptis abſte Regnis Regioq; nomine meis verbis gratularetur; & apud te, qui mihi es, vti debes, plane chariſſimus, mea negocia tractaret; quæq; ad te & ornandum & amplificandũ pertinerent, in ijs autoritate mea fultus eſſet: ea res tenuit; quod ſtatim te in Hiſpaniam tranſmiſſurum & nuntijs & literis & rumore ipſo afferebatur prope quotidie. Itaq; cum ibi noſtros homines probatos nobis viros haberemus; eis mandauimus; vt cum ad Hiſpaniã appropinquare te intelligerẽt, tibi obuiam progreſſi eo apud te munere fungerẽtur. Nunc autem cũ intelligamus eam te profectionẽ in prima veris tẽpora reieciſſe: ne diutius, quàm & ipſi volumus, & amor in te meus poſtulat, homine noſtro careas; Raphaello Medici propinquo meo viro mihi & grato & probato; qui nũc iſtic eſt, verſaturq; tua in aula familiariter; ſcribo; vt quoad tu proficiſcare, Internuntiũ meũ apud te agat: quem quidẽ propterea quòd eſt obſeruantiſſimus & ſtudioſiſſimus tui, gratũ tibi & optatũ fore cõfido; vtq; ſit, ſi adhuc fortaſſe minus eſt; aut ſi eſt, vt multo ſit magis; & ei meis te verbis alloquẽti fidem habeas, abſte peto. Dat. xi. Cal. Octob. Anno quarto. Palo.

Brixellanis.

XXVI Intellexeram his diebus proximis magnas inter vos & Fiſci Mediolanenſis Magiſtros altercationes extitiſſe ijs de rebus; quarum illi rerum pretia fiſco deberi exiſtima-

bant. Earum controuersiarum cum me arbitrum vtrique delegeritis; hoc statuo, vos municipiumq; vestrum ripamq; istam Padi ad earum rerum solutionem fisco teneri; de quibus Atestini Regni tempore more atq; consuetudine tenebamini sic; vt aut ad plus eo fisci nomine præstandum & fisco inferendum cogi, aut minoris absolui nequeatis: quo ad aliud per nos mandabitur. Dat. xij. Calend. Nouemb. Anno quarto. De Centumcellis.

Cardinali Toletano.

XXVII Magna molestia tua nos literæ affecerunt: quibus scripsisti eum, quem cõtra communeis nostros hostes in Aphricam exercitũ trãsmiseras, ab Aphris atq; Turcis reiectum & fugatũ magnã plagam apud Algerem accepisse. Te tamen animo fractum non esse; neq; quicquam de tuo ardore & diligentia eam ob causam esse detractum. Quæ quidem tua cõstantia & fortitudo dolorẽ meum multo leuiorem fecit. Sic enim existimabã; si te ipse nõ contraxisses, & spem vincendi nõ abiecisses; fore, vt breui hæc ipsa res secundior multo maiorẽ luctũ & diuturniorem tuis hostibus pareret. Sed auxit eundem illũ statim dolorẽ meum atq; molestiam Turcarum Regis contra Sultanum Ægypti Regem recens mirificaq; victoria: de qua & te arbitror cognouisse, & ipse his diebus cognoui: tum eiusdem Regis duocentarum longarũ nauium classis; quam illũ habere paratam dicunt, qui illuc veniunt. Sed hæc Dominus moderabitur. Te autem etiam atq; etiam hortor; vt quando hoc tuo parando mittendoq; exercitu magna tua diligẽtia, maiore impensa confecto maximam verissimamq; gloriã apud omnes homines optimi fortissimiq; principis, apud nosq; in primis tibi ipse comparauisti; magis etiam ad eosdem hostes opprimendos & profligãdos, Remq; p. Christianam iuuandam

pro virili tua iterum atq; sæpius te accendas & pares: atq; in hac quidem causa dignum te, dignum tua virtute, dignum etiam autoritate ea, quam tibi Resp. dat, animũ, quid dicam sumas; qui tantam iam rem egeris? Sed tamen illum ipsum, quem sumpsisti multo antea, magnũ & fortem animũ vel retineas diutissime, vel augeas. Nam quod ad insequentem annum attinet; esse nobis exploratum potest, vere muto mare nostrum omne Turcarum classibus plenum fore. Itaq; nos neq; desistimus reliquos Christianos Principes magnopere hortari; vt se ad capescendum cõtra Turcas bellũ in tempore comparẽt: neq; si quid erit, in quo iuuare ipsi causam tam sanctam bonisq; omnibus tam expetitam possimus; non id sumus libentissime iam nunc, si expediat, præstaturi: modo vnũ omnes sentiant: vnum sibi & tentandum & conãdum & perficiendũ putent. Sed vt ad te exercitumq; tuũ redeam; & doleo tuas cogitationes atq; conatus in communem vtilitatem susceptos non multum profuisse; & lætor tui te studij & voluntatis hoc accepto incommodo nihil remisisse. Dat. quarto Non. Nouemb. Anno quarto. Roma.

Ludouico Firmano & Hieronymo Brancadoriæ.

XXVIII Quæ ad me perferri de Præfecto Hispano curauistis; qui à vobis captus accepto in femore vulnere in vestra custodia est: ea libenter cognoui. Is cum eiusmodi sit; vt quæri ab eo facinoris causa recte possit; mãdo vobis, & vt in eo curando nihil operæ aut diligentiæ ab vllo vestrũ prætermittatur sic; vt ad sanationẽ quãto celerius fieri potest, si modo potest, perueniat: & vt restitutus elabi vestris è manibus nõ possit, cautio per vos adhibeatur. Quod si isto in loco atq; custodia seruari tutissime non potest: volo, vt aliquò, vbi nihil eiusmodi timeatur,

perferri hominem iubeatis. Vtrunq; enim & viuere, & cu stodiri illum valde cupio. Dat. tertio Non. Nouemb. Anno quarto. Roma.

Palauicino Antonii Mariæ Palauicini filio.

XXIX



Consola toria

QVod patrem tuum magnum & clarum virũ proximis diebus amiseris; tum tua causa vehementer doleo, tum mehercule etiam mea. Nam & tu illius viui hoc ipso tempore maxime indigebas: & ego eum summopere amabam; & ille me colebat plurimum. Omnino neque vir melior, nec mei amantior quisquam fuit. Itq & tu patre optimo, & ipse homine amicissimo priuatus sum: vt te separatim consolari cum magnopere cupiam, non possim. Sed est profecto illa consolatio proposita omnibus; qua nobis non vti turpissimum est; vt quando Deus Opt. Max. hunc illi vitæ finem atq; laborũ voluit esse: nomen quidem atque memoriam optimi clarissimiq; viri & retineatis ipsi; & posteritati etiam mandandam literis & monumentis statuatis. Nihil autem cum illo mali actum existimetis; quem Dominus ~~tanquam è carcere, sic ex hac corporis compagine atque vinculis euolare iusserit~~ ad se. Nobiscum si male actum est; id feramus æquo animo; & Dei voluntate, qui nihil mali vult, nostrum desiderium leniamus. Quod te in primis facere sanè velim. Ego, si quid est; quo mederi tuo vulneri, aut reponere parte aliqua iacturam istam possim; id tibi omne polliceor: amoremq;, quo patrem tuum sum vita fruentem prosequutus, in te libenter transfero. Tu modo & tanto patre te, & amore meo dignum præsta. Dat. Cal. Decemb. MDXVI Anno quarto. Roma.

Galeatio Palauicino.

XXX

ANtonium Mariam Palauicinum fratrem tuũ egregium præstantemq; hominem cum aliis multis de causis planè doleo vita functũ esse: tum propterea, quod quanti te facerem, vnus ipse optime omnium intelligebat. Nam cum mihi tecum neq; vetus neq; magna familiaritas intercessisset propterea, quod non sæpe neque multum vnà fuimus; cum illo qui Romam ad me crebro veniebat, sum de te sæpenumero ea loquutus; quibus illi ostenderem te mihi esse charissimum; dignitatemq; tuam à me fieri plurimi. Itaque graui teste priuatus sum amoris summi erga te mei summæq; beniuolẽtiæ illo mortuo. Sed hoc leuius. Non enim vereor, ne tibi sæpe declaraturus sim per me ipse meã in te voluntatem meumq; animum. Illud grauius; multum te, multum eius filium Palauicinum, multum propinquos reliquos gentemq; omnem vestram atque familiam in eo viro, præsidij, multum etiam splendoris amisisse. Sed hæc ipsa etiam propterea, quòd humana sunt, æquo & forti animo sunt ferenda, homini præsertim magno, vt tu es, & multarum rerum atque euentorum experientia prædito. Quod sanè facit, vt in te consolando minus operæ insumendum putem; quod te existimo pro tua prudentia & magnitudine animi Deorum immortalium voluntatem tuam ipsius voluntatem iam fecisse. Reliquum erat, vt tibi pollicerer; quæ fratre tuo, si viueret, petente & rogante facerem; ea me omnia vel eius filij, vel tua causa omni tempore esse facturum, amoremq; meum, quo illum complectebar, in vos ambos conuersurum. Sed id malo vos re, quàm verbis cognoscere. Extremum est; vt Palauicinum ipsum orbum patre maximo fratre tuo filij loco tibi habendum putes. Ita enim & quod te decet feceris; & quod præstare amor fra-

ternus debet; & quo mihi esse gratius atque probatius nihil potest. Dat. tertio Non. Decemb. Anno quarto. Roma.

Marchioni Montisferrati.

XXXI Quod me rogas; vt & tibi permittam, vt Iulium Medicem Cardinalem fratrem patruelem meum tuarum rerũ procuratorẽ apud me facere possis; & illi mandem, vt eam curam suscipiat: alterum tibi do, vt cum voles, facias: alterum perfeci ipse hodie bene mane; cum me ille, vt quotidie solet, prima luce salutauisset; iussiq; eum procuratorem tuum agere. Neque enim decet quicquam te à me rogantem non impetrare. Id tua tuorumq; maiorum virtus, atq; in me meamq; familiam fides studium beniuolentia postulant. Dat. octauo Id. Decemb. Anno quarto. Roma.

Focaris Mercatoribus Germanis.

XXXII Aliquandiu est; cum ad nos nõ tantum infecti argenti transmittitis, quantum soletis, quantiq; indigemus. Ita sæpe fit, vt cum ad cudendos numos, tum ad alia publice priuatimq; conficienda ea materia vrbẽ deficiat. Quare hortor vos operam adhibeatis; vt infecti & probi argenti plus ad nos, quàm nunc fit, & quantũ opus est afferatur. Erit id vobis perutile; quibus precia sine dilatione à Quæstoribus Vrbanis curabuntur: & nobis, qui in vestra diligentia conquieſcimus, planè gratum. Dat. prid. Id. Decemb. MDXVI Anno quarto. Roma.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanensium.

XXXIII Vestus est apud me per Legatum suum Leonardus Lauredanus Venetiarũ Princeps, sex naues sale onustas, quod is ad suas in Gallia vrbes mittebat, à Regis tui ministris in Padi ripa detentas esse. Qua in re, quod ad me attinet; scire te planè volo, mihi id displiciuisse; neq; me vnquam voluisse vt eæ naues retinerentur. Ita quæ si procedere illas sine vllo impendio permiseris; erit mihi gratum: idq; vt facias, te hortor. Dat. x. Cal. Ianuar. MDXVI Anno quarto. Roma.

E. N.

XXXIV Gratæ mihi vestræ literæ fuerunt bis iam ad me per tabellarios vestros allatæ: quibus me de Turcarũ Regis bello Aegyptiaco deq; rebus ijs certiorem fecistis. Gratã etiam ea; quæ ad Dominicum Allegretum super eisdem rebus scripsistis; quæ quidem ille statim omnia, vt iusseratis, ad me detulit. Itaque de ea vestra diligentia atque officio planè vos collaudandos censeo. Hortor etiam; vt ea in re studia vestra ne remittatis: vt quid ille agat, quid cogitet, quò se vertat, quid moliatur, per vos, vt adhuc quidem feceritis, scire deinceps possim. Nam ea mihi & vera & certa erunt; quæ à vobis afferentur. Cæterum quod res vestras mihi summo studio commendatis; dabo operam; vt, quod ex Reip. dignitate fieri possit, eas commendationes vestras & ratas & probatas me habuisse intelligatis. Dat. tertio. Non. Ianuar. MDXVII Anno quarto. Roma.

Ioanni Georgio Trissino vicentino.

XXXV Quoniam opera & diligentia tua atq; virtute certis in meis & Reip. rebus vti quamprimum volo; quarum rerum causa te vt alloquar, magnopere oportet: mando tibi; vt, quod tuo cõmodo fiat, Leonardo Lauredano Principe Venetiarum salutato ad me confestim reuertare. Dat. Non. Ianuariũ. MDXVII Anno quarto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

XXXVI AQuilas quatuordecim ambus capiẽdis idoneas; quas mihi Adulfus Vandra familiaris tuus attulit; Regium ſane munus libenter, vt debui, accepi. Et ſunt enim miræ pulchritudinis, & abſte; quem ego mihi filij loco eſſe duxi: eius præterea generis; quod omnium & nobilius eſt & rarius: vt neq; multæ vllis in locis capiantur: neq; ſæpe ad nos veniant. Tu verò vno munere tot miſiſti; vt exiſtimem earum capiendarum artem aliquam te callere. Niſi forte ipſæ ſponte ſua omnibus è regionibus iſtò conuolant; vt abſte capiantur, tibiq; ſeruiant. Quod ſi eſt; tu eis male gratus fuiſti, qui ad me miſeris. Sed omnino extra iocum, mallem tibi eas retinuiſſes, quã mihi miſiſſes: Quippe, quæ tibi voluptati multo magis fuiſſent, quàm mihi erũt: qui tantummodo cum autumni Romanum cœlum fugio, valetudinis interdum cauſa venatione aucupioq; me oblecto, vel eos potius, qui mecum ſunt: vt iocundior per agros vagatio & delectabilior nos diutius in labore viæ teneat. Tu verò adoleſcens & Rex; vt multas horas omni tempore conſumere arbitratu tuo poſſis; eis & ſæpius vſus fuiſſes, & vtilius; addo etiam & decentius. Quod mihi tamen munus ipſum tuum multo charius atq; amabilius facit: cum eo te defraudes ipſe, qui vti recte potes; vt mihi des, qui non poſſum. Et quoniam belliſſimæ, vt dixi, ſunt: dabo operam, vt aliquo te remunerer munere. Interea vale bis; nosq; vt facis dilige.

Dat. quarto. Id. Ianuarij.

MDXVII

Anno quarto. Roma.

Petri Bembi epiſtolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine ſcriptarum LIBER XIIII

Alfonſo Duci Ferrarienſium.

I INTELLEXIMVS Frãciſcum Mariam Ruuerem, Vrbinatium olim Ducem, cui ſacris interdictũ eſt, Hiſpanorum peditum manu coacta iter per tuam ditionem eſſe facturũ; vt ad noſtra municipia perturbanda nouasq; res moliendas pertẽdat. Ego tametſi te pro tui muneris partibus id ei non permiſſurum puto volui tamen ad te ſcribere, monereq; te; vt Franciſco Mariæ Hiſpanisq; peditibus loca noſtra tentaturis nihil opis des; nullum prorſus commeatum præbeas; ſed itinera potius claudas; arceasq; illos à Padi ripa tum abductis nauibus, tum flumine communito: nec eos ſinas opportunitatem vllam tuis ex locis ad tam ſceleſtos auſus exercendos Remq; pub. perturbandam poſſe nanciſci. Id ſi feceris, quod te facturum confido; erit nobis vehementer gratum: dabimusq; operam, vt bene te de nobis eſſe meritum lætere atq; gaudeas. Sin aliter ſtatues tibi eſſe faciendum; ſcire te volumus nos id ægerrime moleſtiſſimeq; laturos. Quemadmodum ab Internuntio tuo, quicum his de rebus loquuti ſumus, latius intelliges. Dat. xiiij. Cal. Febr. MDXVII Anno quarto. Roma.

Maximiliano Rom. Imp. desig.

II ET ex Legati tui literis, & ex mei sermone; quæ hoc tempore Franciscus Maria Vrbinatium olim Dux, cui quidem igni & aqua interdictum est, in nos Remq; pub. moliatur; intelliges. Ea tametsi existimem cum exitum habitura, quem par est tam scelesta initia consequi: omnem tamen meam cogitationem, omnẽ curam adhibeo, vt nẽquid ab illo incommodi Resp. accipiat. Itaque etiam atque etiam te & hortor & rogo; vt quando ipse primariam aduocationem rerum Romanarũ sustines; quibus opibus melius atq; celerius potes, & nobis præsto sis, & nostris hostibus ire obuiam pares. Plura non dicam; ne vel docere te videar hominem summa prudentia summaq; rerum experientia præditum; vel diffidere probitati tuæ; quo nemo melior vir, nemo sanctior unquam fuit. Vnum dicam; si ad priora tua multo maxima atq; plurima in Remp. officia hoc adiunxeris, vt ei hoc tempore opem atq; auxilium feras: & ipsam tibi magnopere obstrictum & deuinctum tri; & te ex eo fructus vberrimos atq; pulcherrimos esse capturum, hominum laudem & gloriam sempiternam. Dat. nono Cal. Februar. M D X V I I Anno quarto. Roma

Præfecto militum Hispanorum.

III EX sermone Stephani Camporemiri de optimo vestro in nos animo quæ volebamus ferè percepimus. Quæ de re etiam atq; etiam vos collaudamus; sciteq; volumus istud vestrum in nos studium mirificamq; voluntatum propensionem nobis planè gratum accidisse. Itaq; quoniam vestrarum rerum & petitionum causam Laurentio Medici fratris mei filio Vrbinatium Duci tractandam & cognoscẽdam remisi: hæc adscripsi; vt sciretis, quicquid ab eo ijs de rebus postulationibusq; vestris statuetur; id mihi omne ratum & probatum fore. Dat. octauo Cal. Februar. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Episcopo Pacensi.

SCribimus Carolo Hispaniæ Regi de Francisci Mariæ IIII Ruueris, olim Vrbinatium Ducis subita in Reipub. vrbes impressione ea; quæ scribenda sunt; quæq; tu ex ipsis nostris ad eum literis intelliges. Cum verò te propter tuas plurimas excellẽteisq; virtutes summopere amem, putemq;, cum Episcopus sis, atq; huius Reipub. magistratum geras; eam tibi eiusq; dignitatem & maiestatẽ pro tua probitate & fide magnæ curæ esse: peto abste; vt eiusdẽ Reip. apud Regem tuum tuendæ atq; defendendæ causam suscipias: desq; operam, vt quanto celerius quantoq; fauorabilius fieri potest, negotium transigatur, nobisq; respondeatur. Id erit nobis vnice atq; summopere gratum: teq; ipse bene officium & diligentiam tuam posuisse, cum se occasio dederit, facile cognosces. Sed si me amas, age, cura, perfice; vt res ne differatur. Hoc in te atque in tua erga nos voluntate pietateq; reponimus. Dat. nono Cal. Februar. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Francisco Gonzagæ Marchioni Mantuæ.

V ET si tua in nos fides plurimis maximisq; in rebus multo ante nobis perspecta est & cognita: tamen quæ nouissime præstitisti officia fidei amoris diligentiæq; plenißima; ea nobis multo maxime & grata & iocunda acciderunt: deq; ijs, quantum plurimum laudari quis & recta sentiens & honesta persequens debet; tantum te esse ro meritis atq; verißimis laudibus. Itaque has ad te literas dedi, cum vt scires te ad vetera tua de nobis merita magnum cumulum nouorum officiorum adiecisse: tum vt te hortarer; etsi id minus necesse est, vt insisteres, qua nunc

quidem pergis, viam: adderesq; tibi ipse quasi stimulum ad ea, quæ cogitas, quæq; facis, etiam ardentius & constantius vsquequaq; persequenda. Id erit mihi tam gratum, vt eius rei memoria meo ex animo deleri nũquam possit. Quod re, cum opus erit, cognosces. Reliqua ex Alexandri procuratoris tui literis intelliges. Dat. octauo Cal. Februar. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Octouiris Reip. Florentinæ.

VI Etsi ex Laurentio Medice fratris mei filio, quãm nobis gratu, quamq; iocunda fuerit diligentia alacritasq; vestra in parandis promendisq; ijs, quæ opus erant ad repellendos comprimendosq; nepharios Franciſci Mariæ conatus atque impetus, cognoscere potuistis: tamen cum postea & quidem singulis prope horis intellexissem & diligentiores vos & ardentiores ea in re quotidie fieri, ac nihil prætermittere eorum; quæ ad vestram primũ, deinde nostram dignitatem tuendam pertinerent: nõ potui, aut etiam non debui continere me; quin is apud vos literis testarer, probari à me vehemẽter officia omnia studiaq; vestra: nihilq; esse tam magnum atque arduum; quod non se à me impetraturam ciuitas vestra confidere facile possit. Quod cum ita sit; hortor iam liberius vos; vt, quod superest, pergatis etiam reliqua, quo cœpistis animo atque ardore persequi: existimetisq; nostras res dignitatem, autoritatem vobis maxime omnium sustinendas & tuendas esse. Quemadmodum nos quidẽ certe vestras res ita tuemur, semperq; tuebimur; ac si nostræ ipsorum essent. Neque enim secũdum Dei Ecclesiam Remq; hanc pub. vel esse in vlla quicquam nobis debet, vel planè potest nostra patria charius. Dat. septimo Cal. Februar. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi.

EXploratum tibi puto esse, quo amore atq; beniuolen- VII
tia fuerimus in Antonium Mariam Palauicinum: quamq; illum in arctam atq; intimam domus nostræ familiaritatem & necessitudinem admiserimus. Eo ab hac manis sublato meam in illum charitatem ad Palauicinum eius filium, quem quidẽ vnicum reliquit, libentissime transtuli, eumq; & tuendum, & fouendum, & ornandum mihi omni genere & officij & liberalitatis & planè beniuolentiæ suscepi. Quod cum ita sit: Ille autẽ fortunas suas omneis in ditione tua Ducatuq; Mediolanensi habeat: etsi prope compertũ nobis est pro tuo magno regioq; animo, proq; patris in te sui studio & fide, proq; laboribus plurimis atque maximis te mandante susceptis; illum tibi per sese satis iam commendatũ esse: volui tamen pro meæ etiã pietatis officio à te diligenter petere; vt omnibus illũ in rebus, quibus in rebus opus ei erit, gratia auxilio liberalitate tua; habeas mea causa & rogatu etiam commendatiorem. Erit id cum mihi mirandum in modũ gratum; tum tibi etiam laudi; necessarium & familiarẽ meum, tuũ hominem; cuius pater, dum tibi obtemperat ac præsto est, mortem obierit; tua te liberalitate atq; beniuolentia in primis tueri. Dat. quinto Cal. Febr. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Ceurio.

EX meis ad Carolum Regem tuum literis, quãm mihi VIII
gratum fuerit in despondenda Maria Constãtia Maneriana Annibali Rangoni equitum cohortis nostræ Præfecto voluntatem illum suam adhibuisse, facile perspicies. Id tu quoq; illi non solum vt confirmes, sed etiam vt augeas, abste requiro. Veruntamen quoniam à Regijs, qui apud me sunt, Legatis ei rei mora quædam interponitur;

neq; possumus qua de causa id fiat, interpretari: petimus more nostro abste, agas apud Regem, atq; afficias; vt quod semel velle se per literas mihi significauit, id aliorum inductu ne mutet. Esset enim eiusmodi voluntatis illius commutatio mihi multas ob causas apprime atq; summopere molesta. Plu ribus tecum verbis non agam: ne vel Regiæ fidei, vel tuæ virtuti videar diffidere. Si quid autem præterea erit, quod te scire opus sit; de Raphaello Medice familiari meo id co gnosces. Dat. prid. Cal. Feb. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Fabritio magno Rhodi Magistro.

IX ET gratum mihi tuum studium fuit; quod, vt mihi nos tos faceres Turcarum Regis inopinatos progressus, scribendis ad nos literis adhibuisti ijs, quas ad diem xv. Cal. Nouembris dederas: & cura vigilãtiaq; tua in mu niendaista Insula, de qua me certiorẽ facis, vehementer mihi probatur. Enimuero nec abste quicquam optatius contingere nobis potest; quàm ita te animatũ esse ad societatem istam atq; ordinem vnà cum Rhodo ipsa contra illorum conatus, si acciderit, fortiter atq; viriliter defendendum: nec minora de te quidem nobis ipsi pollicebamur; cum ad ea mentem & cogitationem nostram conuertebamus. Perge igitur magno erectoq; animo, vt facis, de vniuerso Christiano nomine be ne mereri. Nam etsi existimem hoc sane tempore Turcarum Regem aliò vires suas conuersurum: est tamen tuæ pru dentiæ ea comparare, ita te instruere; quasi ille ad te oppri mendum neruos omnes intendat suos; omnes cogitationes istò conferat, omnem conatum: vt si quis casus in tua da mna Turcas armauerit; ij te imparatũ non offendant: teq; Dominus tanquã vigilantem agricolam suæ isti colendæ vi neæ arcendisq; ab ea furibus cum cognouerit; meritos tibi

laborum tuorum fructus vindemiamq; affluentem paret. Quod ad me attinet: omnibus ijs in rebus, quas ad res opem auxiliumq; meum expetis, quoad fieri recte poterit, libentis sime satisfaciam: quemadmodũ ab ijs, qui apud me sunt, pro curatoribus tuis latius intelliges. Tuam enim societatisq; tuæ salutem, incolumitatem, dignitatem proxime facio, fructu rusq; semper sum; ac huius ipsius Reip. atq; nostram. Idq; & scire te, & collegio isti tuo meis verbis polliceri sane vo lo. Quod autem me hortaris, vt ad omnium Christianorum Regum pacem conciliandam animum adhibeam; vt possi mus in communes nostros hostes nobis acriter imminentes aliquando tandem arma nostra conuertere: scire te plane vo lo, nihil me aliud dies atq; noctes cogitare; nihil omni mea cura, diligentia contentione precibus denique omnibus moliri ac niti; quàm vt hoc ab illis consequar: & perare etiam mode ratore & adiutore Deo cogitationes eiusmodi & contentio nes meas in tempore profuturas. Tu velim me cum de Tur carum molitionibus tum de tuis rebus; quantum quidem lo corum longinquitas & traijciendi tempestates patientur; quamcreberrime certiorem facias. Dat. prid. Calend. Febr. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

X CVm intellexisses superioribus mensibus cupere nos, vt quæ prima Ecclesia vberior tuis in Regnis Pontis ficem amisisset; de ea Bernardus Bibiena Cardina lis honestaretur, per nosq; augeretur: liberalissime nobis per literas significauisti; si, quod cupiebamus, confecissemus; id tibi ratum & probatum fore: præsertim cũ scires Ferdinan do Regi auo tuo idem etiam placuisse, nobisq; illum signi ficauisse. Hæc tua liberalitas eo nobis gratior fuit; quod pri mis nostris ea de re sermonibus cum Legato tuo habitis

id, quod dico, tribuisti: neq; voluisti nos multum operæ eo petendo beneficio insumere. Quæ cum ita sint Ecclesiæq; Caurien sis, quæ in tuo Hispaniæ regno est, Pontifex mortem obierit: de fratrum nostrorum E. R. Cardinalium consilio Ecclesiam Caurien sem Bernardo Cardinali cõtulimus existimantes te, vt pollicitus fuisti, quicquid egissemus, libentissime comprobaturum. Id si ita, vt volumus acciderit, erit nobis tam gratũ, vt nihil possit esse gratius: sin aliter se res habuerit; vt quidam non belli iam homines dictitant; mirabor: præsertim cum scias ea nos in re pro Cardinali optime de nobis merito, neq; solum vetere vsu beniuolentia fide stus diis officiis coniuncto, sed etiam ab ineunte ætate nobiscum educato laborare; quiq; præterea duorum clarissimorum hominum auorum tuorum Maximiliani & Ferdinandi stu dioſissimus amantissimusq; semper fuerit, nõ secus ac si ipse vnus ex vestra gente fuisset: vt iam nõ te modo id mihi permissurum facile quilibet non ineptus existimarit; sed plane etiam gauisurum fuisse, occasionem tibi dari magnum & prudentem & summo ingenio summis facultatibus virum, deq; vobis optime meritum, maximeq; gratũ hominem promerendi. Quæ cum ita se habeant; tu minus vereor, ne sis fidem mihi tuam præstaturus. Itaq; familiarius iam abste peto; mandes; vt Episcopatus Caurien sis possessio Bernardi procuratoribus sine mora tradatur: vt tua & in illũ liberalitas illustrior, & in me obseruantia testatior appareat; & ego tibi amplius atq; prolixius debeam. Dat. iij. Id. Feb. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Ceurio.

XI EA, quæ à Carolo Rege tuo in re Bernardi Bibienæ Cardinalis peto; ipse de meis Legatis intelliges. In iis cum & ipsius Regis fides interposita sit, & voluntas maxima

maxima atq; iustissima versetur mea; non dubito, quin ab eo sim facile omnia & sine vlla mora impetraturus. Sin vero aliter se res habuerit; te hortor ita apud illũ agas, vt impedimẽta omnia ea in causa reijciantur. De eo tibi ego haud multo certe minus, quàm ipse Cardinalis debebo: qui tibi tamen omnia sane debebit: vel vtriq; potius debebimus. Dat. tertio Id. Februar. M D X V I I Anno quarto Roma.

Maximiliano Imp. desig.

AGet tecum meis verbis Thomas Legatus meus in re XII Bernardi Bibienæ Cardinalis cũ magni certe præstantisq; hominis, & mihi familiarissimi planeq; coniunctissimi; tum tui, vt scis tam cupidi; nihil vt illo possit esse in te amando & colendo ardentius. Plura me ad te scribere non oportet: qui quamleuissima tuorũ familiarium commendatione omnia tua causa facio. Totam rem ita tibi commendo; vt me abste beneficium accepisse sim existimaturus; si is id, quod petit, à Rege Carolo nepote tuo per te consequetur. Dat. tertio Id. Febr. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Matthæo Cardinali Gurcensi.

ETsi existimem non necesse esse, vt res & fortunas XIII Bernardi Bibienæ Cardinalis Maximiliano magno pere commendem: cuius percelebris perq; vetus in illum obseruantia studium amor exposcere iure prope suo videntur, vt ipse aliorum commendationis apud Cæsarem non egeat: Feci tamen id per literas diligenter, per Legatos autem meos multò etiam diligentius: cum cuperem, vt si quis casus ferret, vt Cardinalis in Ecclesiæ Caurien sis, cui hodie illum præposui, possessione à Carolo Hispaniæ Rege assequenda difficultatis aliquid experiretur; Cæsar in eo inter-

poneret autoritatem apud nepotem suam; remq; ex mea & Cardinalis voluntate conficeret. Nũc autem, quod superest, & si minus necesse est pro homine tibi deditissimo, tui studiosissimo, tuorum bonorum cupientissimo, tui prætereà ordinis me apud te agere: tamen quantum maxime possum, te hortor; velis, si erit opus, atque vbi erit, eius causam apud illum tueri atque suscipere, quoad is voti compos per te fiat. In quo tum Cardinali Cæsar maximum beneficium fecerit: tum sibi ipse apud omnes homines beniuolentiæ plurimum comparârit. Nemo est enim cui non cognita perspectaq; sit Bibienæ in illum obseruantia plurimis maximisq; officiorum testatu generibus, planeq; comprobata. Ego verò vtriq; vestrum debere me facile profitebor; ipsi, qui apud Carolũ Regem; tibi, qui apud illum egeris, vt fieret vtriq; nostrum satis. Dat. tertio Id. Feb. MDXVII Anno quarto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

XIIII VEnit ad te Ioannes Bernardinus Montorius homo tuus pro fortunis quibusdam suis abste recuperandis. Is quoniam existimat paruo se negotio, quæ cupit, mea commendatione abste impetraturum; facile pro meo in se amore mihi persuasit, vt se tibi commendarem. Quare erit mihi certe gratum; si te is liberalem suis in rebus experietur. In quo etiam illud consequere; vt hominem tibi iam tum sua sponte, tum quod in imperio tuo est, sane deditum, tuo beneficio tibi deuincies. Dat. prid. Id. Februar. MDXVII Anno quarto. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XV EX Caroli Regis tui literis cognoui id; quod cum mihi vnice gratum accidit; tum fuit nostræ in illum beniuolentiæ & spei, quam de illo cõceperam, magnopere

consentaneum; velle illum scilicet; tibiq; mandare; vt quibuscunq; in rebus ipse auxilium tuum requireret ad nepharios Franciſci Mariæ in nos Remq; p. conatus aq; impetus compescendos; mihi præsto esses: quemadmodum ex ipsius ad te Regis, Legatorumq; regiorũ literis intelliges. Quamobrem te horter; vt quod iam tua sponte faciebas; in quo mihi fides diligentiaq; tua valde mehercule probabatur; id nunc eo libentius facias, vel perficias potius; quod ad tuam in me propensionem & studium Regis tui volũtas atq; imperium accesserit: vt quos milites mihi parabas, eos itineri des; vt cum nostris militibus se coniungere, & nobis vsui esse in tempore possint: Sed hæc & reliqua, quæ te scire opus est, de Iuliano Rodulpho Priore Capuæ, quem ad te his de rebus mitto, melius & planius intelliges. Dat. xiij. Cal. Mart. MDXVII Anno quarto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi.

DE iis, quæ quidem ad commune nostrum in Turcas bellum parandum pertinerent, aliis ad te literis scripsi. His verò literis te hortari volui; vt quando esse nobis exploratum potest; etiam si Turcarum Rex iustam illam, quam quidem magna diligentia comparauit, classem hac æstate non sit deducturus; partem tamen aliquam eius classis, priuatorumq; hominum nostrorum hostium longas naues ad pyraticam exercendã non defuturas; quibus mare nostrum infra supraq; nauigantes nostraq; littora infestentur; dares operã, vt tuis in locis idonea quamcelerrime classis conficeretur; qua cum mea & cum Hispaniæ Regis, à quo idem petimus, classe coniuncta & consociata, & hostibus iri obuiam posset; & nostra in communem vtilitatem littora præmunita sint: præsertim cum ad me perferatur &

paratas esse iamnunc in Græciæ littoribus biremes aliquot & triremes naues, quibus damna & cædes nostris hominibus inferantur: & parari alias ad id ipsum pluribus in portubus & locis. Id si ita est; vt vna curam adhibeamus, ne audaciſsimis hostibus nostris Christiani homines & eorũ fortunæ ludibrio & præde obiiciantur; etiam atq; etiam abste peto. Dat. Cal. Martijs. MDXVII Anno quarto. Roma.

Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolanensium.

XVII LEgi eas literas, quas ad te Rex tuus dederat missas abste mihi: quibus cum literis consentiunt Legatorum meorum literæ de optimo Regis in nos animo propensiſsimaq; voluntate, cui quidem ea de re plurimum debeo. Itaque quod ex me quæris, quid te velim facere. Equidem te hortor; vt quamcelerrime mittas Parmam equites grauis armaturæ tercentum ex iis, quos habes & paratiores & firmiores; vt in tempore mihi præsto sint. Parmæ autem aderunt; qui eos equites & doceant, quò eundum ipsis sit; & ducant iussu meo. Id erit mihi abste etiam atq; etiam gratum Dat. octauo Cal. Febr. MDXVII Anno quarto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

XVIII LEctis tuis ad nos literis, cognitoq; cum edicto tuo Hispanis militibus proponendo, qui cũ Francisco Maria bellum gerunt; tum mandatis iis, quæ ad Raimundum Cardonam, qui Neapolis pro Rege est, misisti super nostra Reiq; pub. dignitate modis omnibus tuenda & defendenda; magnam cepi voluptatem, non solum quia maiestatem huius Imperij te adiutore contra subitos audaciſsimi hostis conatus defensum iri videbam; sed etiam propterea, quod te intelligebã ex illius in nos impetu grauiſsimoq;

bello vehementer esse commotum. Itaq; de hac tua tam egregia in nos voluntate ago tibi, quas debeo, gratias: hoc est maximas atq; ampliſsimas: spondeoq; me eius rei memoriam meo ex animo nunquam deleturum: daturum autem operam; vt parem in me voluntatem persimilemq; semper animum experiare iis in rebus; quæ ad tuam dignitatem vel sustinendam vel amplificandam pertinebunt. Dat. xiij. Cal. Mart. MDXVII Anno quarto. Roma.

Episcopo Pacensi.

CVm ad petitiones nostras super auxilio nobis mitten XIX
do Carolus Rex & celeriter & amantiſsime rescripserit; idq; factum te in primis nostram causam adiuuante cognouerimus: sanè non tam mihi gratu fuit spes, quam cepi fore, vt Franciscum Mariam suorum conatuum audaciæq; pœniteat: quàm voluptas etiam iocunda; cum videam huius Reip. dignitatis & maiestatis propugnatores istic non deesse magnos & claros viros. Itaq; & agitur tibi nunc quidem à me par gratia pietati tuæ: & voluntas similis ostendetur, quotiescunq; se occasio dederit, vt te ornare atque augere possim. Reliquum est; vt Regem tuum in ea, qua nunc est voluntate, confirmes: vademq; te illi des, nulla nos in re; quæ ad eius vel commodum vel dignitatem pertineat; vnquam defuturos. Dat. xiij. Cal. Mart. MDXVII Anno quarto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

ET mea vetus in Robertum Sanseuerinum Calatiæ eos XX
mitem charitas; & propinquitas, qua is mecũ nuper coniunctus est: despõdi enim ei Hippolytam Ciboam Sororis meæ filiã: iure à me requirere videntur; vt & ipsum & res & fortunas eius omnes tibi diligenter commendem. Est sanè is ea ex gẽte oriundus, iisq; virtutibus præditus;

vt per sese tibi esse commendatus facile possit. Cum verò ad hæc accedat etiam necessitudo, quam mecum iniit; valde sperat nullis in rebus, quæ ad dignitatem fortunasq; suas pertineant, te sibi defuturum. Ea spes ne eum fallat etiam atque etiam abste peto. In quo si quid beneficij in eum contuleris; id ego sic accipiam, quasi tu tantundem in me ipsum contulisses. Quibus autem in rebus liberalitate illi tua opus sit; de Nicolao Scombergio familiari meo, qui est ex societate Augustinianorum, quem ad te mitto, cognosces. Dat. tertio Cal. Mart. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Regi Britanniæ.

XXI

De bello Contra Turcas

SAnequam pro mea in rem Christianã pietate gauisus sum, & Maximilianum Rom. Imper. desig. & Franciscum Gallorum Regem, & Carolum Regem Hispaniæ super capessendo in Turcas communi sententia bello paratos se esse omnia facere nuper mihi amantissime significauisse: qui quidem omnia sua studia omnes opes facultates semetipsos denique ad id pollicendo nostram omnem de illis spem expectationemq; impleuerunt. Itaq; sperare iam incipio, nõ longissime abesse illud tempus, quo viuere nos non pœniteat. Nam vt adhuc quidem se res habuit, dum & nos nostris inter nos odijs disceptationibusq; conterimur, & Turca suis progressibus maior in dies formidabiliorq; fit; bene cũ illis actũ videri poterat; qui se ab ijs, quæ impendere mala putabantur, morie̊do præripuerat: præsertim si essent eiusmodi, qui alios regerent: vt si quid mali accidisset, ipsis tribueretur. Nunc verò; cum & illi, quos dico, Reges nihil se recusaturos profiteantur, vt bellum suscipiatur; & tuæ item literæ tuorumq; Legatorum sermones in eandem nos opinionem erexerint; vt, quod ad te attinet, nihil simus de-

sideraturi eorum, quæ per te parari conficiq; poterũt: cum, vt dixi, lætor tantum esse consensum vestrorum animorum belli gerendi: tum in eam spem adducor; vt existimem, qui extrudere nos nostris sedibus cogitant, audacissimi hostes nostri; suis ipsos Regnis exturbatos, suis expulsos breui tẽpore domicilijs ea nobis victoribus relicturos. Quamobrem cum venerabilibus fratribus meis E. R. Cardinalibus re mature consideratã, adhibitis ad id tuis cæterorumq; Regum Legatis, primum quidẽ quinquennales inducias inter Christianos omnes indiximus; easq; sumus his diebus inter sacra, Dijs immortalibus testibus edicto nostro publicè sancituri. Deinde, quomã numi quasi nerui bellorum sunt; ad eos cogendos eam propè rationẽ inire nobis placuit, de qua nos Maximilianus admonuit scripto suo: cuius exemplum ad te mitto additis, quæ mihi addẽda esse & ad celeritatem, & ad facilitatem sunt visa: vt vel id tu quoq; si tibi videbitur, probes: vel scribas ad nos cur non probes, afferasq; ipse meliora. Sed te puto facile probaturũ: noui enim ingenium & liberalitatem tuam. Atq; vt hæc, & reliqua, quæ agenda sunt, maiori cum dignitate transigantur; ad te, Regesq; reliquos mittere Legatos decreui ex ijs, qui Cardinales sunt, magnos & claros viros, quibus ea sola cura sit, quæ ad bellũ pertinent, apud vos procurandi: vt celerius omnia confici atque testatius possint. Quæ cum ita informata sint, vt res iam caput habere videatur, quod est omnium difficillimum atq; maximum; te non hortor modo, sed planè etiam atq; etiam abste peto, quæsoq;, vt quod mihi significasti velle facere te; id ita iam re cures, agas, efficias; vt si quis erit Regum nostrorum ad fidem suam præstandam lentior; is tuo exemplo commoueri possit: vt cum tu, à quo propter longinquitatẽ minus celeriter curari potest; tuas iam partes impleueris; sese pudeat tardiorem te fuisse; negligentiamq;

ſuam plura etiam, quàm pollicitus fuerit, in cõmune conferens reponat. Id quantæ tibi gloriæ futurum ſit, nemo tẽ meẽlius intelligit. Plura non dicam: res enim ſatis per ſe ipſa loquitur: vel Deus Dominusq; noſter potius te pro ſe alloquitur. Eum tẽ par eſt audire: cui tantum ipſe rerum optimarum maximeq; expetendarum dedit; vt niſi earum multo maximã ſi ſit opus, partem ipſi tẽ hoc tempore poſcenti profuderis; non ſatis dignus eo munere fuiſſe videare. Hæc dies atq; noctes cogitare te oportet; & (vt video) cogitas. Sed nõ tam pulchrum eſt profiteri atq; recipere tẽ facturũ recte aliquid; quàm perficere quod pollicitus es, etiam neceſſarium; vt boni Regis nomen adipiſcare. In altero vtilis animi voluntas tantum oſtenditur; quæ ſi lecti & commutari facile poteſt: in altero ineſt conſtantia perpetuitas q; voluntatis, quæ quidem multũ roboris multumq; virtutis requirit. Sed hæc tu fortaſſe melius. Reliqua quæ ſunt, ea de tuis Legatis intelliges; quibus cum & multa & ſæpe ſumus loquuti. Tu velim ad nos litteras omnibus de rebus des quãcreberrimas: vt quod locorum longinquitas intercipit; ſedulitate nobis diligentiaq; tua reſtituatur. Dat. tertio Non. Mart. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi.

XXII HOdie Romæ Xiſtus Cardinalis eius Eccleſiæ, quæ ad Petri vincula dicitur, graui longoq; morbo conflictatus cum mortem obierit monaſterium Clareuallenſe Ciſtercienſis ordinis Mediolanẽſis diœceſeos, quod is habebat, Iulio Medici Cardinali fratri patrueli meo contuli; cum exiſtimarem eam tibi rem cum mea, tum ipſius cauſa, cuius plurima in te officia ſemper extiterunt, non ratam modo & probatam, verum etiam voluptati fore. Paucis igitur, quemadmodum cõiunctioni neceſſitudiniq; noſtræ conuenit, te hortor, mandes Odoni Lutrechæ Præfecto Mediolani; curet efficiatq;, vt eius monaſterij poſſeſſio Cardinalis procuratoribus ſine mora tradatur. In quo & mihi gratiſſimum feceris: & Cardinalem tibi pridem valde deditũ tuiq; cupidũ tuo beneficio magnopere tibi deuinxeris. Dat. viij. Id. Mart. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

HEri Xiſto Cardinali eius phani, quod eſt ad Petri vincula, Romæ vita functo cum vellemus Eccleſiæ Patauinæ, cui etiam is præerat, aliquem ex tuis ciuibus præficere; quemadmodum Marcus Minius Legatus tuus à nobis per hos dies diligentiſſime petierat tuis verbis: nemo ea nobis dignior Marco Cornelio eſt viſus cum propterea quod is & Cardinalis eſt, & ciuis tuus, & plurimis maximiſq; virtutibus præditus: tum etiam, quod tibi eſſe omnium maximum debet, quia is iſtius Reip. ſtudioſiſſimus ſemper fuit; atq; omnibus eius difficillimis duriſſimiſq; temporibus nullum vnquam laborem cuituit, nulli rei pepercit; vt illi vel cõmodo vel ornamento eſſe poſſet. Itaq; ſuis omnibus fructibus & penſionibus eam ob cauſam nouem ipſos annos caruit: quod te ſcio non latere. Quæ cum ita ſe haberent; Marcum Cornelium Cardinalem Eccleſiæ Patauinæ præpoſuimus: in quo tibi rem perquam gratam facere nos eo exploratius nobis fuit; quòd te ſcire arbitrabamur, quanti nos eum hominem faceremus; qua porrò beniuolentia proſequeretur: vt cũ tibi eius rei eſſet opus, confideres nihil illum à me fruſtra petiturum. Nunc autem, quod ſupereſt; etiam ſi minus neceſſe eſt; amoris tamen in illum mei abundantia magnitudineq; te hortor; des operam, vt illius Eccleſiæ poſſeſſio Cardinali ſine vlla mora tradatur: vt is & muneris in ſe mei, & ſuorum de te meritorum fructum hunc celeriter XXIII

capiat. Dat. octauo Id. Martias. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXIIII MVltũ mihi neceſsitudinis officia cum Ioanne Franciſco Gambara vita functo, magnus noſtræ familiæ cum eius familia vſus, magna ſanè beniuolentia multos iam annos interceſſerunt: neq; quicquam prope eſt apud nos gratiæ, officij, pietatis; quod, ſi eorũ in nos atq; noſtros meritã reſpexerimus, illis planè nõ debeatur. Quæ cum ita ſint, ea verò familia poſt multis bellorum tempeſtates, in iſtius Reip. ſinum, quaſi portum, vnà cum reliqua ciuitate Brixienſi redierit, ſeq; receperit: non hortor modo te, ſed abſte etiam atq; etiam requiro; vt Robertum Gambaram familiarem meum iuuenem multũ virtute, reliquosq; eius fratres Ioannis Franciſci liberos vniuerſamq; eam familiam libenti beniuoloq; animo excipias, foueas, tueare; noſtraq; cauſa ita tractes; vt præter id, quod ipſi indies ſuis in iſtam Remp. ſtudijs officijs, ſua fide conſequuturos ſe ab ea gratiæ benignitatisq; confidunt; noſtra hac tam diligenti commendatione abſte impetrent, vt iamnunc placabilem liberalemq; tuum ciuitatisq; tuæ in ſeſe animum experiantur; ſentiantq; multum ſibi apud te meam ſummam in te Remq; iſtam pub. beniuolẽtiam, meamq; autoritatem profuiſſe. Dat. ſexto Id. Martias. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Alfonſo Petrutio Cardinali Senenſi.

XXV QVòd nobis, qui te amãter Romam arceſſeramus, non ſalutatis profectus ſis; cũ res tuas conficiendi curã paterna diligentia atq; amore ſuſcepiſſemus, atque illas ex tua ſententia confecturi breui eſſemus: ſanè pro noſtra in te beniuolentia propenſoq; ad tuã dignitatem

fortunasq; tuendas animo, moleſtum nobis atq; inexpectatum fuit. Quod verò mihi denuntiatũ eſt cogitare moliriq; te res nouas ad Senarũ ſtatum & quietem conuellendã; id mihi quidẽ, cum eſſes huius Reip. pars, fratremq; meũ gereres, ſciresq; id municipiũ in meam curam eſſe receptum; veriſimile mediusfidius non eſt viſum. Veruntamen quoniã ea, quæ dico, magnis autoribus afferebantur; his te litteris & monere & hortari volui; vt ab eiuſmodi motibus excitandis abſtineres; auocaresq; te ab ijs cogitationibus, quæ nobis negotiũ faceſſerent: ſciresq; prorſus atq; cognoſceres: ſi quicquam omnino contra hunc Senarũ ſtatũ egiſſes, tentauiſſes; id me nihilo planè ſecius, aſi in me ipſum admiſiſſes, atq; conſpirauiſſes, eſſe vindicaturũ. Dat. quarto Id. Mart. M D X V I I Anno quarto. Roma.

Petri Bembi epiſtolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine ſcriptarum LIBER XV

Ludouico Regi Pannoniæ.

INDICTIS per nos his diebus inter chriſtianos omnes quinquẽnalibus inducijs ob ſuſcipiendum in Turcas communi conſenſu bellum; ſtatueram ad te mittere certum hominem; qui te multis de rebus doceret, quas te ſcire oportere maiorem in modum exiſtimabam. Itaq; nunc ad te

mitto Nicolaum Scombergium Germanum, qui est ex societate Augustinianorum eum, qui tibi has literas reddidit; & prudentem sanè hominem maximisq; tractandis rebus exercitatum, & mihi summopere & probatum & gratum: vt & illa, quæ dico, tibi significet; & curam gerat ea, quæ ad bellum pertment, tecum & cum tuis procurandi; quoad Cardinalis aliquis ei succedat, qui tibi nostro nomine præsto sit: quemadmodum tibi reliquisq; Regibus scripseram velle facere me. Reliquum est, vt te horter; vt prætermissis omnibus aliis occupationibus tuis huic curæ totum te planè des; hoc cogites; in hoc neruos omnes intendas tuos; vt Christianæ Reipub. plurimum opis atq; præsidij compares. In quo & maiorum tuorum, qui multa cum Turcis bella magno animo gesserunt, æquare gloriam poteris; & tuos fines longe lateq; promouere; & Dei Opt. Max. qui tibi tantum Regnorum dedit, causam valde quidem illam periclitantem defendere planeq; restituere. Dat. sextodecimo Cal. April. MDXVII Anno quinto. Roma.

Episcopo Saguntino.

II ET si ex Legatorum meorum litteris intellexi te & illorum audaciam, qui huius Reip. municipia comparato exercitu aggredi expugnareq; sunt ausi, ægerrime tulisse; & omnem tuam curam, operam, auxilium ad ipsius Reip. dignitatem tuendam animo libentissimo illis detulisse: tuæ tamen literæ, quibus idē significauisti, gratæ mihi atq; iocundæ fuerunt: spondeoq; tibi eius me rei parem aliquando gratiam relaturum. Interea tr, etiam si nihil necesse est, tamen hortor, pergas facere, quod profecto facis: idq; tandiu, dum finis aliquis harum molestiarum reperiatur: quo de fini, sacra cū facis, supplicare te Domino precibus omnibus sanè velim. Equidem & illi supplex ea de re quotidie

sum: & spero fore, vt huius Reip. hostes propediem audaciæ suæ valde pœniteat. Dat. tertiodecimo Cal. April. MDXVII Anno quinto. Roma.

Hadriano Episcopo Dertusensi.

QVod tuis ad me perhumaniter scriptis litteris sig- III nificauisti, molestissimam tibi fuisse eorū hominum audaciā, qui aperto bello in Reip. loca inuadere, eaq; diripere sunt aggressi: de eo etiam ex Legatorum meorum litteris fiebam certior. Equidem valde cōsolor; cum te hominem & prudentem & grauem, & magna apud Carolum Regem autoritate non æquissimo animo ferre sentio hanc indignitatem mederiq; cupere Reip. vulneri, non illi quidem magno aut introrsum adacto; sed tamen vulneri: quod sanari sine Regis tui curatione prope non potest. Itaq; cum te de tuo in Remp. optimo amātissimoq; animo, quem & mihi & meis interpretibus ostendisti, vehemēter laudo: tum hortor; vt quod laudabiliter cœpisti suadere Regi, vt nobis suppetias ferat; idem insistas pergasq; tandiu facere; dum audacissimi hostes nostri suarum impressionū pœnas luant. Totam igitur Reip. causam, vel ipsam potius Remp. tibi commendo maiorem in modum. Dat. xij. Cal. April. MDXVII Anno quinto. Roma.

Prolegato Perusiæ.

CVm huius vrbis exulem Carolum Balionem feceri- IIII mus propterea quod is è cōspectu nostrarum ædium ac prope ante nostros oculos in Ioannem Paulum Balionem propinquum suum stricto gladio impetum fecit: mando tibi; vt Perusiæ Decurionibus denunties meis verbis; vt Carolum item exulem Perusiæ factum pronuntient edicto meo. Dat. iiij. Cal. April. MDXVII Anno quinto. Roma.

Potentiæ Comiti.

V QVoniam nostra maxime interest, te Regiosq; milites quibus imperas, cum nostra manu ea, quæ in Piceno est, quamcelerrime coniungi: hortor omni studio te, festines, quantum maxime fieri potest; teq; ad Laurentium Medicem fratris mei filium magnis itineribus conferas. Id si feceris; quemadmodum te facturum confido; dabo ipse operam; vt bene te studiũ tuum posuisse cognoscere & lætari possis. Dat. iij. Cal. April. MDXVII Anno quinto. Roma.

Societati & Canonicis templi Romani Apostolorum Principis.

VI MAndauimus Latino Iuuenali familiari nostro; qui est in vestra societate; vt se ad viam compararet. Missuri enim sumus eum in Galliã trãsalpinam: vt apud Franciscum Gallorũ Regem nostris tractandis rebus & constituendis moram trahat. Quem quidem propter excellens eius ingenium atq; in agendis rebus cum incredibilem diligentiam, tum fidem eximiam & singularem atq; mirificam probitatem magno nobis & Reip. vsui futurum confidimus. Quibus virtutibus etiam illud adiungitur; quod ciuis Romanus est, patriũq; iuris maxime retinens. Is cum munus non renuisset; nos admonuit, eam sibi rem magnum detrimentum allaturam: propterea quod in societatis vestræ legibus est; vt qui Roma annum absunt, collegij prouentibus ne iuuentur. Id cum nobis magnopere indignum atque illiberale sane sit visum; eos ommno, qui Ro. Reip. magno cum labore operam impendunt, suorum sacerdotiorũ fructibus defici: vobis singulis & societati vestræ mandamus; vt nihil ea de causa, quod is Roma abfuturus sit, de illius sacerdotij prouentibus detrahatis: sed operã adhibeatis; vt omne

id, quod præsenti curatur, ad absentem integrũ & solidum perueniat. Prid. Cal. Aprilium. MDXVII Anno quinto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

DEdimus paucis ante horis ad te hodie literas: quibus VII tibi significauimus, nos, vt tuis postulatis satisfaceremus, Episcopum Cameracensem designatum ad ampliſsimam Cardinalatus dignitatem legisse: Deq; nostri in te animi propensione omnibus in rebus ab huius Reip. dignitate non alienis multa in easdem literas coniecimus: cum de ijs tamen subantea cũ Episcopo Syracusano & Hieronymo Vicco Legatis tuis essemus diligenter loquuti. Quæ cum ita se habeant; videasq; id me propemodum agere, vt tibi nihil negem: æquum est eundem te animum nostris in rebus præ te ferre; velleq; mihi quibus in rebus honeste possis, autoritatem & liberalitatem tuam non claudere. Id etsi existimem ob eximiam tuam maiorumq; tuorum in Romanos Pont. pietatem te esse facturum; præsertim cum ego te tam officioſe tamq; amanter prouocem: hortor tamen meo, hoc est paterno iure idem, quod antea non vnis literis sum hortatus; atq; vt expreſsius animi mei sensum testatum apud te faciam, plane te rogo, mandes, vt Bernardo Bibienæ Cardinali tam spectatæ virtutis viro, tam mihi grato, quàm scis Caurienſis Eccleſiæ possessio aliquando tandem tradatur: neq; vtriusq; nostrum in eo spem expectationemq; tam diu differas; dũ & muneris tui gratia & voluptas mei ex eius animo effluat atq; depereat; die: accidatq; id; quod illis solet accidere, qui biduum aut triduum stomacho ieuno fuerunt: nulla enim amplius capiendi cibi ducuntur auiditate; neque vescentes voluptatem vllam sentiunt propterea, quod esca sibi in tempore non allata ipsum etiam edendi prope sensum

fractum debilitatumq; amiserunt. Sic enim tu si Bernardo Cardinali multos dies bene facere prætermiseris; erit illud quidem beneficium atq; munus quoquo tempore; sed amittet opinor suauitatem illam atq; dulcedinem, quam secum statim veniens attulisset. Id ne fiat; adhuc in tua manu est: sed non multum diu erit. Quod cum feceris; plura erunt, quæ te merito delectent: primum huius Reip. dignitatis rationem te habuisse: deinde Ferdinãdi aui tui optimi clarißimiq; Regis voluntati satisfeciſſe: ad hæc præstantem hominem, deq; te tuisq; omnibus optime meritum tuo beneficio tibi deuinxisse: postremo tam mihi gratum feciſſe, vt nihil possit esse gratius. Hæc quãti facienda tibi sint; æstimare te malo, quàm me scribere. Vale igitur: & nos dilige: si te & amari à nobis & pluris fieri quotidie perspicis. Dat. Cal. April. M D X V I I Anno quinto. Roma.

Carolo Hiſpaniæ Regi.

VIII RE nuntiatum nobis est Ecclesiæ Placentinæ, quæ in tuis Hiſpaniæ Regnis est, Episcopum vitã functum esse. Id tametsi minus certis autoribus est perlatum; volui tamen ad te scribere; vt si ita esset, velles, vt eius Ecclesiæ interuentu Bernardini Cardinalis S. Crucis controuersia, quam cũ Federico Portugali propter Ecclesiam Saguntinam tandiu habuit, sedaretur & terminaretur; dum hanc ipsam alteri eorum nobis permitteres concedendam. Ita enim & reliquos fratres meos E. R. Cardinales; qui quidẽ omnes pro Bernardino laborãt, quotidieq; me postulationibus commendationibusq; suis onerãt; & te ipse, cui literas mittere his de rebus nõ desistimus, magna molestia liberaris; & mihi gratißimũ feceris. Erit etiam id prudentis Regis, & suorũ pacis & quietis cupidi vere proprium. Dat. iij. Non. April. M D X V I I Anno quinto. Roma.

Laurentio

Laurentio Medici Fratris filio.

NIhil nobis gratius & iocundius afferri potuit tuis IX. literis: quibus scribis, de medicorum omnium sententia vulnus tibi omnino non penetrare, breuiq; coaliturum, & te valentem futurum. Quod quidem etsi ita fore ẽpem in Dijs immortalibus haberemus, tuiq; omnes idem nobis significarent: magna tamen lætitia nos affecit is medicorum cõsensus, tuæq; literæ, manu præsertim tua scriptæ, neq; vacillantibus literulis: quæ nos ea de re certiores fecerunt. Itaq; maximas quidẽ gratias Deo Opt. Max. agoq; agamq; dum viuã: qui te tam præsenti periculo eripuit: precorq;, quod reliquũ est, vt is mihi te & matri & tuis omnibus saluũ atq; sospitem sistat. Interim bono animo es: quo te tamen esse iam video: nihilq; cogites, præter prosperam & celerem sanationem. Nos porrò tibi vsq; hinc, quod nostri muneris est, manu quidem nostra in crucis effigiem ducta, vulnus, quà possumus, obsignamus, beneq; ominamur. Itaq; fili optime atq; exoptatißime vale. Dat. Non. April. Anno quinto. Roma.

Franciſco Gallorum Regi.

ACcepi tuis cũ literis & canes venaticos ad perquirendas feras, & casses ex tela ad concludendas idoneos; quos misisti: vtrunq; munus & numero & pulchritudine sane Regium, & mihi apprime gratũ vel per se, vel quòd abste proficiscitur. Itaq; & ijs iam sum bis ter ue vsus multa cum voluptate: quos mihi etiam probatiores fecit Barderiæ familiaris tui, qui eos attulit, industria: & vtar posthac, cũ per negocia occupationesq; meas exire Roma mihi licebit. Ommno enim experior tum equitationem illam, tum auocationem animi, quam sibi vendicat tantißper venatio, valde mihi proficere ad valetudinem viresq; cor-

poris vel firmandas vel restituendas. Quare cum eo de munere, tum de cura, quam geris de salute mea, valde te amo. Hortor autem; etiam si minus necesse est; vt quando ego te vera solidaq; benuolentia prosequor, tu me amare magnopere te ostendis; perstemus vterq;, quemadmodum quidem facimus, in eodem tum inter nos, tum erga Remp. sensu: vt & nobis ipsi & Dei Ecclesiæ esse vsui & dignitati possimus. Dat. Id. Aprilib. Anno quinto. Roma.

Prospero Columnæ Cauio.

XI INtellexi, quod quidem mihi, vt debuit, permolestiũ fuit; nonnulla Latij loca tuis à militibus impudenter exagitari; & cum prædas abigi; tum cædes etiam ab eis perpetrari magna cum mea contumelia Latinorumq; hominum perturbatione & querela. Quorum etsi pro mea in te beniuolentia multa fieri te ignorante facile mihi ipse persuadeo: non possum tamen populis in mea & Reipub. fide de gentibus, opemq; nostram implorantibus deesse. Quamobrem quanto maiore possum studio te hortor; vt eos tuos milites ab eiusmodi vel cædibus vel rapinis cõtineas: tum quæ ablata nullo iure sunt, ea cures vt restituantur. Est enim tui officij atq; muneris; vt quæ passim temere sceleratèq; per tuos homines admittuntur; ijs tua prudentia tuaq; animaduersione finis imponatur. In quo tu si negligentior, quod nolim, fueris; cogar ipse, quibus potero rationibus, ei rei occurrere; teq; tam parum facere; quam tu meam autoritatem videberis vel neglexisse, vel etiam contempsisse. Dat. vij. Cal. Maias. Anno quinto. Roma.

Latino Iuuenali meo apud Venetos Internun.

HEri de morte Episcopi Malfetani cum mihi esset renuntiatũ; fuere, qui dicerent, esse in ista vrbe apud certos homines quandam pecuniæ summam; quam Episcopus mutui nomine deposuerit. Quæ quidem summa quoniam fisco nostro debetur; intestatus enim decessit Episcopus; mando tibi, vt Leonardum Lauredanum Primi. em Venetiarum adeas; petasq; ab eo meis verbis; det operam, vt eius pecuniæ integrum tibi curetur. Qua de re eis, à quibus pecunia exigetur, volo te posse syngraphã conficere, nominaq; perinde libera facere, ac si ipse scribẽdo affuissem. Dat. sexto Cal. Maias. Anno quinto. Roma. XII

Ioanni Bernæ Heluetio.

LIteræ tuæ; quibus me de tua egregia in nos voluntate certiorem facis; etsi serius, quam debuerant, sunt redditæ, mihi tamen perjucundæ fuerunt. Valde enim lætor bonos & fortes homines, & virtutibus perornatos ac magni animi viros, vt tu es, etiam religione præditos esse, & Dei Ecclesiæ cupidos & obseruantes videri. Itaq; oblationes tuas libenti animo accipio; cumq; opus erit, & quanti te faciam, & quid te velim mea causa facere, vel de filio tuo magna pietate adolescente, vel ex aliquo meorum intelliges. Dat. Cal. Maijs. Anno quinto. Roma. XIII

Sebastiano Ferrerio Quæstori Regio Galliæ Cisalpinæ.

QVod de me bene mereri non intermitis; est mihi plane gratũ: tuaq; ista & Bonifacij Episcopi Hipporegini filij tui & pietas & studium mihi vehementer probatur. Dabo etiã operã, vt vos officia vestra bene posuisse cognoscatis. Dat. Cal. Maij. Anno quinto. Roma. XIIII

Ameto Beno Cercinæ Insulæ domino.

XV GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt, quas de mense Martio ad me dedisti. Ex ijs enim quasi quoddam verissimum testimoniũ habui & multæ virtutis tuæ, neq; minimæ in me Romanamq; Remp. obseruãtiæ: itũ & prudenter & apposite ad ea respõdisti, quæ Aloisius Fantinus Venetus familiaris meus tecum egerat meis verbis. Quod mihi officium liberalitasq; tua periocunda sanè accidit. Do minumq; tibi ea de re & propitium & beneficũ cupio esse. Ad ea verò, quæ scribis, accessit etiam plurimus & accuratissimus eiusdem Aloisij sermo: quem quidem libenter audiuimus. Ipsi autem istuc atq; ad te reuertenti mandata dedimus ea; quæ nostra vtriusque interesse æquè existimo. Cæterum accepi munuscula tua amoris scilicet & beniuolentiæ, vt scribis, mditium: eaq; & grata & iocunda mihi fuere. Vale: & Dominum dilige. Dat. sexto Non. Maias. Anno quinto. Roma.

Comiti Potentiæ.

XVI EX literis Bernardi Bibienæ Cardinalis Legati cognoui, quàm diligenter quamq; strenuè te geras; quàm nullos labores nulla pericula fugias, vt mihi vsu & dignitati esse possis. Quod tametsi minime mirum fuit ijs; qui te, qui mores & probitatem tuã animiq; tui fortitudinẽ dudum cognitam & perspectã habent: quorũ ego ex numero iampridem sum; cui nihil est virtute porrò tua exploratius: accidit tamen mihi quidem sanè gratissimum. Quare velim tibi persuadeas; me & istius tuæ diligẽtiæ, vigilantiæ, fidei laborum, meritorum memoriam conseruaturũ: & in tua virtute atq; constantia tuorumq; militum robore multo maximam huius belli recte conficiẽdi spem expectationemq; posuisse. Dat. sexto Non. Maias. Anno quinto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

BIs iam ad te literas dedimus de ea victoria; quam quidem maximam atq; clarissimam Rex Turcarum contra Sultanum Aegypti Regem vnam atque alteram prosperrimis euentis est consequutus: hortatiq; sumus te; vt in suscipiendo in eiusmodi hostem bello, quod in postrema Lateranensis Concilij rogatione Senatus decreuit, auctoritatem consiliaq; tua nobiscum coniungeres: atq; vt res ad aliquas aliquãdo tractationes deduceretur; aut Legatos ampla cum potestate ad nos mitteres; aut idonea mandata ijs, quæ opus essent, conficiendis ad eos, quos hic habes, transmitteres. Id etsi te pro tua pietate atque prudentia animiq; magnitudine curaturum planè confido. Quoniã tamen non vnis ex locis, neque leuissimis autoribus idem nobis significantibus certiores facti sumus, Turcarum Regem non Sultani modo Regno ditioneq; omni potitum Aegypti & Syriæ maximarum opulentissimarumq; prouinciarũ Regem atq; Dominum esse factum: sed classem etiam centum eoq; amplius triremium, cæterarumq; longarum nauium aptorumq; ad bella nauigiorũ prope innumerabiliũ omni apparatu tormentisq; in primis bellicis egregie instructam suis è portubus eduxisse: his te etiam literis id, quod antea feci, hortor, ac per Dei matris testatã nobis sæpius viscera oro obsecroq;; vt vel missis Romam alijs Legatis tuis, vel eis, quos hic habes, facultate addita des operam, vt vnà cum reliquis Christianis Regibus atque Principibus constituere, quæ sunt constituenda, celeriter atq; in tempore possimus. Non enim dubito; neq; quisquam recte sentiens existimare aliter potest; quin ille; cum primũ rebus suis erit vtile, commodeq; poterit; eam suam tãtam tamq; opportunã classem in nostrum sit excidium vastitatemq; conuersurus. Itaq; ne

XVII

à Domino ſuprema die quaſi ſerui nequam talentis ab eo traditis male vſos fuiſſe deprehendamur: aut etiam ne iam nunc quidem tanquam indignos, quibus gregem ſuum regendũ fouendumq; permiſerit, idem nos ignauiæ atq; inertiæ redarguat & condamnet Dominus: antequam lupus fame rabidus, ſanguinẽq; ouiũ rore baptiſmatis reſperſarum ſitiens, qui iam è ſylua ſiccis faucibus eſt egreſſus, eas prædatũ & depopulatũ veniat; paremus ipſi, quæ paranda ſunt: vt poſtea in tempore vnà omnes, pro virili ſua quilibet, in communẽ vtilitatẽ vires opesq; noſtras explicemus. Quod ſi facere cæteri Chriſtiani Reges debẽt, vt profecto debent: mihi præſertim Dei Opt. Max. beneficio teq; in primis adiuuante, inter ipſos cõcordia, ſedatisq; controuerſijs & diſceptationibus omnibus: quid à te cũ maximus maximeq; Chriſtianus ſis, omnes homines non ſolum ſperent, ſed iure prope ſuo etiam expetant; te laterenon exiſtimo. Quare per Deos atq; homines excita te, accelera, accingere, atque ab bellum iam para; noſtrisq; gentibus, quæ in te vnũ oculos maxime omnium coniecerunt, profer oſtendeq; te: vt non plus fortunã, quàm virtutẽ admirentur tuam: neq; minus quòd optimus ſis, quàm quod maximus, veris laudibus in cœlum ferant. Sed de cõmuni bello hactenus. Cæterum quoniam allatum ad nos eſt quadraginta hoſtium biremes inter Corſicæ atq; Sardiniæ littora nuper viſas, mare illud omne inſulasq; ipſas metu atque formidine impleuiſſe: peto abſte; vt quicquid habes Genuæ atque Maſſiliæ longarũ nauiũ; habere autẽ te aliquas certo ſcio; eas imperes mihi præſto eſſe: vt cum mea cumq; Caroli Regis claſſe ad noſtras cõmuniter oras tuendas coniungi poſſint. Id quo celerius confeceris; eo de hac omnino Rep. in quam quidem optimi clariſſimiq; Reges maiores tui plurima atq; maxima beneficia cõtulerunt; meritus amplius atq; vberius fueris. Verum hæc atq; alia de Ludouico Epiſcopo Bellouacorum Legato meo latius intelliges. Vale igitur mi Rex gloriæq; tuæ veræ atq; ſolidæ hoc eſt hominibus iuuãdis mentem omnem tuã da: neq; horã vnam ſine iis cogitationibus tranſi. Dat. ſeptimo Id. Maias. Anno quinto. Romæ.

Ioanni Paulo Balioni Peruſiam.

XVIII

PVto te iam intellexiſſe, per hoſtes Reip. ea parari; quibus iſtius oppidi nobis chariſſimi ocium ſtatusq; conuelli poſſit. Qui ſanè nuntius quoniam nobis moleſtiſſimus fuit non tam quidem, quod vllas eorum copias apparatum ve pertimeſcamus; quàm quod maxime cupimus Peruſinos ciues atq; incolas ne minima quidem turbatangi & commoueri: ſemper enim fidem ſuam & officium Reip. præſtiterunt: quin tibi quoq; mentẽ pupugerit, non dubito. Sed volo te bono animo eſſe; idq; tuis ciuibus dicere meis verbis, bono & ipſi animo vt ſint; neq; rumore vllo eius rei perterreantur. Nam & nos vires noſtras omnes cõparabimus vt irriti hoſtium conatus efficiantur: & Galliæ atque Hiſpaniæ Regum copias, quæ mihi præſto eſſe iuſſæ ſunt, celeriter iſtò mittam; vt vobis opem atq; ſuppetias ferãt. Te verò etiam atq; etiam hortor, quam potes manum cogas, inbeasq; in armis eſſe: vt dum ii, quos dico, milites conueniũt; oppidum præmuniant, præſidioq; ſint; quo minus hoſtis audeat eò accedere. Reliquum eſt, vt intelligas, me iſtuc Antonium Puccium mittere ampla cum poteſtate: vt ſi qua paranda erunt; quæ per te, aut per eum, qui pro Legato eſt, aut per Decuriones nequeant fieri; ea ipſe imperet edicto meo; vobisq; ſingulis autoritatem meam commnicet: quo celerius atque facilius omnia conficiantur. Quæ cum ita conſtituta ſint; exiſtimare tamen debes multum me in tua fide & virtute bellica iſtius oppidi defendendi opis

atque auxilij reposuisse. Prid. Id. Maias. Anno quinto. Roma.

Decurionibus Tudertinis.

XIX EX meorum literis & rumore nuntio admoneor, Fran-ciscum Mariam eiusq; fœderatos cogitare, quibus modis Perusinæ ciuitatis mihi multis de causis meritò charissimæ statum opprimere atq; peruertere possint. Id ne accidat; & meam, quam habeo militum manum satis magnam, & Galliæ atq; Hispaniæ Regum sociorum milites, qui mihi parent, festinare illuc iussi: vt illorum conatibus se opponerent, eosq; irritos & inanes facerent. Quod quidem pro ea, quam in Domino spem habeo, confido breui fore. Sed quoniam propter locorum vicinitatem, vestrorumq; ciuium fortitudinem maximo Perusinis adiumento atque præsidio esse municipium istud facile potest: magnopere vos hortor; vt quicquid parari atq; cõfici hoc tempore ad illorum vsum atq; auxilium per vos potest; id omne diligenter atq; celeriter administretis: existimetisq; tam mihi gratum facere; quàm si pro mea ipsius defensione, vel Romæ vrbis propugnatione eum laborem suscepissetis. Non sane adest semper vllis hominibus opportunitas de Romanis Pontificibus bene merẽdi. Quare cũ hoc sit tempus ad eam rem aptissimum; vt melius atq; cõmodius nullum possit aliud reperiri: erit vestræ prudentiæ omnes vestras cogitationes adhibere, vt nũc quidem maxime mihi & Reipub. vsui fuisse videamini. Dat. prid. Id. Maias. Anno quinto. Roma.

Ioanni Paulo Balioni Perusiam.

XX QVod ductu auspicioq; tuo Perusini ciues sumptis armis in Reip. hostes impetum fecerint; eosq; fortiter & viriliter pugnando magna cũ illorũ clade atq; pernicie reiecerint, fuderint; & profligatorum eũctu parta victoria in oppidum se receperint: lætor: eaq; de re cum tibi gratulor, qui tantam rem egeris; tum ciuitati isti; quod & suum in nos officiũ fidemq; præstitit, & se ab audacissimis hostibus magno animo est tutata. Vtriq; autem gaudeo; propterea quod vestra in Remp. merita isto facinore confecto præclare amplificauistis. Itaq; decretis supplicationibus Deo Opt. Max. gratias egimus: qui vobis tantũ animi, tantumq; virium subministrarit; quantũ satis fuit; vt & eius & vestros & Reip. hostes audaciæ suæ pœniteret. Quos quidem arbitror in vos nihil amplius molituros. Sed si refectis viribus vos lacessere non desinent: aderũt iam iamq; nostri Regumq; sociorũ milites: quibus mãdauimus, vt ad vos defendendos maturarent. Quos si expectabunt; facile eos confido suorum conatuum pœnas daturos. Mitto etiam Tudertum, quibus tamen antea scripseram, Herculem Episcopum Vrbetanum designatum propinquum tuum qui eo in oppido alijsq; locis istius prouinciæ, quæ paranda sunt, comparet: vt si hostis illò flexerit, operam se luisse cognoscat. Hæc ipse vt intelligeretis, has ad vos literas dedi: Vos, vt ad me quotidie literæ à vobis afferantur, quæ me singulis de rebus erudiant, curatote. Dat. xvi. Calend. Iunias. Anno quinto. Roma.

Senensibus.

SI qui vobis vrbiq; isti præclaræ negocium facessere conantur, hostes Reipub. non essent; quorum Duci igni & aqua interdictum sit: vobis esse verendum arbitrarer, nequam ab illis contumeliam acciperetis: nec animo pacato essem; dum ista decernerentur. Nunc verò; cum & illi eiusmodi sint; vt quoquo se vertant, odia in se hominum exardescere videant; & ego ad vos defendendos non minorem sim curam adhibiturus, quàm si pro vrbe Roma labo- XXI

rarem: bono animo debetis esse: existimareq; , cum ij Perusiam frustra tentarint; ipsorum conatus in vos nihilo magis efficaces futuros. Nam præterquam quod meæ vobis opes & facultates omnes atq; copiæ suppeditabunt: mittã etiam ad vos defendendos eam manum, quam vterq; Rex mihi præsto esse voluit suorum militum: quæ cum mea manu coniuncta est; & vnã omnes pro Repub. bellum gerunt. Hæc ad vos illico scripsi; cum ad me esset allatum illos ad vos cogitare Perusinis è finibus se conuertere. Quod si fecerint; nostri milites eos subsequentur: sic enim iam imperaui: neq; procedere permittent. Vobis tamen sum autor; vt ea cogitetis, paretis; quæ per vos fieri poterunt: ne ab illis imparati offendamini. Nam si primi eorum impetus sustinebuntur; omnia erunt confecta: non enim poterunt consistere. Singulis autem de rebus quid egeritis, quorum vobis opus sit; quæ fieri per nos velitis: scire cupio. Itaque vestras literas auide expecto. Dat. xv. Cal. Iunias. Anno quinto. Roma.

Ludouico Tudertino.

XXII GRata mihi opera studiumq; tuum fuit; quod in oppido isto muniendo, ne ei noceri ab hostibus posset, ex Antonij Puccij literis te adhibuisse cognoui: eoq; gratior mihi tua ista sanè cura atque iocundior accidit; quo difficiliori tempore virtus enituit tua, cumq; alij partim timore periculi, partim inertia sua, nonnulli etiam perfidia vel è medio se subduxerint, vel cum hostibus se coniunxerint: tu non modo in officio permansisti: sed præclare etiam te gessisti; eaq; magno & præstanti animo curauisti; quamobrem Resp. istis in locis nullam insignem contumeliã posset accipere. Quòd sine bonum virum, si gratum scis esse: debes existimare officium te tuũ bene atq; vtiliter posuisse.

Quanquam quidem etsi ego nihil horum sim; te tamen rectissime officio functum esse omnes homines dixerint: qui Romano Pont. qui Dei Ecclesiæ, qui Petro & Paulo Christi sociorum Principibus, quorũ numine hoc Imperium regitur, nauasse operam es existimandus. Sed hæc hactenus. Quod superest, te hortor; vt tui similis pergas esse. Quid te facere oporteat; vel virtus tua fides q; in nos & studium te docebit: vel ab ipso Antonio facile cognosces. Dat. xv. Cal. Iunias. Anno quinto. Roma.

Francisco Regi Galliarum.

CVm comperissemus Bendinum Saulum & Alfonsum Petrutium Cardinales, qui à me vnice diligebantur, in vitam meã conspirauisse; deq; nobis dolo malo occidendis cogitauisse, operamq; suam ad eam rem adhibuisse: hodie comprehendi eos iussimus, atq; in arce, quam Hadriani molem vocant, in custodia tandiu esse; dum legitimæ de eo probationes haberi conficiq; possent. Id volui tibi notum esse; vt scires quàm ob causam statuerim eos esse comprehendendos. Cui etiam probationes ipsas, cũprimum erunt confectæ, describendas mittendasq; curabo. Quemadmodum & ipse cum Episcopo Dionysiano Legato tuo locutus sum: & Ludouicus Episcopus Bellouacorum Legatus meus te docebit. Dat. quartodecimo Cal. Iun. Anno quinto. Roma. XXIII

Comiti Potẽtiæ Præfecto Hispanarũ copiarũ.

DIscessere Perusia hostes nostri: neque quo pergere, aut quid aggredi cogitent, sciri etiamdum potest. Quoniã autẽ statutũ mihi est, eos, quoquo tendant, persequi: magnopere te hortor, eorũ extremũ agmen celeriter atq; acriter insequare: omneq; genus molestiæ per tuos equites, qui paratissimi sunt, illis inferas: ne consistere aut XXIIII

quiescere vllis in locis possint. Quod facies cum mea causa, qui te magnopere amo & facio sanè plurimi; tum Regis tui nomine: cuius voluntas atq; autoritas, & mehercule etiam honor hoc in bello maxime versantur. Reliqua & hinc ab Legatis Regijs, & istic à Bernardo Bibiena Cardinale Legato cognosces. Vndecimo Cal. Iun. Anno quinto. Roma.

Sissæ Præfecto Gallorum militum.

XXV Cvm Perusino ex agro nostri hostes profecti sint; neque quo, sciri possit: optimum esse duxi eos insequi, vltimumq; agmen conuellere; nihilq; eis molestiæ, nihil detrimenti non adhibere. Id cum meam Caroliq; Regis manum; tum te maxime velim facere: omnemq; curam in eo ponere, ne vos effugiant. Nam; vt nunc quidem se res habet; eo accepto ab illis apud Perusiam incommodo & plagatur pissimum nobis erit; si qui reliqui sunt, integri in tuta se receperint. Itaq; vrge, atq; adnitere; vt quos Perusini parua manu fudere, vos legitimo exercitu deleatis. Hoc esse nobis non difficilius sanè debet; quàm id illis fuit. Quanquam in hoc sunt omnia. Nam qui hostem fugat; is est laudi proximus: qui opprimit; ommem gloriam est assequutus. Dat. xi. Cal. Iun. Anno quinto. Roma.

Petro Nauarro Cantabro.

XXVI Ex Oddi ciuis Florentini familiaris tui sermone cognoui id, quod mihi notum atq; perspectum iampridem erat; ardere scilicet te desiderio egregiam aliquam atq; insignem operam in Christianæ Reip. vtilitatem incrementumq; nauandi: eaq; propter agitare te animo, classe quàm poteris valida comparata contra Pœnos Maurosq; profisciscei. Equidem piam istam atq; per sanctam animi inductionem tui plurimis cum virtutibus & præstanti fortitudine,

bellicisq; artibus prope omnibus coniunctã probo efferoq; magnis laudibus; faciosq;, vti debeo, sanè plurim. Puto tuamen propter Turcarum Regis classem; quam is paratã iam atq; instructam eduxisse dicitur; illud in cõmune fore vtilius; si te classemq; tuam eò cõpares: vt nostram ei classem opponere, si opus erit, facilius & exploratius te adiuuante possimus. Quam ad rem si cogitationes tuas conferes; quicquid per me curari efficiq; poterit, vt virtuti tuæ adumentu subministrentur; id tibi omne libẽtissime polliceor. Quẽadmodum ab Oddo ipso, quicum sum ijs de rebus diligenter loquutus, poteris cognoscere. Dat. sexto Cal. Iun. Anno quinto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

XXVII Svperiore anno ad te scripseram cupere me pro tui Regni commodo, dares operam, atq; efficeres autoritate tua; vt ea controuersia; quam Antonius Stuniga Didacusq; Toletanus Ducis Albæ filius de Castellæ Prioratu ordinis Hierosolimitanorũ plures iam annos animis infensissimis exercuerant, aliquando tandem cõponeretur. Quod quidem propter vtriusq; gentis atq; familiæ splendorem Regno isti admodum salutare præuidebam futurum. Idem etsi nunc quoq; etiam atq; etiam cupio propter eam, quam dixi causam; quæ quanti abste facienda sit, ipse optime intelligis. Tamen quoniam accidere facile poterit propter controuersiæ difficultatem, quæ quidem magna est, vt res ad exitum perduci non possit: literas Romanorum iudicum, quibus possessio eius Prioratus Antonio iubetur dari, his ipsis cum literis ad te mitto; cum ne cuius priuata iura, quæ optima sunt, supprimantur: tum vt ipse melius intelligas eius causæ statum: demum etiam, vt harum literarum autoritate illos perducere ad concordiam possis. Quod si fiet; & te

prudenter feciſſe exiſtimabo: & mihi erit vehementer gra tum. Dat. prid. Cal. Iun. Anno quinto Roma.

Proſpero Columnæ Cauio.

XXVIII Etſi æquius profecto erat me ad te nihil omnino iterum eadem de re ſcribere: ſed cum viderem meas priores apud te literas parum valuiſſe: nihiloq; minus à tuis militibus agros Latinorum vaſtari, prædas abduci, cædes fieri; quàm antequam ſcripſiſſem fiebat: debebam meorum populorum incolumitati per me ipſe conſulere; vtcunq; tibi ea res damno atque dedecori eſſet futura: tamen quoniam meum in te amorem & beniuolentiam excuere vſquequaque non potui, quemadmodum quidem tu omnem tuam in me obſeruantiam videre funditus abieciſſe: mallemq; vt tu tibi præciperes, contineresq; te quidem primum, deinde tuos mi lites; quàm mihi eſſet aut in te aut in illos animaduerſione vtendum: hanc tibi epiſtolam conſcripſi; vt te admonerem: ſi quid ea res proficere & iuuare poſſet. Itaq; mando tibi atq; impero; cures, efficias, nẽ quid iſtinc eiuſmodi poſthac ad nos perferatur; quod eũ te turpe ſit facere; tum ſit ipſum indignum tuæ familiæ celebritate ac nomine: quæ quidem & prudens, & grauis, & temperata ſemper eſt habita. Id ſi feceris; profecto conſulueris cum fame, ſi modo aliquid eſſe bonum nomen & rectam hominũ æſtimationem putas; tum etiam ſaluti tuæ: quæ ſi tibi curæ non erit; mihi eam nõ fuiſſe mmus mirabere. Quanquam & fuit illa certe adhuc quidem mihi curæ plus aliquanto, quàm tibi; qui quæ meritus es, in te ſtatuere diſtuli; cum tu male mereri valde feſtines: & quoad tu voles in eadem erga te voluntate permanebo. Si non feceris: te nullam mei, nullam Reip. habere rationem voluiſſe Deos atque homines teſtatus, equidem animo non libente, ſed tamen ſtatuam in te, quæ erunt ſtatuenda.

Dat. quinto Id. Iun. Anno quinto. Roma.

Siſſæ Præfecto Gallorum militum.

Quæ adhuc quidem egiſti, vt contra hoſtes Reip. XXIX maximo nobis vſui eſſe poſſes; ea mihi omnia val de probantur. Nunc autem quoniam rumor eſt, & quidem ſatis certus, eos in Metaurenſium fines reuerti; vt exercitum eum, cui Legatus meus præeſt, opprimant; te hortor, vt collectis noſtris copijs omnibus, quæ iſtic ſunt, eos inſequare; extremosq; qua poteris laceſſendo moram & impedimentum illis afferas: vt cum aggredi Legatum copiasq; eius volent; te à tergo habeant; à quo ſibi timendum putent. Id erit mihi vehementer gratum. Reliqua quæ agenda erunt, cum id egeris, de Legato intelliges, vel etiam per te ipſe cognoſces. Prid. Calend. Iun. Anno quinto. Roma.

Vitellio Tifernati.

Quod mihi Reiq; pub. in defendendo oppido Peru XXX ſia fidem ſtudium operamq; tuã præſtitiſti; valde te laudo: idq; mihi plane gratiſſimum accidit. Sed eius rei memoriam illud in tempus retinebimus; quo tibi amor in te meus vſui & dignitati eſſe poſſit. Nunc quoniam perfertur ad me hoſtem in Metaurenſes ſe referre; Siſſæ Præfecto Regio ſcripſi, vt vnà cum mea manu omni eum ſubſequeretur, extremisq; inſiſteret: vt cum aggredi Legatum volent, ſi modo volent; illum à tergo ſciant eſſe; à quo ſibi ſit cauendum. Quamobrem tibi mando; vt quamprimum quamq; celeriter cum illo te coniungas: conſiliumq; hoc meum ſtudio diligentiaq; tua, quantum poteris, iuues. Poteris autem, quæ tua virtus eſt, ſanè plurimum. Dat. prid. Cal. Iul. Anno quinto. Roma.

Heluetiis.

XXXI CVm omni vos tempore cognouerim non ſolum animi robore ac fortitudine, ſed etiam religione præditos huius Reip. maxime omnium obſeruantes amantesq; fuiſſe: ſcirem autem non latere vos quot & quàm graues impreſſiones audaciſſimi homines, quibus à ſacris interdictum ſit, in nos atq; proxime in Remp. fecerint; qui vrbes noſtras obſidere, capere, vaſtare agros, rapinis, cædibus polluere atque fœdare omnia non deſtiterunt: eaq; de cauſa coactum impenſas maximas me feciſſe: exiſtimaui minime vobis mirum videri; ſi penſiones eæ, quæ à me debebantur, nondum vobis eſſent perſolutæ. Illud etiam mihi ſæpius in mentem venit pro veſtra pietate atq; beniuolentia, magnam vos moleſtiam magnum laborem accepiſſe, cum cognouiſſetis quàm hoſtiliter ijdem illi paratiſſimi homines Chriſtirem peterent, diriperent, ferro atque igni depopularentur: quàm mihi ſuccenſuiſſe, ſi tardior in præſtanda vobis mea fide fuerim. Quæ cum ita ſe habeant; ſimq; adhuc quidem ipſe in eiſdem difficultatibus, eodemq; tacter atq; impellar mari: curabo tamen; nec curabo ſolum, ſed etiam efficiam, vt cito, quicquid vobis debeo, dependatur. Neque tamen interea petere à vobis non audebo; quæ petenda ſunt; vel quia ipſe vobis omnia tribuo; vel quia vos Romanis quidē Pont. nunquam defuiſtis; vel quod malo veſtræ nationi me debere, quàm vllis omnino hominum omnium. Petenda autem ſunt hæc: primū quidem, vt octies mille veſtrorum pedutum delectum ex ijs, qui fortiſſimi paratiſſimiq; ſunt, ad nos defendendos haberi iubeatis: deinde vt quanto celerius fieri poteſt, ij ſe in viam dent, magnisq; itineribus ad noſtros exercitus ſe conferant. Quemadmodum ab Ennio Epiſcopo Verulano & Iacobo Gambaro Legatis meis opus eſſe intelli-

getis:

getis: qui vos omnibus de rebus docebunt; ſtipendiaq; ad eos milites ſubminiſtrabunt. Reliquum eſt; vt quam virtutem quamq; diligentiam alijs tempeſtatibus in Reip. rebus oſtendiſtis; eaſdem nunc, aut eo etiam maiores, hac in cura ſanandæ Reip. adhibeatis; quo & huius morbi vis acrior, quàm alioruṁ; & ipſa diuturnitate ægritudinis debilior eſt nūc quidem quàm vnquam antea fuerit: addo etiam quo cæteræ medicinæ minus eam ſubleuauerunt. Itaq; vos flagitat: vos expectat: in vobis vnis ſpem ſalutis omnem cōtulit atq; reposuit ſuæ: quæ ne deſtituatur; erit veſtræ probitatis veſtræq; fidei. Cal. Iunijs. Anno quinto. Roma.

Egidio Viterbienſi Auguſtinianorum Eremitarum Magiſtro in Ciminios.

MIhi verò & quod ordinem familiamq; tuam tam topere commendas, eſt gratum: lætor enim cū video tibi eos, quibus præes, eſſe chariſſimos: & illud ipſum, de quo me admones, valde probatur. Itaq; faciam; quod te velle intelligo. Nam id mihi ſatis eſt ſcire me ſcilicet velle te à me aliquid impetrare; qui omnino nihil potes iam aut velle ipſe, quod pulchrum & honeſtum non ſit; aut ab altero petere, quod non ſit petendum. Sed de eo etiam loquemur inter nos, cum vnà erimus. Erimus autem antea quam dies poſtulati tui veniat. Quod autem cupis non inuideritibi illos tuos exoptatiſſimos dies latebraſq; iſtas: equidem illud præſtabo, vt te non interpellem: vt tibi non inuideam, facere non poſſum, tantis præſertim caloribus vrbanis: qui iam incubuerunt. An tu, cū hoc æſtu in ſyluam illam denſam atq; horridam te abdideris; in qua frigus opaciſſimum vel meridianis horis ſentias; putas fieri poſſe, vt tibi non inuideatur? Ego autem ſubinuideo cum multa; tum illud, quod ais, tua te ad ſtudia tuaſq; literulas auidiſſime XXXII

reuertentem mirabiliter iuuari ista loci atq; syluæ tacitumi-
tate & solitudine: in qua nihil, quod nolis, videas; nihil tuis
auribus obstrepet, præter auicularũ cantus; qui te etiam ma-
gnopere delectent. Quod cum ita sit; effice, vt extet fructus
ocij tui: scribe aliquid tu dignũ; quod profecto facis: Remq;
pub. quam mehercule tot annos sermone quidem plurimum
conciombusq; iuuisti tuis; etiam scriptis iuua: socios q; tuos,
quibus domum istam cum phano tua impensa exædificasti;
quam syluæ maximæ circũfusa vndiq; quasi tuetur, ne adiri
temere possit; sic tuis præceptis institue: vt quemadmodum
tu optime omnium feci sti; sic illi sua studia in communem
vtilitatem aliquando cõferant. Quod tamen iam multi mul-
tis in locis faciunt; quos audio etiam Egidianos vocari: de
quo tibi gratulor. Sed hæc hactenus. Tu velim; quod com-
modo tuo fiat; dum istic eris, scribas ad me quam sæpissime.
Nam cũ me omnes tuæ literæ magnopere semper delectent;
omnino ijs Ciminiensibus ita detineor, nihil vt mihi videa-
tur fieri posse delectabilius. Itaq; admirabilis tua illa suauis-
tas orationis incredibilisq; facundia ad me istinc etiam amæ-
bilior proficiscitur: vt loco ipso augeri videatur. Dat.
Nonis Iunijs. Anno quinto. Roma.

Episcopo Curiensi Heluetio.

XXX III

DEliberatum nobis est certum peditum numerum ab
Heluetijs socijs nostris accersitum cum nostra ma-
nu coniungere: quo facilius Reip. hostes audacter
nimium intemperatæq; in eius ditionem debacchantes repel-
lere propulsareq; possimus. Ea de re & illis proxime scri-
psimus; & nunc Gasparem Silinum peditum Heluetiorum
cohortis nostræ Præfectum & Ioannem Diospachium eius-
dem nationis homines ad eos mittimus; qui negocium pro-
curent. Verum quoniam satis mihi cognitum est, qua sis ipse

apud tuos homines omnemq; istam fortissimam præstantis-
simamq; nationem autoritate & gratia, quãtumq; me omni
tempore obseruaueris colueris: te hortor, vt petitionẽ meam
remq; hanc totã cura opera diligẽtiaq; tua iuues; efficiasq;,
vt celeritas in primis & delectu habendo & militibus mit-
tendis adhibeatur: quemadmodum de Silino & Diospachio
cognosces: quibus mandaui, vt tibi salutem dicerẽt meis ver-
bis. Dat. Nonis Iunijs. Anno quinto. Roma.

Sebastiano Ferrerio Regio Quæstori Galliæ Cisalpinæ.

QVod tam officiose tamq; amãter omnes tuas opes, XXX
fortunas, omne studium, operam, diligentiamq; IIII
tuam mihi & Reip. polliceris ijs in literis, quas
nuper ad Episcopum Hipporeginũ filium
tuum dedisti: nõ solum valde te amo: nam id quidem perdiu
est, cum tibi à me tribuitur, vt summo te amore benũolentia
necessitudine prosequar: sed etiam tibi gratias ago, eas qui-
dem, quas debeo; magnas scilicet. Sentio enim planeq; video,
quo in me animo sis; quantamq; tibi mei labores molestiam
ægritudinemq; afferant. Sed hæc breui tempore sanabuntur:
eiusmodiq; curis & difficultatibus liber; quibus nũc valde
mehercule conficior; & vsui & voluptati esse tibi atq; tuis
facile potero: vt tibi gratias non solum agam, sed plane etiam
referam: quemadmodum quidem cupio. Interea verò vt ali-
qua ex parte vtar etiam tuis officijs tuaq; diligentia; quo-
niam ab Heluetijs petij, vt ad me certam manum suorum mi-
litum mitterent, quibus hoc in bello audacissimorũ hostium
vti possim; tu velim rem hanc modis omnibus apud illos iu-
ues, cum vt recte, tum etiam atq; etiam vt celerrime cõficia-
tur. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Octauo Id. Iun.
Anno quinto. Roma.

Egidio Viterbiensi Augustiniano rum Eremitarum magistro.

XXXV CVm mihi Cornelius Benignus tuus; quem ego valde diligo: scio enim & te ab illo mirabiliter amari, & illum abste: etsi iure id quidem: est enim optimis & perelegantibus & moribus & literis: eius etiam sermo & grauis, & prudens, & planè Romanus me mirificè delectat. Sed cum is mihi dixisset velle se ad te proficisci; petere tq; si quid vellem: hanc epistolam conscripsi non tam quidem ociosus; nam id perraro accidit; quàm cupidus legendi tuas literas, easq; præsertim, quæ istinc veniũt. Olere enim mihi propemodum videntur syluam illam tuam & esculorum vmbram qua scribens tegeris; & amœnitatem loci. His autem literis pro meo in te amore hoc intelliges, cogitare me Senatum cogere, vt illum ordinem augeam, asciscamq; eo in collegio aliquot, qui mihi valde probantur; aliquot etiam, quos Reip. necessitas postulat. Puto autem te cognoscere cuiusmodi ea necessitas sit. De eo velim cogites; rescribasq; mihi; quid sentias. Nondum enim statui quo die. Quod cũ erit, faciam te de eo meis literis certiorem. Tertiodecimo Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XXXVI CErtior factus sum iuberi te per Regias literas; vt cum ijs copijs omnibus, quas istic habes, te ad Regni terminos, qui ad Picenum sunt, cõferas: vt mihi esse vsui atq; præsidio possis. Id cum ita sit; peto abste; diligentiam omnem adhibeas tuam; vt quanto citius fieri potest, te itineri atq; viæ des: vt mihi & Reip. suorum hostium audacia atque perfidia laboranti præsto in tempore sis. Ageremus tecum pluribus: nisi & ipse per te cognoscceres, quantum momenti positum in celeritate sit rerum bellicarum: &

perspectanobis plurimis maximisq; in rebus esset tua in nos obseruantia. De quibus cum bene sæpe antea merueris; certe hac in re recte atque celeriter confecta propter periculorum, quæ impendere videtur, timorem, omnia prope mereberе. Tertiodecimo Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Nicolao Scombergio Augustiniano.

DVdum est, cum nobiscum agitur, vt affinitatẽ cum Bissiniani Principe optimæ spei adolescente nobis esse ineundam statuamus; & Magdalenæ sororis meæ filiam ei despondeamus. Ego verò cum intellexissem à Principis patre aliquot ante annis, dum is puer esset, nescio quid de ducenda Raimundi Cardonæ vxoris sorore, cum adoleuisset, nam ea quoque infans erat, actum tractatumq; fuisse: ei rei adhibere aures nolui: ne Proregis bene de me meriti animus offenderetur. Nunc autem, quoniam renuntiatum nobis est, Principem omnino adduci nõ posse, vt velit eam vxorem ducere: Regemq; Carolum intellecta ea re, remisisse ipsi, vt in eo liber suiq; iuris esset: inclinare etiam Principis animum ad sororis meæ filiam: mando tibi; vt Regi narres hæc, quæ dixi, omnia. Quæ si vera, quod ad ipsum attinet, sunt: eum hortabere non solum vt velit, sed etiam Principi ad se in præsentia venienti ostendat sibi placere, vt propinquitas eiusmodi inter nos atq; illum cõstituatur: idq; se ratum & probatum habiturum. Duodecimo Cal. Quintil. Anno quinto. Roma. XXXVII

Egidio Viterbiensi Augustiniano rum Eremitanorum Magistro.

SCripseram ad te proximis literis cogitare me Senatum vocare Cardinalium creãdorũ causa: neq; tamen statutum mihi esse quo die: sed cum statuissem, tibi significaturum. Eas ad literas tantummodo mihi rescripsisti, XXXVIII

probare te consilium meum. Scire enim nihil me, nisi quod è Rep. sit, esse facturum. Ego verò scripseram, vt elicerem abste, cuperes ne ipse in Cardinalium collegium cooptari. Id quoniam reticuisti vel pudore tuo atque modestia, qua semper magnopere abundas; vel quod eius rei nulla te cupiditas teneat: vtrumlibet lætor; vel pudentem esse te, vel ambitione carere, præsertim earum rerum; quarum adipiscendarum desiderio plerique ita ducuntur, vt etiam insaniant. Itaque confirmasti etiam tu quidem mihi tuo silentio consilium meum. Perdu enim est, cum te legere in Cardinalium ordinem cogito, cum vt tuorum laborũ magna cum Reip. vtilitate triginta totos annos susceptorum hanc tibi quasi mercedem persoluam, quam possim maximam atque amplissimam: tum vt te Resp. sic vtatur, vt ex te fructus vberrimos capere possit. Puto autem Reip. maiori & vsui & honori fore dignitatem tuam, quàm tibi ipsi. Maior enim atque illustrior iam est virtus tua, quàm quæ magistratu illo egeat. Ordo verò ipse talibus viris, vt tu es, egere mihi quidem magnopere videtur. Quare plus tu ordini, quàm tibi ordo, ornamenti afferes. Efficiam igitur id nunc; quod dudum, vt dixi, meditor: teq; cum reliquis, qui à me creandi sunt, Cardinalẽ nominabo. Id erit Cal. Quintilibus. Quem ad diem mando tibi Romæ vt sis: vt te statim videre atque amplecti possim. Dat. octauo Cal. Quintilis. Anno quinto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXXIX

ET amor vetus erga te Senatumq; istum grauissimum & sapientissimum meus plurimis vestris atque maximis & antiquis & recentibus ductus & confirmatus officijs, & vrbis tuæ claritas amplitudoq; Reip. me impulere; vt; quod tibi & vsui & dignitati fore magnopere intelligebam; quodq; te vehemẽter cupere Marcus Minius Legatus tuus sæpe mihi significauerat; id tibi hoc tẽpore tribuerem: vt aliquẽ ex tuis ciuibus in Cardinalitũ collegium cooptarem. Itaq; hodie de fratrum meorum E. R. Cardinalium consilio Franciscum Pisanum ciuem tuũ Cardinalem creaui cum ipsum optimis moribus, singulari pietate adolescentem; tum Aloisij Pisani filium magni & clari viri: vt cum duos eius ordinis ciues tuos haberes; quorũ alter senex iam esset, & præter hoc fractis & exiguis aduersa valetudine corporis viribus vteretur; alter plena ætate virum ageret: iste adolescens illis ipsis quasi submissus atq; sublectus magis etiam vestros animos confirmaret; non defore multorum annorum spatio ex tua ciuitate, qui cum magistratum gereret. Quod eo libentius feci; quod volebam omnes homines intelligere te à me fieri plurimi. Reliquum est; vt & ego & tu Deum Opt. Max. precemur; vt declarationem hanc susceptam à me tua causa, & tibi & mihi & Reip. fortunet. Dat. Cal. Quintil. Anno quinto. Roma.

Ioanni Iacobo Triultio.

CVm animo repeterem, quanta cura, quantoq; studio nobiscum sæpe egeris, vt Augustinum Triultium propinquum tuum in Cardinalium ordinem legere atque adsciscere vellemus: cum tuis precibus impulsi, tum ipsius allecti virtutibus, religione, optimis præstantissimisq; moribus, demum etiam vestræ familiæ cum nostra familia consuetudine officiorumq; propemodum omniũ coniunctione suadente hodie de fratrum meorum E. R. Cardinalitũ consensu Augustinum Triultium Cardinalem nominaui; atq; in amplissimum eius ordinis collegium cooptaui. Spem autem in Domino habebamus, fore, is vt honori; qui quidem longe

XL

maximus ex ūs, qui à Romano Pontifice atq; ab hac Rep. dari poßunt, summoq; proximus est; & ipsi & vestræ familiæ, & Dei Ecclesiæ, nobisq; omnibus & vsui & voluptati esset futurus. Cuius rei afferre tibi ego quoq; nuntium volui vt non solum de necessarij tui ad eum dignitatis gradum proiectum incremento & amplitudine; sed etiam de mea in te gentemq; tuam optima cupidißimaq; voluntate, quam tamen perspicere potuisti, meis etiam literis fieres certior. Vndecimo Cal. Quintil. Anno quarto. Roma.

Prolegato Perusiæ.

XLI Recte abste factum est, quod me de Ioannis Tadei Balionis hæreditate, quid fieri vellem, cōsuluisti; quidq; ipse ea in re egeris, mihi tuis literis significauisti. Quibus literis ita tibi respondeo: primū quidem laudare me curam diligentiamq; tuam, qua vsus es, ne inter patrem & filium lis vlla & disceptatio existeret; præsertim in tuorum edictorum contumeliam: deinde velle me, vt omniū primum atq; potißimū ex interfecti hæreditate nomina, si qua sunt, dissoluantur. Quibus dissolutis, quæ supererūt; siue numi, siue Prædia, siue quid aliud sunt; ea Horatio Balioni omnia, eorumq; possessionem dari atq; tradi volo: nam ei dono dedimus. Hæc verò ipsa, quæ tibi mando singula, Ioanni Paulo Balioni declarabis meis verbis: hominemq; hortaberis, ne donationi ei meæ vlla ex parte auersum se atque difficilem præbeat, in filij præsertim sui vtilitatem rebus cedentibus. Deq; eo, quid egeris, facies me tuis literis certiorem. Tertio Non. Quintil. Anno quinto. Roma.

Heluetiis.

XLII Pensionum vestrarum numos, quarum dies præterierunt ad diem sextum Nonarum Quintilium ad vos misi, non tum quidem commode pro meis maximis impensis & præsenti Reipub. statu, quàm libenter. Meus enim in vos animus is est nunc, etsi premor teneorq; rerum omnium difficultatibus; qui erat antea, quiq; semper est futurus. Quod cum ita se habeat; illud mihi magis mirum accidit, de quo proxime certior factus sum; adhiberi à quibusdam vestrorum ciuium difficultates & moras in eo delectu habendo militibusq; cogendis ad nosq; mittendis; quos peteram, quiq; iam per meos homines permissu vestro contrahebantur: præsertim cum huius opportunitas omnis atq; vtilitas vestri auxilij ita posita in celeritate sit; vt si hæc vna desiderabitur; & labor meus frustra susceptus, & impensa omnis incassum facta esse profecto videatur. Quod ne accidat; non iam minus curare vos oportet; qui semel iuuandæ Reip. curam atq; prouinciam suscepistis; ne probitati fideiq; vestræ nota hæc atq; calumnia tribuatur: quàm me à vobis petere; vt cuius Reip. libertatem tutati adhuc quidem semper fuistis, cuiusq; libertatis defensores & habemini & vocamini; eidem nunc inimicorum suorum audacia laboranti, vosq; sibi, vt solita est, aduocanti, opem vestram esse præsentandā statuatis. Quod rectißime fiet; si celeriter eam vestram manum ad nos proficisci mandaueritis. Id vt curetis, moras q; omnes & impedimenta reijciatis, etiam atque etiam à nobis peto. Nonis Quintil. Anno quinto. Roma.

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

XLIII Ea, quæ Siciliæ Prorex cum Hispanorum militū Præfectis, qui cum Francisco Maria sunt, tractauerit, egerit; de Legatis Regijs intelliges. Nunc peto abste & quidem vehemēter; vt quantò celerius fieri potest, cum ea, quam habes manu, Piceno appropinques: vt & autoritate

tua, quæ magna est, iuuare negotium; & quæ inchoata modo ab illo sunt, perficere tua virtute possis. Quod ipsum non mihi solũ Reiq; pub. sed tuo Regi etiam, cuius autoritas, dignitas, honor hac in re vnà cum nostro versatur; esse gratissimum debebit. Quemadmodum ipsis ab Legatis tibi perscribetur: quorum ad literas te reiicio. prid. Id. Quintil. Anno quinto. Roma.

Heluetiis.

XLIIII ET si non dubitabamus vos iis literis, quas Nonis dedimus, quantum mihi celeritate vestra opus esset, admonitos, quæ postulabamus de mittendis ad nos vestris militibus, iam curauisse: nostrum tamen erga vos paternum amantissimumq; animum repetentibus visum nobis est has etiam ad vos esse literas dandas: quibus vos diligentius commonefaceremus; vt cum antea vel in leuissimis huius Reip. causis nunquam ei opem vestram atque subsidia recusauissetis; velletis nunc grauissimis eius in difficultatibus durissimoq; tempore non deesse: præsertim cum vester honor vestræq; fidei existimatio in eo maxime agi versariq; videatur. Nam si Francisco Mariæ cõtra nos Remq; pub. arma capienti vestri aliquot milites adhæserunt; illoq; omnia medijs in Reip. visceribus miscente atq; turbãte eos vestros milites non reuocauistis: nunc autem nobis milites vestros postulantibus, vt nos Remq; pub. tueri atq; defendere possimus, nihil omnino concedatis, neq; vestris vti posse militibus permittitis: hæc cum intellecta erunt, cum audientur; quid de vobis homines existimaturi sint, per vos ipsi facile perspicere potestis. Quod si non recordamini esse vos illos ipsos; qui huius Reip. dignitatis propugnatores & haberi & dici voluistis: eos tamen esse vos obliuioni ne mandetis; qui pusilli quidem primo atque infantes baptismatis

conspersi vnda Christianos fore vos admurmurauistis: quiq; deinde pueri Christum Deum Dominumq; nostrum consalutauistis: posteaq; semper Christi Ecclesiã, moremq; nostrum sacrorum, & Romanos Pontifices, Remq; pub. hanc eandem, quæ nunc premitur, tot magnorũ hominum præclaris rebus gestis sanguineq; sanctam atq; coalitam coluistis: verendum vobis vt sit; ne, si Reip. ipsi tãtopere nunc quidem laboranti opemq; vestram flagitanti non succurritis: succurritis dico? imo etiam si ei succurrere cupientibus impedimento estis, ne facere id possint: nõ minus ipsi, quàm qui bellum contra nos gerunt, in eam admisisse videamini. Itaque vestra illa tam præclara nomina tũ Christianorum, tum Reip. defensorum contempsisse etiam & abiecisse redarguamini. Quare si vestra vobis dignitas, si gloria, si titulimagnis vestris parti laboribus, si existimatio fortitudinis & fidei; quarum duarum virtutum quæ nam in vobis maior atq; spectatior adhuc quidem fuerit, non est facile dicere; si religio, si cætera, quæ hominibus honestatem pariunt, vobis chara & iocunda sunt, defendite hoc tẽpore hoc Imperium, quod semper estis tutati; permittite vestris militibus, vt se ad nos conferre possint; quod nunquam antea prohibuistis: occasionemq; hanc bene gerendæ Reip. ne prætermittite; quæ quidem breuissima est, vt sæpe ad vos scripsi. Sed non committam, vt dum plura, quàm necesse est, ea de re in hanc epistolam conijcio; minus confidere videar vestræ vel fidei vel pietati, quàm oportet. Itaque finem faciam scribendi. Vnum dicam; quod tamen sæpe iam dixi: sed dicam etiam atq; etiam: neq; enim nimium dici potest id, quod magnopere interest fieri. Celeritate opus est: atque ita opus est; vt in vna ea plane sint omnia: Quam vrgebitis, & valebitis. Septimo Id. Quintil. Anno quinto. Roma.

Præfecto militum Hispanorum.

XLV EX tuis literis cognoui, quo in me animo esses, quãtãq; voluntate tenereris operã studiumq; tuũ magna alioqua in re mihi nauandi: quam quidẽ libentissime accipio. Itaq; mandaui Roberto Boscheto vt te ea de re conueniret; consiliumq; meũ, quod illi notũ fecerã tibi exponeret: te verò magnopere hortor; vt quod is abste meis verbis petet, id celeriter explices. Tibi autẽ polliceor fidemq; meam his obstrũgo literis; quicquid is tibi recipiet se curaturum, si rem confeceris; id nos omne ratum & probatum habituros. Sed etiã præter id sperare te omnia volumus; quæcunq; tibi & vsui & honori futura sint, de me facile impetratu rum. Idib. Quintil. Anno quinto. Roma.

Alfonso Duci Ferrariensium.

XLVI BEltramus Episcopus Adriæ Legatus tuus mihi dixit cupere te; vt Heluetij, qui accepto Reip. stipendio tra iecturi sunt in Vmbriam & Picenũ per ditionẽ tuam, non vno agmine iter faciãt, sed pluribus, atq; ijs eiusmodi, nullũ vt agmen plus ter mille pedites habeat: cũ vt loca tua minus conterantur, posintq; facilius non maximũ numerũ alere: tum vt ipsi etiã commodius excipiantur. Quod cũ mihi æquissimum sit visum; scripsi illico ijs, quos Heluetijs duces itinerum dedi; vt in plures discreti partes iter facerent, neq; omnes tuos fines ingrederentur eodẽ die: ne vel vnà contimensq; multitudo eodẽ loco; vel eodẽ tẽpore pluribus in locis excipienda molestiam & sumptum tuis hominibus grauiorẽ exhiberet; quàm tu velles; quamq; oportet. Itaque curarent; vt tibi oneri quàm minimũ essent. In quo cum tibi ego satisfecerim; æquum erit animaduerti abste; vt quæ mihi litibus in via dari solent, illis in tẽpore parentur. Tum & illud: vt cũ separatim ituri sint, tuto per tuam ditionem itur

faciant. Idibus Quintil. Anno quinto. Roma.

Francisco Pisano Veneto Cardinali.

CVm te ad Remp. gerendam amplissimo in loco atque ordine animo libentissimo admiserimus; magnopere te conuenit earum rerum, quibus in rebus dignitas libertasq; Reip. versatur, curã nobiscum procurationemq; suscipere. Quare cum in fructibus monasterij Arbensis ratione Salinarum prouenientibus, qui quidem Petro Bembo familiari ab Epistolis meo & ciui tuo satis iniuste retinentur, ipsius iura optima Reiq; pub. dignitas offendãtur, Antonio Marcello Franciscanorum societatis & familiæ Magistro istuc reuertenti mandaui; vt tibi mentem meam ea in re, quidq; te vellem facere, ostenderet. Hortor itaque te; vt hac in causa, in qua quidem te ad partem curarum publicarum nunc primum aduoco, cum æquitati & iustitiæ, tum mihi & Reip. satisfacias: patremq; tuum virum egregium, & reliquos quos oportebit, adhibeas, rogesq; efficiant; vt quod volumus, vel potius quod ipsa æquitas postulat, aliquando tandem consequamur. Erit id quidem nobis abste cum per se ipsum, tũ quod esse illud quasi virtutis tuæ specimen experimentumq; putabimus, planè gratissimum. Duodecimo Cal. Sextiles. Anno quinto. Roma.

XLVII

Familiæ Rodulforum Florentiam.

XLVIII QVas mihi Iulianus Rodulfus gratias egit vestris verbis, quod in vestram familiam Cardinalatum intulissem, Iulianum Rodulfum sororis meæ filium in Cardinalium collegium ascisc endo: eæ mihi gratæ atq; iocundæ fuerunt: vestrumq; id officium atq; ea animorum declaratio; quàm tamen multo antea perspectã habebamus: magna enim & præclara documẽta vestri erga nos amoris & pietatis summæq; obseruantiæ sæpe dedistis:

iocundiorem mihi eam ipsam meam nominationem ātq; iudicium fecit. Quemadmodum ad ipso Iuliano intelligetis: qui cum sum prolixius his de rebus loquutus. Vndecimo Cal. Sextilis. Anno quinto. Roma.

Bernardo Bibienæ Cardinali.

XLIX CVm Gaspar Silinus Heluetiorum Cohortis Prætoriæ Præfectus in perducendis ad nos Heluetijs peditibus & fide & diligētia egregie nobis satisfecerit: petatq; à nobis per literas; vt quo ardentius ij milites officio fungantur suo, mādemus, vt eis stipendium tam in tempore Quæstores nostri dent, vt diem laxam velle facere non videantur: tum etiam quia secum aliquot milites habet & virtute & militari disciplina magnopere præstātes; operam adhibeamus, ijs vt ipse paulò vberius stipendium dare possit eo stipendio, quod vulgo atq; passim meretur: deniq; quoniam multi præter delectos non mali quidem milites sponte ad se confluxerunt, putatq; ipse ex Reip. vel vsu vel dignitate non posse se illos pedites missos facere; iubeamus eis etiam à Quæstoribus subministrari. Hæc cum is à me contendat expetetq; omnia; mando tibi; vt omnibus ijs de rebus postulatisq; Silinanis id constituas; quod tibi ex vsu & ex dignitate nostra videatur esse. Sexto Id. Sextilis. Anno quinto Roma.

Ioanni Francisco Pico Mirandulæ domino.

L TVrpem sane rem teq; patre ac vestra familia indignam feciſſe filium tuum, literæ mihi venerunt: qui armatorum hominum manu in villam, quæ in Carpensi agro est Ecclesiæ Bononiensis, cui quidem Ecclesiæ Achilles Cardinalis Transtyberinus præest, impetu facto, magnū frumenti numerū perfractis horreis asportaunt nulla boni & æqui, nulla Cardinalis magni & clari viri, nulla

Reip. ratione habita, legum, iudiciorum, nulla mei; quem vereri quidem certe pro meo in te amore prope singulari saltem debuerat. Ea de re filiiq; tui latrocinio & scelere cum apud me Cardinalis grauiter questus esset: dixi ei me tecum acturum, vt ipsi ablatum quod erat, restitueres. Cæterū ignosceret puero non nimiū pudenti propter patrem summa virtute præstantiq; religione hominem. Quod quidem nunc facio: teq; non hortor solum, sed tibi etiam mando, cures, vt Cardinali integrum sine mora sineq; tergiuersatione, vel restituatur, vel dependatur. Quod si facere neglexeris; scire te volo, cum me Cardinali bene de me deq; Rep. merito nō defuturum: tum Reip. dignitatis libertatisq;, quibus modis potero, rationem habiturum eisq; satisfacturum. Sexto Cal. Septembris. Anno quinto. Roma.

Petri Bembi epistolarum Leonis decimi Pont. Max. nomine scriptarum LIBER XVI

Carolo Hispaniæ Regi.

GRATISSIMVS mihi nuntius 1
is fuit; qui te Morinorum è littoribus in Hispaniam transmittentem idonea tempestate soluisse me certiorem fecit. Confido enim te iam traiecisse: atq; in tua illa Regna, quæ te diu videre cupiuerunt, saluum sospitemq; peruenisse. Quibus à Regnis

multa tibi, multa Reip. Christianæ vtilia spero fore. Itaq; ea de nauigatione tua, si modo recte confecta est, valde lætor: quemadmodum de legatis meis cognosces: qui tibi meis verbis plurimam salutem dicent. Ii tibi etiam significabunt me bellum id, quod Franciscus Maria mihi reiq; pub. intulerat, sedauisse. Quod eo libentius feci; vt sumendo in Turcas bello dare operam aliquando mihi liceat. Quam ad rem te hortor, cogitationes omnes conuertas tuas: vt communi consilio & cura agere iuuareq; Remp. possimus. Non. Nouemb. Anno quinto. Romæ.

Francisco Pisano Cardinali.

II AB exemplo literarum, quas ad Leonardum Lauredanum Ducem Venetiarum dederam; quibus quidem illi reiq; isti pub. Hieronymum Laraam Patauinum exulem maiorem in modum commendabam; quo studio tenear, vt ei à Senatu isto ignoscatur, facile intelliges, Qua in re quoniam perspecta mihi est tua patrisq; tui clari viri apud istam Remp. autoritas; velim vt tu atq; ille ita eum tuendum fouendumq; mea causa suscipiatis; vt existimetis gratissimum mihi fore; si is vestra ope adiutus istius vrbis Senatusq; grauissimi clementiam se non frustra implorasse me commendante cognoscet. Tertio Id. Nouemb. Anno quinto. Roma.

Senatui Mediolanensi.

III VEstras ad literas; quibus Parmæ Magistratus, quòd cum armatis hominibus in Brixellensem agrum incursionem fecerit, factũ excusatis; ita vobis respondeo: non debuisse illum, propterea quod Brixellenses eius postulationibus satisfacere noluerint, ferro eos aggredi; velleq; ius de nostris hominibus sibi ipsum vi atque iniuria constituere. Apud me queri de eorum intemperãtia debebat; atq;

atq; à me petere, vt starent eos meis de ea salis quæstione, qua de agebatur, literis iussionibusq; compellerem. Itaq; cũ suarum in Brixellenses iniuriarum, tum Brixellensium in Parmenses; si quæ tamen fuere illorum iniuriæ; turbarumq; omnium vnus ipse autor atq; caput fuit. Quare eius criminis vniuersi culpa remitti quidem illi facile potest; excusari eiusq; non potest. Quod ad salis tamen quæstionem attinet: mando Mutinæ Regiq; Magistratui; curet; vt Brixellenses intra eam consuetudinem, qua sub Atestinis Ducibus vtebantur, nunc etiam se contineant: iubeatq; illos; vel cogat etiam, si opus erit; vt earum mearum literarum, quas allegatis, scripto audientes sint: neq; mihi ea de re permittat negocium & molestiam adhiberi. Octauo Id. Decembris. Anno quinto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

IIII QVod mea consilij tui comprobatio & collaudatio de partitione Episcopatus Toletani grata tibi magnopere fuerit: sane lætor. Equidem in eo mihi visus sum meritò tuo te laudauisse: cum ea, quæ ipse tuis Hispaniæ Regnis conducere ad quietem & otium perspiciebã; te cognoscerem diligenter considerauisse; atq; à nobis vt ita statuere vellemus, per Legatos tuos perq; literas petüsse. Non enim quæ tuarum rerũ & populorum vsum dignitatemq; cõtinent; ea nobis minus curæ sunt propter meum in te amorem; quàm quæ ad me ipsum pertinent. Itaq; primo Senatus die rem ex tua sententia libentissime conficiam. Quod autem ad eas tuas literas attinet; quibus scribis magnã tibi admirationem eas meas literas attulisse, quas ad Episcopum Cæsaraugustanum dederam: si causas eius rei omnes seriemq; cognouisses; quas illi dixeram, cui eas literas dedi, mandauiq; vt te de ijs certiorem faceret:

nihil te profecto commouisses. Accidit autem perincommode; quod is, qui literas à me cum mandatis acceperat, antequam, se ad te conferret, mortem obiens officio fungi non potuit. Itaq; ea, quæ te scire magnopere volebam, ad te non sunt perlata: quæ tu si intellexisses; meam illam veterem in te beniuolentiam illis ipsis in rebus, quæ tibi molestiam attulerunt; facile agnouisses. Quanquam quidem vtcunq; te reliqua omnia latuerunt: ea vna conditio, quæ erat in meis literis; vt te libente fierent, quæ mandabam; sin autem tu nolles, nõ fierent; satis te certum facere debuit; nos, nisi quod tu probares, nihil statuere voluisse. Itaq; minus necesse erat te à me petere; ne posthac aliquid, quamobrem vlla animi mei erga te alienatio facta videri posset, cupiam concederem: cum illud ipsum, quod te nunc mouet, constantis meæ in te beniuolentiæ perpetuæq; voluntatis magnum tibi & luculentum indicium præbeat: si recte sit consyderatum. Necesse autem fortasse erit propter id ipsum, me abste petere; ne ipse cupiam de nostro in te animo non recte interpretanti aures præbeas. Nam si de me nihil, nisi ex tua voluntate sancienteno optime iudicas: quid porrò fiet; cum aliquid tantummodo ex huius Reipub. dignitate statuemus? Peto igitur abste mi fili; nẽquid ipse de mea in te voluntate, nisi ex tuo in me animo iudices; nẽve alijs temere iudicantibus fidem adhibeas, tandu saltem; dum id verum sit, nec ne, scire possis; scies autem illico; si à me pertendum existimabis: Nihil enim te celabimus. Tum illud perfice; vt mentem & cogitationem tuam ad ea, quæ præsenti consilio magnopere indigent, in propulsandis Christianæ Reip. periculis nobiscum intendas: teq; ad bellum in Turcas communi consilio suscipiendum para. De nobis quidem certe omnia, quæ à patre amantissimo sunt expectanda, tibi ipse poteris omni tempore rectissime polliceri.

Dat. Nono. Calend. Ian. M D X V I I Anno quinto. Roma.

Episcopo Ouetensi.

V

ALteris meis ad te literis scripsi; quo in loco Franciscum Penalosam cantorem meũ haberem; quamq; eo nostris in sacris & cerimoniarum celebritate familiariter ac prope quotidie vterer. Itaque non erimus nunc quidem ea in re tibi ostendenda longiores. Verum cum is magnopere cupiat, vt Archidiaconatus Chermonæus, quem obtines in Ecclesia Hispalensi, sibi mandes vt conferatur: tibiq; ipse reponere fructus Archidiaconatus velit alijs in sacerdotijs, quæ tantidem æstimentur: petamq; idem abste alij perfamiliares tui: velim des ei te facilem ea in re hortatu meo, hominisq; plane industrio & mihi grato commodes. Omnino cur ipse tantopere id cupiat, non video. Sed si ei satisfeceris; erit mihi valde gratum. Sept. Cal. Ian. Anno quinto Roma.

Odoni Lutrechæ.

VI

QVod pro meo in te amore, tuaq; in me beniuolentia & pietate proq; nostris vtriusq; rebus atque causis antea factum oportuit; vt haberem apud te aliquem probum virum; qui mea & Reip. negotia procuraret: id nunc tandem vt fieret, curaui. Mitto igitur ad te Aloisium Alemannum ciuem Florentinum & integritate & virtute præditum iuuenem: qui apud te sit meo & Reip. nomine. Prid. Cal. Ian. M D X V I I Anno quinto. Roma.

Ludouico Regi Pannoniæ.

VII LEgi tuas literas: quarum in extremo erat, te Franciscum Marsupinum mihi legauisse: quod quidem ego libentissime cognoui. Nam & cupiebam esse aliquem apud me interpretem tuum; quicum agere singulis horis possem cum alia sanè permulta; tum ea certe atq; in primis, quæ ad bellum Bizantinum pertinerent: & Marsupinus ipse; qui mecum prope quadriennium in rerum Pannonicarum procuratione familiariter est versatus; & fidem mihi suam, & diligentiam; addo etiam & prudentiam & probitatem magnopere probauit. Cui quidem; vt iam ipso vti eo nomine meiperem; quædam senatusconsulta communicaui; quibus habendis Regum Legati interfuerunt; in communis belli vsum agitata: quorum ille seriem se ad te perscriptorum recepit. Quæ tu sic accipies; vt siquid ipse vel addere vel demere eis voles, scribas ad nos quamceleriter animi tui sensum atq; sententiam. Sin tibi omnia probabuntur; des operam; vt quæ curare te ijs in rebus oportebit, ita curẽtur; vt te appareat, quanto ipse hosti propinquus magis expositusq; es alijs Regibus; tanto etiam vegetiorem & paratiorem ad tua obeunda munera partemq; belli prosiluisse. Priori tuarum literarum paginæ reliquisq; partibus nihil attinet me rescribere: nam ijs ad superiores meas ad te literas respondisti. Vale igitur mi Rex: teq; ad Remp. obeundam magno & inuicto animo para. Septimo Id. Ianuar. MDXVIII Anno quinto. Roma

Raimundo Cardonæ Proregi Neapolis.

VIII SCribimus Francisco priori Barensi, & Michaeli Geslindo canonico Tiraſonensi: mandamusq; ijs; vt in ius Romam vocẽt Romanorum Iudicum verbis Aloisium Carraffam equitem societatis Hierosolimitanorum,

Ioannis Franciſci Rogerij item eius societatis equitis nomine: quemadmodum ex iudicum scripto, quod est in meis literis, oportere fieri latius intelligent. Qui quidem Rogerius cum in meis familiaribus eo loco sit, vt à latere curaq; mea nunquam discedat; valde cupio, ne ab aduersario eludatur cauillatione litis aliqua & effugio iudicij: quibus ille rebus multum videtur confidere. Quapropter peto abste; vt Francisco & Michaeli des ex tuis aliquem, cuius autoritas contemni non possit: qui vnà cum ijs tandiu sit; dum illum sisti iubeant, quoquo loco sit. Id erit mihi abste etiam atq; etiam gratum. Quinto Id. Ian. MDXVIII Anno quinto. Roma.

Episcopo Burgensi.

IX NOn vnis ex tuis & Curtadi literis optimum tuum in nos animum & voluntatem cognoui: quæq; tu fraterq; tuus mihi pollicebamini in communẽ belli gerendi vtilitatem; ea omnia libentissime percepi. Quibus de rebus vtrunq; vestrum satis collaudare vix mihi videor posse: vel potius planè non possum. Quid enim vel opportunius ad ea, quæ impendent Christianæ Reipub. pericula sustinenda; vel esse per se laudabilius potest: quàm vestri simules existere: qui nõ solum aut velint Reip. causa omnia, aut nihil recusent, quod ex vsu belli sit; sed etiam opes suas omnes, operam, studium, diligentiam, laborem, vitam ipsam in commune proferant; spontẽq; mihi tam liberaliter tamq; amanter polliceantur? Quare vt dixi, vobis laudandis satis mihi esse nulla oratio potest. Sed tamen & pie quidem maximeq; ex rei Christianæ dignitate facere te atque illum statuo: qui iamnunc paratos esse vos ad mandata Reipub. cas pessenda profiteamini: & ipse cum erit tempus, virtutem vestram magni, vt debeo, æstimans, quid facto opus sit,

reddam vos meis literis certiores. prid. Id. Ianuarias. MDXVIII Anno quinto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

XQVod meorum cogitationes amorem erga te suum veteremq; necessitudinem nodo etiam firmiore vinciendi libentissime cognoueris; valde lætor. Nihil est enim quod magis cupiam; quam cum te ipse tantum diligam, quantũ tu intelligere potuisti, me perspicere meos etiam omnes tecum esse quam coniunctissimos. Itaque Laurentij Medicis fratris mei filij nuptiarũ causam læto te animo & lubenti suscepisse; & ipsi iam gratulor; & tibi gratias ago. Non enim dubito; quin, quod tu semel curandum sumpseris, recte id atque celeriter conficiatur. Quare nihil tibi quidem nunc eo nomine separatim mando; nihil præcipio. Totam tibi rem tuaeq; tum fidei, tum liberalitati permitto & trado. Agas tu, cogites, statuas, vt lubet: & statues quidem puto ex nostra dignitate. Illud te rogo: vt quam nobis ipsis animorum nostrorum conglutinationem & vsui & voluptati putamus fore; eam perinde nobis esse suscipiendam statuamus; vt quo ipsi coniunctiores erimus inter vos, eo plus opis atque præsidij in communẽ Christianæ Reip. vtilitatem vtriq; simus allaturi. Decimosexto Cal. Februarias. Anno quinto. Roma.

Ianni Albaniæ populorum Duci.

XI LEgi tuas literas ad Petrum Cardinalem Anconitanum datas: quæ mihi voluptatem attulerunt. Cognoui enim ex ijs id, quod antea sermone multorum affirmabatur; te scilicet & prudentẽ virum esse, & tẽperantem, & pietate ac religione præditũ, atq; huius in primis Reip. magnopere obseruantem, quas quidem te virtutes habere;

quo maior es, & quo pluribus imperas; eo lætor equidem vehementius. Erunt enim cum illustriores ipsæ per se; tum etiam fructuosiores: neque solum re, sed exemplo etiam iuuabunt: cum te vltimis in terris positum, & gentibus horridiusculis præpositum, abundare tamen maximis pluris misq; virtutibus nostri delicatiores Reges intelligẽt. Quare velim scias & amari te à me, & magni etiam fieri: tum me cupere ductum istum tuum & Regnum bene tibi atque feliciter euenire. Quod autem ad postulationes tuas attinet; quas mihi quidem studiose ac diligenter idem Cardinalis commendauit: volo te existimare, quantum Reip. rationes patientur, tibi me omnia libenti propensoq; animo concessurum; & vel tuæ dignitatis vel gentium & populorum tuorum otio & tranquillitati amantissime consulturum: quos tibi populos tuaeq; fidei atque iustitiæ magnopere commendo. Decimoquinto Cal. Febr. Anno quinto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

ADrianum Episcopũ Dertusensem in Cardinalium collegium libenter cooptauimus, cũ propter ipsius singularem sacrarum literarum doctrinam, probatissimosq; mores & virtutum plurimarum præstantiam; tum vt tibi morem gereremus remq; omnium gratissimam faceremus: cum probum virum, & doctum ac prudentem hominem, Magistrum etiam & præceptorem tuum in amplissimum huius Reip. dignitatis gradum adscisceremus. Qua quidem de re magis magisq; in dies lætor. Spero enim fore; vt ea hominis dignitas & tibi & mihi & Reip. vsui & voluptati sit futura. Sed cũ ego iam quæ meæ erant partes in ornando illo eas amantissime impleuerim: tuum erit deinceps dare operam; vt homo optime de te meritus, XII

magnus nunc vir, & in Magistratu eminenti positus, fortunarum suarum tenuitati, vel potius; vt iam id, quod est, dicatur; paupertati; quæ tot annos eius vitæ socia nec bella nec placabilis fuit; possit nuntium remittere: atq; aliquãdo tandem, perinde vt illa dignitas postulat, quã tueri debet; laxe ac liberaliter viuere. Qua in re sic tibi illum commendo, quasi res mea, non ipsius agatur. Nam quas tu in eum commodiates liberalitates q; contuleris; de ijs ego tibi me sponsore libentissime debiturum. Sed velim id; quemadmodum te quidem facere tantum Regem tamq; fortunatum decet; & celeriter & liberalissime facias. Octauo Cal. Febr. Anno quinto. Roma.

Carolo Hispaniæ Regi.

XIII Iohannem Iordanum Vrsinum virum & rectum & alti animi, & in sua gente atque familia facile principem, & propinquum meum, amaui, vti debui plurimum; eius q; causa volui semper omnia. Is ægrotus cum esset; liberos aliquot, quos habebat, sibi hæredes instituit: paulo q; post vita functus est. Quos ego omnes perinde mihi tuendos & fouendos suscepi; non vt propinquos & necessarios meos, sed potius vt filios mihi esse illos existimarem. Itaque cum ij nescio quid oppidulorum in tuo Neapolitano Regno haberent: peto à te; vt eos mea causa recipias in fidem & clientelam tuam: putes q;, quicquid ij abste suis in rebus vtilitatis ornamenti q; consequentur; id te mihi omne tribuisse, in me q; contulisse. Tantundem enim vel eo etiam amplius tibi me debere profitebor. Quarto Id. Martias. Anno quinto. Roma.

Latino Iuuenali meo apud Venetos Internuntio.

SCripsi superioribus mensibus ad Leonardum Lauredanum; vellet Hieronymo Lauretæ ciui Patauino eas fortunas restituere, quæ ablatæ illi proximo bello ab ista Rep. fuerunt; atq; ipsum ab exilio reuocare, patriæq; reddere rogatu meo. Eam restitutionẽ quoniam differri audio, mando tibi, vt omnem tuam curã operam diligentiam adhibeas in Hieronymo meis verbis iterum Duci Reiq; isti pub. cõmendando: nihilq; prætermittas; quod prodesse illi tum ad eas fortunas, tum verò etiam ad gratiam istius ciuitatis recuperandam possit: affirmesq; Senatum istum in eo mihi rem apprime magnopereq; gratum esse facturum. xv. Cal. April. MDXVIII Anno quinto. Roma. XIIII

Magistratui Bononiæ.

LEonardus Lauredanus Venetiarum Princeps petijt à me; vt sibi emere ex agro isto atq; educere per suos procuratores liceret lim Spartici seminis ad rudentes faciendos idonei modios ducentos. Mando igitur tibi; vt ei ea in re commodes; procuratoribusq; eius facultatem dare emendi educendiq; id seminis, quod postulat, nullo portorio, nullo vectigali. Quod tamen publicani, si volent, mihi solutum in rationibus ponunto. Quinto. Id. Martias. Anno quinto. Roma. XV

Carolo Hispaniæ Regi.

MIror cur te difficilem præbeas in possessione monasterij Leonardini, quod in tuo Neapolitano Regno est, Egidio Cardinali tradenda; cui monasterium cõtulimus: cum latere te nõ debeat, Sacerdotia omnia, quorum Præfecti apud Romanos Pont. mortem obierint, XVI

eosdem Pontifices sine vlla Regum aut Principum recusatione quibus voluerint, semper dedisse; semper illa sui iuris habuisse. Quanquam quidem ipsius Egidij ea dignitas atq; nomen est; vt si Sacerdotium illud tuo nõ dicam in Regno, sed in patria vel etiam in domo ipsa ædibusq; tuis esset; pœnitere te minime debuerit, hominem omnium prope bonarum artium & disciplinarum doctrina præditum, optime de re Christiana per triginta annos meritum, magna ipsum autoritate, singulari dignitate virum ei sacerdotio esse præpositum: propter quod is te familiaritate atque necessitudine quammaxime contingeret. Quare vel Reip. cui tu plurimum debes; vel Cardinalis causa, cui omnes homines debent; vel omnino mea, cuius autoritas hac in re magnopere versatur; peto abste; mandes, vt statim Cardinalis procuratores in monasterij possessionem admittantur: ne te ipse minus in me rectum & iustum esse intelligam; quàm priores Romani Pontifices maiores tuos in sese largos atque beneficos habuerint: præsertim cum tu me nulla in re adhuc quidem non tui amantissimum tibiq; indulgentissimum, in teq; liberalissimum sis expertus. Idib. Mart. MDXVIII Anno quinto. Roma.

Gabrieli Veneto ordinis Augustinianorum Eremitarum Promagistro.

XVII Posteaquam proxima æstate Viterbiensem Egidium ex Augustinianorum Eremitarum societate, cuius ipse Magister aliquot annos fuit, in fratrum meorum E. R. Cardinalium ordinem & collegium adsciuimus: ea nos in primis hos ipsos totos menses cogitatio tenuit; ecquẽnam dignum haberemus, quem in Egidij locum eius societatis Promagistrum sublegeremus; quoad præstitutum lege tempus ferendorum suffragiorum veniret; quo tempore ordo

ipse omnis atq; societatis eum de more legere & creare Magistratum rite posset. Nam & ipsa societas maxima atque amplißima; que quidem in prouincias duodetriginta discreta domos mille tercentum nonaginta tres, & præclara Collegia permulta habet; suo hercle iure poscere à nobis publicè magnam curam videbatur deligendi ex tanto grauissimorum & doctissimorũ hominũ cœtu atq; numero eius vnius, qui ei societati recte atq; vtiliter præficeretur: & amor certe meus atque beniuolentia, qua semper eum ordinem colui, meaq; vetus cum illo necessitudo quædam atque coniunctio me priuatim submonebat; vt nihil prætermitterem eo in homine perquirendo vel diligentiæ vel laboris; dum id, quod volebam maximeq; cupiebam, efficerem; vt qui & probior sanctiorq; cæteris, & prudentior, & planè doctior esset, eum sublegerem & Magistri loco esse iuberem. Is cum tu vnus præter cæteros & ipsius Egidij prædicatione & multorum prudentium virorũ testimonio longis habitis disputationibus eo dignus munere videare: Promagistrum te societatis Augustinianorum vsq; ad suffragiorum tempus in Egidij locum sublego: immunitatesq; omnes, annuas relationes, dignitates, pensiones omnes, stipendia commoda Magistrorum reliquorum ad te deferri volo. Qua in re cum facile videas, ipse quanti te fecerim: erit tuæ prudentiæ dare operam; vt quam de te apud omnes homines expectationem hoc meo tam illustri iudicio excitaui; eam tu iustitia, continentia diligentiaq; tua non solum tuearis, sed etiã augeas. Et quoniam ex multorum sermonibus admoneor id, quod mihi pergratum fuit intellexisse; est enim probitatis, innocentiæ, optimi pacatiq; animi, & sedatæ atq; cõpositæ mentis indicium; tui te ordinis & societatis Magistratus, dignitates, munera non modo nunquam appetiuisse; sed etiã post actam semel multa cum tua laude & dignitate eius Collegij,

quod Venetijs est, tua scilicet in patria Præfecturâ publicè tibi non petenti delatam omnes reliquas Præfecturas obstinate reiecisse, omnibus muneribus renuntiauisse: vixisse autem tuis in optimarum artium & sacrarum literarum studijs innocenter atq; tranquille cognitioni magis quàm actionibus debitum: itaq; facile factu esse hunc ipsum etiam honoris & dignitatis gradum, qui vestrorum omnium est summus, abste reiectum iri: scire te planè volo, nullam me tibi huius muneris reijciendi facultatem permissurum. Itaq; excita te; expergiscere: quamq; tibi sponte defero, tuæ societatis late quidem patentis, atque in omnes mundi sese plagas extendentis tuendæ regendæq; curâ atque prouinciam; ad eam te & ineundam læto atque alacri & obeundam forti ac præstanti animo para. Dat. Decimo Cal. Febr. MDXVIII Anno quinto. Roma.

Gabrieli Veneto ordinis Augustiniano-rum Eremitarum Promagistro.

XVIII Literæ tuæ & grauiter & prudenter scriptæ; quibus mihi de munere tibi sponte à me delato gratias maximas agens excusas te, affersq; causas; quamobrẽ adire Magistratum non possis; petisq; in eo dari à me veniam vel naturæ tuæ otio magis & quieti, quàm negotio & laboribus assuetæ; vel ingenio perpusillo perq; tenui tuo, qui magna omnia & grandia reformidat: vel infirmæ valetudini qua vteris: vt tibi vere scribam, quod sentio, magna me voluptate affecerunt. Nam & te non efferri vlla regendi alios cupiditate, quod omnes pleriq; homines faciunt; valde lætor: & vires tuas sedate atque composite perpendentem eas te imbecillas putare; si non est perfectæ virtutis; est certe cum magnæ probitatis, tum verò etiam non mediocris prudentiæ: Quas in te facultates esse tametsi intelligebam sero

monibus & prædicatione omnium: tamen tuis etiam ex literis eas me præclare agnouisse vehementer gaudeo. Nam quod scribis infirmo te corpore esse, tum incommoda valetudine creberrime vexari: de eo, cum animo vsquequaq; valeas, minus laboro. Spero enim Dominum vires tibi atque neruos subministraturum: quibus maxime suum, quod modo tibi iugum imposuit dante eo & alligante me; ferre fortiter atque vtiliter possis. Itaque tua ista tam diligens excusatio illud perfecit; vt te multo etiam plus amarem plurisq; facerem, quàm antea: vt tibi veniam darem, non est consequuta. Qui etiam, credas mihi velim, confirmauit illa quidem certe auxitq; meam ea in re voluntatem atque sententiam: stimulumq; addidit: vt quoniam per hæc tempora nemo est auditus, de vestris hominibus loquor, qui hoc imperium spreuerit; plurimi, qui ardenter appetuerint; magis magisq; cuperem tuo te ordini societatiq; præesse. Neque enim vereor; ne vel qui parui totam rem feceris, auaricia; vel qui te ipse non respexeris, amore aut odio aliorum ducare in dandis honoribus magistratibusq; deferendis: vel iniuste quid facias in iurisdictione atque animaduersionibus, qui nihil facere postules, nihil appetas, nihil cupias. Etenim qui recte sibi ipse moderatur atque imperat; hic iam non in alios æquissimus iustissimusq; esse prope non potest: huic credẽda imperia sunt: hunc præesse cæteris maxime omnũ conuenit. Quare mando tibi ea lege, quæ de spreto imperio est; vt Magistratum statim ineas: nẽquid tibi posthac de venia sperandũ putes. Atque vt iam tibi aliquid præcipiam; in quo multo maxima atque amplissima tui muneris pars iamnunc exerceatur: volo te eam curam suscipere; vt Martinum Luterium tuæ societatis sacerdotem; quem scire te existimo in Germania nouas res moliri, noua dogmata nostris populis tradere, quibus vtãtur; ab incepto, si potes, reuoces

autoritate ea, quam tibi Præfectura dat, cum scriptis ad eum literis, tum per doctos & probos internuntios; quos te illic habiturum multos puto: qui placare hominem conentur. Id si celeriter feceris; non erit puto difficile modo natam flammam extinguere. Parua enim omnia atque sure gentia paulùm magnos vehementeisq; impetus non sustinent. Sin differes, & malum vires sumpserit; vereor, ne cum velimus adhibere incendio remedia, non possimus. Gliscit enim in dies labes; fortiorq; fit atque robustior: nihil vt magis esse nobis timendum videatur, quàm mora. Sed singula tibi me mandare hac in re non necesse esse arbitror. Tua te virtus, tua religio, tua pietas, tua singularis doctrina, quid te facere oporteat, facile admonuerint. Totum hoc mando; vt omnem tuam mentem, cogitationem, studium, operam; omnem denique cum diligentiam, tum laborem adhibeas tuum; vt, quod volumus, consequamur. Id iure abste postulatur, vel quia imperium in illum iam habes; vel quia ipse cæteris & prudentior es & doctior; vel quoniam Reipub. maxime interest, cuius tu Magistratum geris; vel etiam propterea, quia ego id in primis fieri cupio: qui quidem tam te amo, & tibi tantum tribuo; vt nihil plane sit, quod mihi non vel priuatim debeas. Dat. Tertio Non. Februarij. M D X V I I I. Anno quinto. Roma.

Francisco Gallorum Regi.

XIX ET literæ tuæ Pridie Cal. Februarias datæ; quibus ad me scripsisti id, quod tamen antea intellexerã, Deum optimum maximum prolem tibi masculam concessisse; & Antonij Coxæ ea de re ad me missi sermo periocundus lætitiam voluptatemq; mirificam meam superioribus perceptam diebus conduplicauerunt. Egi igitur Domino iterum atque sæpius gratias: qui tui populorumq; tuorum istiusq; Regni maximi atque amplissimi rationem habuerit; hæredemq; illis ex te natum dederit. Quod etsi existimo alijs etiam de causis, quæ fortasse nos lateant, ita illum statuisse: puto tamen ei magnopere patrē te fieri propterea placuisse; vt liberiori animo & solutiori ad rem suam pub. & tuendam & amplificandam, & bellum suis hostibus inferendum dare te totum posses. Quod vt facias iam te ipse libentius atq; ardentius cohortabor. Sed quoniam ad te hac ipsa de re proxime literas dederam; Antoniū quidem ipsum libentissime vidi: eiq; ad te reuertenti mandaui: vt tecum & cum Claudia Regina vxore tua eo de partu atque puero amabiliter gratularetur meis verbis. Cui quidem puero & quia ex vobis genitus est, & quod ei tantum Regnorum est iam propositum ad imperandum; & hos ipsos decem dies bene precatus sum; & precari posthac non desinam. Valete parentes optimi atque maximi cum vestro bene suscepto filiolo, vestra spe, vestris amoribus. Dat. Decimoquarto Calend. Mart. M D X V I I I. Anno quinto. Roma.

Regii Lepidi Magistratui.

IVlia Strotia virgo pudore amabili moribusq; lectissimis XX
Herculis Strotij magni & clari viri filia, patre mortuo in Philibertæ Sabaudiæ fratris mei vxoris familiaritate eius viro viuente probe ac diligenter fuit. Eamq; ob rem & illam tueor; & bene ei euenire admodum cupio. Quam cum Barbara Taurella eius mater in ista ciuitate dare nuptui cogitet; quod tu ab eius Internuntio latius intelliges; volo vt ei faueas ea in re: autoritateq; mea omnem tuam operam apud Albertum Gaſ olum ciuem Regiensem interponas; vt mater in filia eius nato despondenda

id, quod optat, consequatur. Erit id mihi ab ipso Alberto plane gratissimum: quod quidem sum ei omnibus eius in rebus non libenter solum, sed etiam liberaliter ostensurus. Dat. quinto Id. Septemb. M D X V I I I Anno sexto. Roma.

Leonardo Lauredano Venetiarum Principi.

XXI DE Paulo Victorio Reip. classis Præfecto, quem Pyratæ Pœni captiuum fecerant, ex Aphrica redeunte cognoui, quàm amàter, quamq; eum liberaliter Petrus Michael istius Reip. longarum nauium ad ea loca comparatarum item Præfectus magno pretio redemerit: quamq; nonnulli alij ciues tui, quos vnà cum ipso ad me venientes libenter vidi, eam ad rem conficiendam studiose ac diligenter suam operam adhibuerint. Quæ sane omnia cum ab illo primum, deinde etiam ab reliquis omnibus grata mihi & iocunda ceciderunt: quippe, qui longinquis in regionibus positi mercaturaramq; exercentes in alieno homine recuperãdo tantum pecuniæ tamq; celeriter erogarint: tum verò eo etiam iocundiora fuerunt: quod quæ ab homine vestro publice missõ in meos profecta sunt; ea mihi quidem ab vniuersa certe Rep. in me ipsum collata prope videntur. Itaq; quo te vrbemq; istam præclaram magis diligo; eo gratius mihi accidit, à vestris hominibus in alieno orbe mei atque huius Reip. habitam fuisse rationem. Quare has ad te literas dedi, non solum vt tibi id significarem, nihil mihi accidere gratius ea liberatione potuisse: sed etiã illud, ciuitatem istam in eo de me bene meritam fuisse: idq; me omni tempore libentissime & confessione testaturum & officijs repositurum. Dat. Septimo. Calend. Ian. M D X I X Anno septimo. Roma.

Gabrieli

Gabrieli Veneto ordinis Augustinianorum Eremitarum Magistro.

EXpectabam suffragiorum tuorum euentũ: dies enim XXII præterierat: cum ecce tuas literas: in quibus multa iocunda; aliud alio lætius. Primum Egidium Cardinalem è legatione Hispanienſi reuertentem Venetias appulisse: cui obuiam ab vniuerso Senatu sit itum strato atque tranquillo mari: ipsum exceptum publice ædibus apparatissimis. Sed id non miror. Nam & ista vrbs in claros viros perhospitalis; & is ab ea magno in honore semper est habitus. Illud mirum; tam in tempore longinquis è regionibus illum venisse, vt tuis suffragijs interesset. O aduentum peropportunum. Deinde plus vndecies centum tui ordinis viros ad ea ferenda suffragia conuenisse. Postremo horum ipsorum nutriendorum tibi sumptum publice submministratum. Hæc omnia mihi iocunda: non enim assolent fieri: neq; nos tam frequentes Augustinianos alibi conuenisse; neque tam multos dies vnà fuisse; neq; tantos eis publice sumptus vnquam meminimus submministratos. Quod verò tu horum omnium suffragijs renunciatus sis totius ordinis Magister; vt ne vnum quidem omnino suffragium te reiecerit; id sane mihi prope miraculo fuit: neque solum mihi; sed ijs etiam, qui mecum aderant, cum tuas legi literas: in primisq; Rufus Cardinalis amantissimus tui: qui continere se non potuit, quin exclamaret, eius generis nihil simile his temporibus accidisse. Qua in re cum tibi gratulor, non tam quidem, quod is tibi magistratus obuenerit: nam tu illum semper contempsisti; quam quod tam honorifice delatus tantoq; consensu ordinis; vt nemo repertus sit ex tanto hominum numero, qui te dignum eo munere nõ existimarit: Tum mihi etiam gaudeo: cuius de te præiudicium ordo omnis atque

societas sic probarit, atque ita sit sequuta; vt quam de te opinionem ipse habueram; eam omnes homines habuisse viderentur. Quod cum ita sit; magna tibi adhibenda cura est; vt in obeunda Præfectura eum te socij tui esse omnes intelligãt; quem ante Præfecturam fore tam constanter crediderunt. Magnum tibi onus ista tam illustris tamq; mirifica tuorum sociorum significatio imposuit: magnum etiam testimonium de te meum: vt non tam gloriæ tibi futurum sit, si recte feceris; quam turpitudini, si secus. Nam quem homines esse bonum virum & iustum putant, is si bene aut iuste quid egerit; nihil admirantur: plurimi etiam tanquam iure suo ab eo id expetunt. Si prauitate aut iniustitia ducatur; tum verò non tam quidem illos, in quos iniquè aggressus est facere; quàm se ipsi esse lusos & deceptos putant. Sed hoc non tam ideo scribo; quod verear, ne expectationi hominum respondeas: quàm quo accendare, vt pulcherrime atq; amplissime respondeas. Cæterum quod me ordo rogat; vt quæ ipse in te præficiendo iusserit, statuerit; ea probem; ita feci: verbaq; ipsa mea huic epistolæ iussi adscribi. Tu valebis; & Deum timebis; & iustitiam diliges. Cum Gabriel Venetus ordinis Augustinianorum Eremitarum Promagister conuentum sociorum Venetijs habuerit: eumq; ad conuentum vndecies centum eius ordinis viri omnibus è regionibus decesserint: cumq; Gabriel Venetus ob virtutem & probitatem suffragiorum die omnibus ad vnum suffragijs vndecies centum hominum sociorum declaratus fuerit eius ordinis Magister: Leoni Decimo Pontifici Maximo eam declarationem ratam & probatam esse; placereq;, vt is Magistratum ineat. Dat. Nonis Iunijs. M D X I X Anno septimo. Roma.

Isabellæ Mediolanensium Duci viduæ.

XXIII

CVm exploratum haberemus Æneam Pium Gonzagam iuuenem industrium & familiarem meum esse tibi iampridem magnopere deditum: voluimus vt is tibi Romam atque ad nos venienti obuiam proficisceretur; salutaretq; te meis verbis: comitaretur q;, quandiu in nostris & Reip. locis esses. Cui etiam mandaui; vt de meo in te paterno amore veteregq; benuolentia à meis maioribus tuorum maiorum amantissimis mihi quasi per manus tradita te certiorem faceret. Tibi quidem comitatumq; tuo hoc in itinere prospera omnia euenire valde cupio: teq; ipsam maxime expecto. Dat. Septimo Id. Octob. M D X X Anno octauo. Roma.

Adriano Cardinali Dertusensi.

XXIIII

INtellexi ex Legati mei literis, qua solicitudine esses propter vehementem istorum populorum motum: cum tibi neque decedere Hispania, vt statueras; neque manere, quemadmodum voluisses, plane licuerit: verseris autem in maximarum turbarum & molestiarum fluctibus: videasq; quotidie aliquid eorum; quæ te magnopere angunt, propterea quod plurimarum & clarissimarum vrbium & populorum statum quietemq; multorum annorum spatio confirmatam sic labefactant; vt nisi Dominus prohibuerit, maior earum meliorq; pars videatur esse celeriter tuitura. Equidem pro meo in te amore valde doleo mœreoq; tuam vicem. Vellem autem; vt erat quidem æquius, & vt tua virtus bonitasq; postulabant; te in tuto esse hoc sane tempore tam misero tamq; turbulento: neque tangi commoueriq; ipsum propter aliorum temeritatem atque insanias. Sed quoniam ea conditione nati sumus; omnibus vt casibus atque periculis proposita sit vita nostra: ferre debes

moderate, quæ euenerunt; quorum nihil contractum sit tua culpa: præsertim cum ipse ita vitam instituueris tuam, ita aliquot iam annos te exercueris magnis tractandis rebus populisq; iuuandis; nullum vt laborem fugere, per quem illorum otio consulas; nullum euitare periculum, in quo salus populorum contineatur; honeste iam possis. Hortor igitur te; vt quemadmodum in tempestate nauium ductores boni atque industrij faciunt: qui tametsi vim vctorum ferre non valent; à clauo tamen non recedunt; nõ tam quidem vt eum cursum teneant, quem volunt; quam ne omnino ventis furentibus se permittant, citoq; pereant: Itaq; faciunt illi quidem nauim sæpe vel dextrorsum vel sinistrorsum; cum tamen recta ire cupiant. Sic tu nunc remittas censeo multum de tuo iure populis furore percitis; laxesq; de seueritate illa tua, quam ipse retinere iam non potes; de iustitia, quam illi non verentur; de moderatione tua; addo etiam de tuis moribus. Sed nequaquam te ab illorum gubernaculo admoueas propterea, quod ij se regi non sinãt. Sinent enim paulò post, cum resipuerint; id, quod plerunq; fert dies: regesq; tu illos, & planè duces, quò voles. Quod non faceres; si desperauisses, puppimq; Hispaniæ, in qua nunc es, reliquisses. Quamquam, vtcunque se isti nunc tumultus habent; magnam tu certe atque veram & solidam laudem probitatis prudentiæ, continentiæ apud istas nationes cõsequere: quæ te vnum ex tot milibus alienum sanè hominem in tanta rerum mutatione, tanto ardore animorum & dissensione voluntatum non solum esse istic patiuntur; sed etiam precibus omnibus retinent, neque recedere permittunt: ita te vnum obseruare, ita prorsus colere amareq; videntur. Mihi quidem optatissimum accideret; si te tanto ex labore furentibus hominibus seruiendi, non enim possum dicere imperandi: tam graui onere leuare vel meo aliquo magno incommodo & labore

possem. Id ego quoniam hoc tempore quemadmodum fiat non perspicio: sperare debes tu, Deum optimũ maximum; cui quidem bene agendo beneq; sentiendo hostiã maximam facis; tibi certe in istis ærumnis versanti nõ defuturũ. Quod verò ad me attinet: siquid in nobis tibi esse opis & præsidij cognosces: id omne reliquaq; omnia pietati tuæ atq; virtuti vno verbo pollicemur. Duodecimo Cal. Nouemb. MDXX Anno octauo. Roma.

N

NOn potuit gratior afferri nobis nuntius Damiano ciue vestro; quem ad me magna celeritate misistis. Is enim mihi vestris verbis renuntiauit Selimum Turcarum Regem mortem obiisse. Eum igitur multa mihi & ordine & prudenter exponentem libentissime audiui: Egq; Deo Optimo Maximo gratias: qui suis populis nobisq; omnibus imminentem formidabili potentia, audacia, crudelitate hostem submouit. Amaui autẽ ea de re amorem erga me vestrum & diligentiam. Quæ quidem cum sæpe alias mihi gratissima fuit: tum certe hoc tempore acceßit sanè etiam iocundissima: quo maxime Regem illum acrem & vegetum pertimescebam: cum nihil adhuc quidem nostri Reges in communem vtilitatem, præter spem pollicitationesq; contulissent. Sed hæc hactenus. Hortor autem vos; vt siqua alia istuc vel Bizantio vel omnino ex Asia perferentur, quæ scire me oportere vobis videri possit; statim ad me omnia perscribatis. Ea enim vera, vt soleo existimabo; quæ de vobis accepero. Reliqua ex Damiano cognoscetis: quem vobis lubentem remitto. Sexto Id. Decẽb. MDXX Anno octauo. Roma. XXV.

Francisco Regi Gallorum.

XXVI CVm Bernardus Bibiena Cardinalis aliquot iam dies ex stomacho laboret: magisq; timore quodam suo, quàm morbi vi vrgente, breui se existimet moriturum: scribit ad te, mittitq; Ioannem Franciscum Valerium familiarem suum magnis itineribus: petitq; abste multis precibus; vt qua liberalitate in se viuentem fuisti, ea in morientem sis: desq; illi, vt Ecclesiam Constantiensem, quam abste habet, tradere sororis suæ filio possit. Eæ sunt enim fortunarum eius & domus & familiæ rationes; vt si id abste non impetret; maiorem suorum charioremq; sibi partem in egestate sit arq; in discrimine relicturus: ipse verò nec æquo nec pacato animo è vita migraturus; qui hoc moriens videat. Id etsi ipsum per se pro sua in te mirifica singulariq; obseruantia, cuius ipsi testes optimi sumus, proq; tuo in se amore, naturæq; tuæ indefessa liberalitate magnoq; animo esse facile impetraturum existimem: volui tamen ipse quoque idem abste petere & requirere. Quanquam enim nihildum sanè video; quo quidem de illius vita sit omnino magnopere timendum: hortor tamen te nõ sanè vel mediocriter, vel vsitato genere hortandi; sed quodam singulari planeq; accuratissimo: velis; vt, si id accidat, quod ipse suspicatur; tua in illum munificentia tuumq; præclarum munus non statim neque vnà cum ipsius vita extinguatur: præsertim cum ei tam breue temporis spatium illo ipso tuo munere frui licuerit: vt ante amissum videri possit; quàm quale quãtumue fuerit, percipi ab ipso cognosciq; potuerit. Multæ quidem sunt causæ; quamobrem inducor id summopere vt cupiam, quemadmodum ipse optat, cõfici. Primum, quia Cardinalis ipse, propterea quod est alti profusiq; animi, multum æris alieni contraxit: vt si id dissoluendum sit, fra-

trum sororumq; eius filij & puellæ quædam virgines, quas ipse dare nuptui parabat, magnam ex eo iacturam faciant, magnum detrimentũ patiantur, necesse sit, vel potius etiam maximum. Quibus omnibus abunde consultum erit; si sororis eius filio ea in re per te consuletur. Deinde quod Cardinalis familia; quam quidem ipse ex humili certe loco traxerat ad satis altum & spectabilem gradum; si cum Episcopatum retinebit; multum quidem splendoris & gratiæ illo etiam mortuo retinebit. Ad hæc accedũt adolescentis ipsius; quem honestare ecclesia ista vult; optimi elegantissimiq; mores, egregia bonarum artium doctrina, summa virtus, mirificum ingenium: vt ipse iam per sese satis dignus omni quidem tuo munere & liberalitate videatur: quem Cardinalis ita diligit; vt in eo vno omnem prope posteritatis suæ spem posuerit: atque ipse iamnunc in eius pietate atque virtute libentissime conquiescat. Postremo illud me vehementer mouet; quo moueri te etiam arbitror: vt ipse, si moriendum ei sit, hanc secum lætitiam, hoc mortis solatiũ ferat; decedatq; animo quamæquissimo & quàm pacatissimo. Quæ quidem omnia non tam propterea colligo; quod non illud vnum existimem apud te plurimum valiturum, amorem scilicet erga illum tuum, itemq; incredibilem ipsius in te cultum, quod initio dixi, sed vt mihi ipse, qui id magnopere cupio, satisfaciam: ne perfamiliari ac pernecessario meo mihiq; charissimo & suauissimo atque in omni vitæ munere probatissimo mea beniuolentia meusq; amor hoc extremo eius vitæ tempore, si hoc extremum erit; planè defuisse videatur. Reliqua ex ipso Valerio cognosces. Quarto Id. Octob. MDXX Anno octauo. Roma.

Ludouicæ Regis matri.

XXVII EX meis ad Franciſcum Regem filium tuum literis, & ex Valerij ſermone; qui à Bernardo Bibiena Cardinali magna celeritate ad illum atq; te miſſus has tibi literas reddidit; quid ab illo vtriq; magnopere petamus, intelliges. Quod tametſi Cardinalis pro ſumma ſua in illum beniuolentia atq; illius in ſe voluntate facile ſe impetraturum confidit: optat tamen illud ipſum per te conſequi. Ego verò; qui vt Cardinali hoc præcipue tempore ſatisfiat; quod ipſe omnium vltimum ſibi fore tempus arbitratur; æque atq; ille, propemodum laboro: omni meo ſtudio, omni animi mei cura & diligentia te hortor, petitionem eius iuues, tam iuſta præſertim in re, tam plena pietatis, tam digna, quæ à tam magno tamq; alti animi Rege, tam ab illo culto impetretur. Id ſi tu, quemadmodum ſpero, conſeceris; erit mihi abſte non ſolum gratiſſimum; ſed etiam in hoc mœrore, quo ſum propter vitæ hominis omnium mihi chariſſimi periculum, certe iocundiſſimum. Quarto Id. Octob. M D X X Anno octauo. Roma.

Philibertæ Sabaudiæ.

XXVIII QVod ſingulari ſtudio priſtinaq; tua illa mirifica pietate & colas vſquequaq; nos & obſerues; quẽ admodũ ex tuis literis & ex Internuntij tui ſermone facere te cognoui; ſane gaudeo: lætorq; & religione tua & firmitate animi atq; conſtantia. Itaq; exploratum tibi eſſe volo; me nunc quidem eandem illam meam vere paternam in te beniuolentiam exercere; quam iampridẽ perſpicere potuiſti: Idq; ita ſe habere, omnibus tuis in rebus omni tempore omnes homines, vt intelligant; libenter atq; amanter curabo. Quarto Non. Octob. M D X X Anno octauo. Roma.

Senatui Regio Mediolanenſi.

VEnienti ad vos miſſu meo Latino Iuuenali; qui eſt ex meis intimis maximeq; familiaribus; ijs de cauſis, quas ab ipſo cognoſcetis magnis quidem certe, ſed apertis & explicatis; has dare literas volui: quibus vos magnopere hortarer; vt ijs in rebus, quas à vobis requiret, beniuolentiam erga me veſtram præſtetis: atq; ipſum ita libenter audiatis; vt appareat eum, qui mihi propter ſuas egregias exploratasq; virtutes atq; in Ro. Remp. ſtudium eſt ſane multo chariſſimus; à vobis etiam fieri plurimi. Sexto Calend. April. M D X X I Anno nono. Roma. XXIX

Franciſco Gallorum Regi.

CHriſtophorus Longolius homo Gallus & cum tibi notus, tum verò etiam deditiſſimus, optimarum artium ſtudijs, quibus à puero in Gallia incubuerat, egregie eruditus, Græcarum literarum facilius adipiſcendarum cauſa Romam aliquot ante annis venit. Quibus quidem literis mirificam operam triennium cum dediſſet; ſuiq; interea ingenij & doctrinæ & plane virtutis nomine ac morum probitate in meam familiaritatem cum veniſſet; nobis non ſolum volentibus, ſed eius etiam ſtudia ſtipe annua fouentibus, Patauium ſe contulit: vt ea quoq; in vrbe celeberrimoq; doctrinarum omnium ludo ſeſe coleret. Qua in vrbe ita nunc quidem proficit; omnes vt homines, quibus eſt ipſe notus atque cognitus; eſt autem prope vniuerſæ iam Italiæ; magna ſui ſpe expectationeq; impleuerit: cogatq; credere, ſi vita ei ſuppetat, in maximum clariſſimumq; virum ac noſtris temporibus ſatis quidem eruditis longe præſtantem breui illum facile euaſurum; vel potius iam euaſiſſe. Quæ cum ita ſint; ego autem intelligam tam docto & claro iuueni XXX

nullas opes esse; quibus se alere, suaq; studia & virtutes non solum illustrare, quod erat profecto æquissimum; verum ne sustentare quidem ipse per se possit: si vnquam alias, nunc quidem plane diligentissime te hortor; velis pro tua liberalitate vere regia & propenso in claros excellentesq; viros insignique doctrina prædutos animo mandare atque efficere; vt ex primo quoque tempore Præfectos amissuris in ditione tua sacerdotijs aliquot eius tam singulari virtute dignum illi sacerdotium tribuatur: quo is munere tibi deuinctus confectis suis studijs; quæ iam iamq;, vt audio, conficiet; & ad te reuerti id, quod ipse in primis cupit, & tibi præclaram aliquam nauare operam commode & pacato animo possit. Quanquam ne nos quidem interea aut nullo etiam tempore eius hominis commoda, cum se occasio dederit, sumus mehercule neglecturi; neq; sane curam, quam de illo semel suscepimus abiecturi. Id si tu, vt confidimus, curaueris, apud ipsum præclarissime posueris. Polliceor enim tibi, ac plane recipio, te magnos ex tuo beneficio vberrimosq; fructus, sempiternæ scilicet laudis atque memoriæ, breui tempore percepturum. Mihi autem; qui excellenti doctrina viros præsertim cum probitate coniuncta in primis colere & diligere consueui; tam gratum feceris; vt ipse absse in eo beneficium me accepisse sim existimaturus. Quemadmodum ab Legatis tuis, quibus cum ea de re locutus sum, latius intelliges. Dat.

Octauo Id. April.

M D X X I An no Nono.

Roma.

Autoris eiusdē ALIQVOT ALIAE EPISTOLÆ CVM DOCTÆ, TVM ad doctissimos huius seculi viros scriptæ: quibus ne frustraris hic annectere placuit.

CVRAVI mandata tua Florentiæ diligenter, idq; amplius, quòd Protonotario Bartholino, qui mihi visus est mirifice de te & sentire & loqui, defensionum tuarum librum dedi. Cum Iulio Cardinale multus de te sermo, is mihi significauit, quod ad te Iacobus Sadoletus de Florentinorum ergate voluntate scripserit, se autore factū. Romam cum venissem, Cardinali Columnæ defensiones tuas misi, Sadoletum ipsum, Paccium, Adorniū Lælium, reliquosq;, de quibus me tuis in literis admones, tuo nomine salutaui. Postremo etiam Leonis x. Pont. Maximi pedibus, cum is è Manliano rediisset, dedi osculum tuis verbis. Nam me in vrbe propter imbecillitatē valetudinis meæ Apennini traiectu viæq; tædio & laboribus auctam decem ipsos dies continueram. Ille verò me, vbi esses, quid ageres, quid cogitares, satis quidem familiariter, atq; (vt mihi visus est) etiam amanter interrogauit. Aderat Paccius, qui & ipse de te,

déq; illo ipso tuo libro, quem iam legerat, multa præclare. Idem, cum ego Principi respondissem te Patauium esse profectum eo consilio, vt consummandis iis studiis, quibus te totum tradideras, biennium vel certe quantum ad id temporis satis tibi esset, impenderes, habere dixit se abs te litteras, in quibus erat scriptum, te Florentinorum cõditionem velle accipere, quæ quidem ad verba nihil omnino Princeps, cum antea adeuntibus illum Romanis Consulibus, vt eius sententiam elicerent, num te donatum esse vellet ciuitate, cum alia multa singulari cum tui commendatione, tum illud etiam dixisset, fouere se tua studia, annuamq; ad id pecuniam tibi curari iussisse, vt quod statueras Patauium secedere, vt ea in vrbe doctißimorumq; hominum conuentu institutis iam abs te commentationibus aliquot annos dares, eius tibi conficiendi facultas ne deesset, totumq; illud consilium profectionis tuæ vehementer à se probari significasset. Quod eò tibi scripsi, vt scires quam iam ille opinionem atq; spem de te ocioq; tuo isto Patauino conceperit. De rumoribus, qui hic iactabãtur, male te de Romanis sentire, cum hos montes nihil solidum crepare diceres, planè nihil est, quod labores. Primum incerto autore, deinde parum adhibetur fidei. Postremo quicquid est, id omne nostro aduentu iam euanescit. Amicos quidem habes omnes vel doctos vel bonos, præter vnum Sinonem illum tuum, quem tamen doctum esse nunquam iudicaui, bonum credebam, in quo quàm me fefellerit, vides. Itaque oderit, diligat, æquæ habendum, nisi tibi etiam iocundum esse debet, te ab illo non diligi, quem tua causa nemo bonus diligit. De Bembini Castelli mœrore suscepto ex discessu nostro quod scribis, vide quid egeris. Auxisti tu quidem desiderium vel etiam dolorem meum. Valde me pœnitet illũ domi reliquisse tam fidum, tam nullius oneris comitem, tantæ sedulitatis,

festiuitatis, ioci. Vt omnibus delicijs carere mihi videor, qui eius blanditijs careo. Numos Principis sex mensium nomine tibi dependi curauimus. Eos habebis cum his litteris. Protonotario Saulio & Lazaro & Flammio plurimã salutem dicito meis verbis. Vale Romæ quarto Cal. Iunias.

Petrus Bembus Christophoro Longolio S.

REspondeo ad tres tuas suauissimas atque amantissimas litteras, diuersis tẽporibus datas, & quidem breuiter: teneor enim satietate quadam, vel potius tædio scribendi, vt nihil omnino difficilius, nihil morosius faciam, quàm cum calamum sumo: nihil libentius, quàm cum depono. Cur? inquies, quia, quoniam multos iam annos ea cogor scribere, quæ ad stomachum meum non faciunt, etiam illa, quæ mihi grata solent esse, nunc difficilent, cum sunt scribenda, ita scriptio ipsa omnis permolesta. Nisi forte diuturnus morbus segnem me atq; ignauum ad omnia reddidit. Quod si est, spero me ad pristinam meam in scribendo alacritatem breui rediturum. Satis enim belle, vt nunc quidem est, me habeo, omnesq; iam propè morbi reliquias abieci. Sin altera illa causa est, hinc euolem oportet, abdamq; me aliquò in studia scilicet, atque in literulas nostras, quemadmodũ tu quidem feci sti, dum illa dedisco, quæ inuito mihi adhæserunt, vt à me pagellam accipias libenti animo, ne dicam impigro scriptam. Sed venio ad tuas litteras. Bolducus noster quòd tam in te officiosus fuerit, gaudeo, eoq; magis, quòd nihil eorum, quæ commemoras, meo rogatu: egi tamen illi per litteras gratias cum tuo nomine, tum meo, qui quidem quasi Pollux omnia, quæ in te honoris causa tanquam in Castorem conferuntur, in me etiam conferri puto. De Naugerio meo quæ scribis, mihi grata sunt, ille verò nõ modo in literarum

studijs, sed etiam in amicis colendis mirificus. Qui quòd æstatem in suis Muranianis hortis consecerit, valde lætor, neque enim vereor, quin illi constiterit fructus ocij tam iucundi, ad quem quidem oblectandum, ab æstuq; tuendum, vt audio, etiam è Benaco multæ Citriorum arbores suas vmbras adduxerint. Respondi ferè ad tuas priores literas. In secundis literis quod de Ioanne Pino Gallorum regis legato me admones, id erit mihi curæ. Semel illum conueni, cum esset domi suæ, ea de causa, vt constitueremus inter nos aliquid, quod tibi esse vsui & ornamento posset: multus quidem de te sermo, sed quoniam erat ei cœnæ tempus, itu ab illo discessi, vt inchoata tantummodo esset effigies negocij tui, reliqua posita sunt non solum in diligentia, sed valde mehercule etiam in casu: diligentiam ne adhuc quidem adhibeam cum Principis in molem Hadrianam secessio, quo venitare propter imbecillitatem corporis minus sæpe possum, ille vero ferè quotidie, tum maximi calores effecerunt, quibus etiam qui valentissimi sunt, à labore defatigationeq; absterrentur. Casus cum venerit, eum quantum potero complectar, neq; dimittam, nisi depicta omnibus coloribus imagine, atque ita confecta, vt nequid desit. Sed omnino totum hoc sic habeto, nihil vt mihi antiquius futurum existimes ijs rebus, quæ ad commodum dignitatemq; tuam pertinebunt. Itaq; si erit opus etiam collegam meum, vt suades, aduocabo, sed nunc, vt videtur non est. De tuis obtrectatoribus quòd ad me, quod ad Marcum Antonium Michaëlem tam multis verbis scripsisti, planè non probo, te ne nunc quidem eorum causa animo tranquillo esse, quorum rumores & maledicta non solum refrixerunt tuis responsionibus editis, sed planè iam omnis illa factio propè obmutuit, itaque tu, si me audies, nullum omnino posthac de illis verbum facies, atque etiam si fieri poterit, ne cogitabis quidem. Neque enim digni

sunt, qui tuum istud tam honestum ocium, tam præclara studia vel momentum temporis interpellent. Quamobrem magis miror id, quod erat in postremis tuis literis, te scilicet ab illis in tanta gladiorum licentia tibi interdum timere. Tu vero qui Romæ Populum Romanum stantem in te ac propè armatum contempseris, sustinueris, fregeris, neq; interea timoris signum vllum ediderit, aut vocem emiseris, ab illo nũc non solum facto, sed etiam ad tuas partes traducto, in vrbe minime turbulenta Patauio tibi esse timendum duces? Atqui etiam scribis Lerinam te propterea cogitare. Quàm vellem istud verbum tuo ex ore ne excidisset. Sed nolo tibi molestus esse. Quamobrem abduc animum ab istis cogitationibus quàm longissime, teq; tutò esse posse existima vbicunq; erũt vel boni vel docti viri, quanquam te iam omnes propè homines diligunt, habes autem Italiam maxime cupidissimam tui, propterea quod eam est tui fama nominis clarius atq; illustrius peruagata. Dedi tamen Marino Georgio Patauij Prætori literas hac de re, quemadmodum tibi placere ostendisti, quem quidem existimo nulla in re tibi salutiq; tuæ defuturum. De eo me velim facias tuis literis certiorem. Prior pars earundem literarum, quas ad me nouissime dedisti, tuorum studiorum vitæq; rationem continebat, quæ me summopere delectauit, cepiq; ex eo maximã voluptatem, quod te video ita literis, quarum es multo auidissimus, incumbere, vt valetudini etiam seruias. Pilæ ludus, quo te ante cibum exerces, mihi valde probatur. Deambulatiunculas verò illas vestras, sermones, concursationes, de quibus scribis, peream, si omnibus Romanis præfecturis magistratibusq; non præfero. Consuetudinem autem, qua vteris, vt scilicet ante, quàm somno te des, reputes tecum ipse, atq; recolligas quicquid dignum ea die memoria scientiaq; comprehenderis, quis non magnopere laudandam & comple-

standam putet? Pythagoreo præcepto illi ferè germanam atq; similimam, τοῖ παρίσθμι τί δ' ἔρεξα. Nosti reliqua. Sed illa in doctrinæ studijs, hac in rerum actione versatur. Itaq; ea tibi perpetuo vtendum censeo. Altera fuit epistolæ tuæ pars minime quidem necessaria, qua mea in te beneficia commemoras, quod quidem ipsum in secundis etiam literis fecisti multis atq; honorificentissimis verbis. Ea si naturæ tuæ benignitate, amorisq; in me tui abundantia impulsus collegisti, te eorum esse morum, beneuolentiæ, comitatis plane gaudeo, nihil enim potest esse tam suaui liberaliq; natura amabilius atq; præstantius. Sin propterea, vt vel te gratum offenderis, vel me in te amando confirmares, neutrum eorum te adducere debuit in eam commemorationem. Nam neq; tu esse ingratus iam vllo pacto potes, qui si nihil aliud agas, tamen ea de nobis dixisti, scripsisti, notti esse omnibus hominibus voluisti, vt me tibi etiam perpetuo deuinctum putem. Neq; ego is sum, qui à te amando reuocare animum atq; mentem possim, nisi tu is esse desinas, qui profecto es, moresq; tuos atq; doctrinam dediscas. Itaq; si me amas, ne tu posthac ad me quidem quicquam eiusmodi. Heri cum in ea vrbis parte casu essem, quam tu incolebas, & Mariani Castellani hospitis tui domus mihi à meis pueris ostenderetur, vocari hominem iussi, eumq; tuo nomine salutaui, quam quidem ille salutationem mihi visus est libentissime atq; hilariter accepisse. Dixi ei de te cupide sanè atq; amanter quærenti, quæ proxime habueram, à quo cum discederem, petij, nunquid vellet ad te literarum dare, dixit se daturum, verumtamen non dedit. Sed omnino fui longior, quàm initio putaram. Collega meus Roma pedem non extulit, Princeps eum retinet, & vt puto retinebit. Exemplum tuarum ad me literarum, quod requiris, erit cum his literis. Saulio, Lascaro, Flaminio multam saltem dicito meis verbis. Tu, si me amas,

amas, ad nos crebro, vt facis omnibus de rebus scribe. Incredibiliter enim me tuæ literæ delectant. In quibus illud etiam video, quod mihi est planè iucundissimum, addere te quotidie aliquid scriptioni & stilo. Itaq; ταύτην τὴν γραμμὴν tuam deo teneas. Cum hæc scriberem Princeps in Vaticanum se referebat. Sed valebis, valetudiniq; seruies. Romæ XIII. Cal. Septemb.

Petrus Bembus Christophoro Longolio S.

ACcepi tuas literas Non. Ianuarij datas ad XVI. Calend. Martias heri, cum exercendi mei causa extra vrbem equo vectus claro & placidissimo die, aprica via domum peruesperi rediissem, ab adolescente illo, quem mihi ipsæ illæ tuæ literæ commendabant, redditas meis pueris, cum eis, si quid vellem, se ad te postridie reuersurum dixisset, atq; vbi se conuenirent, ostendisset. Itaq; cum ipsum non vidissem, has ad te literas dedi ante lucem, qua me quidem somnus hora singulis propè noctibus deserit, adhuc cũ vigilia nos exercet, qua vna si relinqueremur, essemus planè restituti. Sed venio ad tuas literas. Quod meum de tuorum studiorum ratione iudicium tam diligẽter exquiris, in eo & amori erga te meo multum, & autoritati non nihil sanè tribuere te ostendis, quorum in altero quàm rectè facias, tu videris, cuius planè interest, si deceptus sis, ab altero ne te nũquam deceptum possis dicere, cumulate ipse diligentissimeq; præstabo. Ad eam autem partem, in qua scribis, quid tibi causæ fuerit: vt aueres scire quid sentirem, vt scilicet intelligeres rectè ne operam posuisses, an secus: quo, vel pergeres vt cœpisses, vel, aut aliam ingredereris viam, aut in ea ipsa, quam es ingressus, cursu corrigeres tarditatem: existimabam satis me quidem superioribus literis respondisse, quibus te literis

profeciſſe quidem multum ſcripſeram, ſupereſſe autem alio quantum etiam, quo progrederere. Itaq; te hortabar, vt quod reliquum erat, conficeres, quod me hercule etiam nunc te hortor, hoc eſt, vt Ciceronem ipſum, quem tibi vnum ſcribendi magiſtrum me autore propoſuiſti, eundem vniuerſum non ſolum vores, ſed etiam concoquas, ac in ſuccum & ſanguinem conuertas tuum. Id autem ſpero te aſſequi poſſe, ſi diutius hoc idem feceris, quod adhuc facis, aſſecutum omnino eſſe, quemadmodum tibi antea ſcripſeram, non exiſtimo. Neq; hoc ideo dico, quaſi tu parum profeceris annua propè ad id cogitatione laboreq; adhibito. Multum eſt enim adde etiam ſi vis, maximum quidem illud, quòd iam actum abſte eſt, vt mihi quidem videri ſolet, cũ tuas literas lego, meamq; de eo expectationem atq; ſpem non æquatam modo abſte, ſed longe etiam ſuperatam tibi vere atque perſancte affirmo ac denuntio. Sed quid nollem eo te maximo eſſe contentum, & tanquam ad metam peruueneris curriculo confecto, conquieſcere, propterea dico. Nam quoniam ea eſt ingenij tui vis, atq; præſtantia, nihil omnino vt ſit tam arduum tamq; difficile, quo ſi animum intenderis, non te id poſſe complecti atque conficere breui & luculenter putem, nulla te quidem in laudis mediocritate conſiſtere facile patior. Itaq; quamquam munus fortaſſe viæ ſupereſt, vt ad excellens illud atq; ſummum ſcribendi genus atque formam peruenias, quo te voco, quàm eſt id, quo perrexiſti, tamen niſi tu etiam, quod reſtat, confeceris, non tam mihi gratum futurum eſt, præclare ſanè ac ſplendide id te muneris inchoauiſſe, quàm moleſtum, non abſoluiſſe, quod abſte commiſſum iri minime puto. Recordor enim quid tibi ad eam abſolutionem tu te temporis ſumpſeris, atque hoc cum recordor, magis miror quicquam nunc te cum de commutanda ſtudiorum tuorum ratione, qui rectiſſima es ingreſſus, tum verò num tibi ſit

quaſi tarde adhuc ambulanti, deinceps feſtinandum, ſciſcitari. Feſtines autem? vt quid? incidas in aliquem morbum? Ego verò te mi Longoli malo tranquilla nauigatione vtentem aliquanto ſerius cum adipiſci eloquentiæ quaſi portum, quem petis, quàm propter nimiam ventorum vim iactura facta celerrime nauigare. Quamobrem ſi meum conſilium ſequi volueris (quanquam eſt hæc quidem mentis, potius ſenſusq; noſtri, quàm vllius conſilij ſignificatio) neque hunc tu curſum commutabis, cur enim? neque remo vllo plus vtere. ἀτρύτως autem temperate ac planè βραδέως vt dicitur, valetudiniq; in primis ſeruies. Sed iam ſatis aut etiam nimis multa de ijs. De Ioanne Pino, erit mihi curæ, cum vt omnia mandata tua exhauriam, tum illud maxime, vt quicunq; percipi ex hominis te amantis beneuolentia poteſt fructus atque vtilitas, percipiatur. Id totum quale ſit, quoniam ſatis exploratum non habeo, non committam, vt eius te rei expectatione ſæpius excitem. Extremum eſt, quod erat primum in tuis literis. Eius ad nos epiſtolæ tuæ exemplum, quæ perlata non eſt, quod ſcribis mihi te mittere, ſcito nullum fuiſſe cum tuis literis. Id velim deſcribi mandes, mihiq; mittas, ne vlla tua lucubratiuncula nobis pereat. Habes ad omnia. Nunc quæ præterea ſcire te non nolle arbitror, hæc ſunt. Apud Sadoletum reliquoſq; amicos recte eſt. Ihebaldeus & Beatianus etiam fortunis auctis tibi hilarius ſalutem adſcribunt. Ego domum cogito. Quid eſt aliud? Intellexi de Alexandro capella viro ſanè bono, & docto, & (vt mihi viſus eſt) etiam amantiſſimo tui, te cum Nicolao Leonico homine vere Philoſopho ſingulari beneuolentia coniunctum, cum eo familiariter ſæpe eſſe, vel propterea, quòd non longe ab illius ædibus incolis. O præclaram vicinam, teq; hominem mirificum ad

præstantium & clarorum virorum amicitiã conciliandam. Næ ego horum procerum prensationes appellationesq; honorificas, omnium vnà cum vestra deambulatiuncula & sermone libenter commutauerim. Nunc ei quod possum, multam salutem volo impertias meis verbis. Etiam Marinum Georgium Patauij prætorem, quem scis à me vnice diligi, ex me si saluere iusseris, mihi gratissimum feceris, idq; vt facias planè te rogo, tum & Saulum & Flaminium. Tu valebis, nosq; diliges. Romæ.

P. Bembus Gulielmo Budæo S.

AMabam te quidem antea plurimum. Quid enim nõ te amarem cum virum optimum, & rectitudine animi vitæq; probitate atq; constantia grauissimum, tum de præstantissimarum artium disciplinis, studijsq; nostris mitioribus, & literis vel Latinis vel Græcis optime meritum, atq; in isto doctissimorum hominũ conuentu & tanquam officina semper quidem celebri, nunc verò etiam solito vberiore Parisiorum Lutetia opinione omniũ facile principem? Itaque amabam te profectò antea sanè plurimũ, idq; mea sponte atq; iudicio virtutis & doctrinæ splendore admonitus & excitatus tuæ tantummodo faciebam. Nunc verò, cum ad me perhumaniter honorificeq; scriptis literis me amari abs te, beneuolentiamq; meam etiam expetere te magnopere ostendas, ad illam pristinam in te amãdo inductionem animi voluntatemq; meam tantum ardoris adiecisti, vt nõ modo id, quod scribis cupere te, vt amemus inter nos, sis assecutus, sed illud effeceris, vt ipse magnopere cupiam me tibi esse eo nomine maxime omnium coniunctissimum. Quam sanè ad rem abs te impetrandam si minus ea, quæ tu fortasse quia in te sunt mihi tribuis, ipse in me non agnosco, multa & præclara ingenij & naturæ munera attulero, amantissimi certe hominis & beneuolentissimi studia officiaq; omnia cõfido, vel planè etiam tibi recipio me cumulatè præstaturum. Quod me de Longolij patrocinio Romæ suscepto tantopere laudas, equidem Iuuenem incensum bonarum artium studijs, eaq; causa domo tum longinqua profectum, ac nil aliud dies & noctes, non modo agentem, sed ne cogitantem quidem: optimis præterea moribus, excellenti doctrina, summo ingenio, incredibili studio præditũ, ab inuidis neque infimis hominibus nefarie circumuectum, vnà cum viro gratissimo omnibusq; virtutibus omni disciplinarum genere, omni cultu literarum nostra ætate longe præstanti Iacobo Sadoleto collega meo, eodemq; mihi vetere beneuolẽtia, consuetudine, studijs, sententijs, voluntate, totaq; denique vitæ consociatissimo, aliisq; permultis libentissime atque etiam multo verius cupidissime defendi. Tametsi eo tempore aduersa valetudine implicitus voluntatem in eo defendendo ardoremq; animi, quantum par erat, adhibere fortasse potui, diligentiam, industriam, laboremq; non potui. Sed res ipsa & causa eiusmodi fuit, vt non tam sim laudandus, quòd Longolio affuerim, quàm essem improbãdus, si defuissem. Valde tamen gaudeo meum in eo studium atq; officium tibi magno & præclaro viro gratum optatumq; accidisse. Quòd verò etiam propterea tuam sim beneuolentiam consecutus, rideo meæ me non multæ operæ maximum vberrimumq; fructum percepisse. Reliqua puto te cognouisse ab ipso Longolio, cuius aduentus eo nobis gratior fuit, quòd nihil de illo ad nos aliquot iam menses afferebatur. Eius ego consuetudine & conuictu, tum doctrina & studijs mirabiliter delector. Quid dixi ego? est iam in oculis nostrorum ciuiũ non modo priuatorum, sed planè etiam Senatus principumq; ciuitatis. Itaque habet quosdam præstantis ingenij literisq; interioribus eruditos viros, quibus cum est fere quotidie

vtiturq; ijs valde familiariter: inuisitur à multis, amatur ab omnibus. Huius autē quod reliquum est hyemis nobiscum, vt arbitror, conficiet rogatu meo, & simul quod ei potestas facta est è bibliotheca, quam publice magis illam quidem instructam atque vberem, quàm propositam & explicatā habemus, quos volet libros promendi. Nam cum sit in eo, vt de Catone scribit Cicero, inexhausta auiditas legendi, sitq; is quasi librorum helluo, libri verò ipsi præclari atq; multi, breui exaturaturū sese illiū in legendo non puto. Quanquam de his deq; tota ratione studiorum suorum non dubito, quin te ipse diligenter reddat suis literis certiorem. Qui & sio mnibus in sermonibus, collocutionibus nostris me mirifice semper delectat, suauissimeq; detinet, nullis tamen de rebus illius sermo tam mihi est iucūdus, quàm de te, quod quidem fit planè sæpissime, sed & hæc malo te ab illo. Tu si me tibi esse amicissimum existimabis, quæq; à coniunctissimis exspectantur proficisciq; solent, ea tibi de me pollicebere, non fallam opinionem tuam. Etenim vt tibi nō assentior, vt existimem fieri non posse tu mihi indigenti cuiuspiam rei copiam facere possis, in quo tamen verborum tuorum modestia sum delectatus, sic arbitror posse accidere, vt mea benevolentia meaq; opera tibi quoq; vsui sit futura. Quod si accidet, me in ære tuo esse, vt existimes, te etiam atq; etiā rogo. Vale. Venetijs Pr. Non. Ianuar.

P. Bembus Gulielmo Buaæo S.

ETsi existimem nihil necesse esse Christophorū Longolium tibi à me commēdatum iri, cum intelligam vel ex tuis ad me literis, quantum tu illum ames, vel ex eius perpetuo de te sermone, ipse quanti te faciat, quantis doctrinam & virtutes laudibus celebret & prosequatur tuas, tamen faciendum mihi non putaui, vt Leone x. Pont. Max.

illum Regi tuo, per literas perq; suos & Regios oratores, diligentissime commendāte, ipse nihil ad te literarum darem, non quòd te putem ea re intellecta, non per te omnia, quæ illi esse vsui possint, omni cura, studio, labore deniq; curaturum, quippe, cum mihi gratias etiam egeris, quod illius turbulentis temporibus eius salutis propugnator extiterim, aut vt currentem hortarer, qui sciam nullius apud te hortationes tantum habere ponderis, quantum in amicis colendis constantiam ipsius tuam, mores, probitatem, fidem: sed vt egregiam atque mirificam, in illo ornando Principis mei voluntatem, tibi notam quamprimum facerem, vt siquid initio posses, rem confestim iuuares. Id autē totum cuiusmodi sit, ex ipsius Principis ad Regem tuum literis, quarum exemplum ad te mitto, facile perspicies. Quid te facere expediat, tu prō tua prudentia considerabis. Oneris tibi quidem imponere neq; audeo præcipue quicquam, nec debeo. Tantum dicam, huius negocij conficiendi multo me maximam spem in te vno posuisse. De ipso Longolio non dubito, quin, cum hæc illi nuntiata fuerint (est enim adhuc quidem harū expers rerum ignarusq; omnium) nihil non his commēdationibus se ab Rege impetraturum existimet, cum te hominem ea apud illum gratia, eo loci habeat tam (vt cætera sileam) plane beneuolum & amantem sui. Extremum est, vt scias nihil te mihi gratius, nihil iucundius, nihil sanè optatius facere posse, quàm si & autoritatem tuam, qua plurimū apud Regem polles, & ingenium, quod quidem iam est omnibus planè gentibus summa cum tua laude atq; gloria cognitum, ad illum fouendum, augendum, ornandum, honestādumq; conferes, quod vt facias, vt iam tibi nihil nō oneris generatim imponam, etiam atque etiam abs te peto. Vale. Romæ viij. Id. April.

P. Bembus Erasmo Rot. S.

INcredibili voluptate cum tuæ me literæ affecerunt, tua præsertim manu scriptæ: Cognoui enim ex ijs minime verum esse id, quod ad nos incertis rumoribus afferebatur, vexari te morbo nescio quo, non sine maximo vitæ discrimine: tum Caroli tui, quem mihi commendas, sermo prudēs ille quidem & suauis auxit voluptatem meam: qui & valere te, & præter communem illam locorum istorum tempestatem, quam commemoras, nihil tibi mali proprium accidisse scire se dixit. Quamobrem nihil mihi potuit afferri vel tuis literis, vel illius sermone iucundius. Quò enim minus multi sunt, qui nostram ætatem scriptis illustrarunt & locupletarunt suis: eò mihi grauius accidebat, te qui optime omnium id & fecisti iam, & nunc etiam impensius facis, eripi cum Germaniæ Galliæq;, quarum es præcipue in oculis, tum Italiæ, quæ te vna quanti faciat, illa ipsa tua scripta facile testantur: quæ quidem planè iam omnium nostrorum hominum non solum oculos atq; animos oblectauerunt, sed etiã bibliothecas referserunt. Itaq; redeo ad id, iucũdissimas mihi fuisse tuas literas. In quo parem me tecum habuisse conditionem sanè video: quem suspensum de meo statu (putabas enim fortasse me Romæ fuisse miseris illis turbulentissimisq; temporibus, cũ direpta vastataq; est) Sadoleti mei literæ, quemadmodum quidem scribis, molestia liberauerunt, quibus literis me Patauium multo ante accessisse cognouisti. Quam quidem me ad vrbem ex multis laboribus, tanquam in portum ex tempestate contuli, vbi quiescerẽ. Ea in sententia vtinam ipse quoq; Sadoletus permansisset, vt cũ semel prouinciam petisset, vt otiò frueretur, reforberi se Romanis fluctibus non siuisset, fortuna in illum minus iuris habuisset. Sed homo omnium innocentissimus frustra se à Pont. Max. petiuocariq; passus nõ est. Itaq; iussus illuc redijt: vbi iacturam fecisse vnà cum multis magnis atq; claris viris non tam reprehendendus est, quàm quod ante, quàm Roma caperetur, sese vnus explicuerit, indeq; discesserit, laudãdus. In illo humaniter lapsus, vel etiam cum ratione progressus est: hoc extremum magni constantisq; animi, ac propè diuini consilij fuit. Sed de his hactenus. Perturbari tua studia tumultu propè bellico, conuelliq;, vt audio, vestrum omnium veterem in Deum Opt. Max. cultum, cerimoniasq; sacrorum nobis à maioribus nostris per manus traditas, moleste tuli: doluiq; tuam vicem deuexæ iam ætatis hominis, inq; tuis optimis confirmatisq; iudicio & longinquitate vitæ moribus & virtutis actione quiescentis. Quanquam quis est, qui hoc tempore plures cum fortuna expostulandi causas argumentaq; nõ habeat? Tibi si recte cum valetudine tua erit, reliqua vel sanabuntur aliquando, vel erunt ferenda: humana enim sunt: prudentibus præsertim viris, quibus vitiis animi cursus & voluntas impediri pietasq; non potest. Carolus Vtenhouius erit mihi eo loci, quo apud te est. Vna enim commendatio tua omnium mihi necessitudinum instar est, vt non modo nullo meo incommodo, quod adscribis ipse, illi commodem, si quid erit, in quo ei vsui esse possim: sed etiam vt nihil planè habeã cum illo non commune, non amicos, non domum, non pecuniam ipsam, quam excipis, si ea volet vti. Omnino nihil tam tuum esse, quàm mea omnia meq; ipsum si existimabis, non fallam opinionem tuã. Id cum virtuti tuæ atq; doctrinæ, tum tuo de me iudicio debeo. Vale. Pridie Non. April.

M. D. XXIX.

Patauio.

QVÆ SEQVVNTVR ADNEXVI nus, vllæ ne pagellæ vacarent. boni consule.

PETRI BEMBI

BENACVS.

TE Ghiberte cano, purus dum templa sacerdos
Ingreditur, cupioq; tuas attingere laudes.
Sit modo non impar tanto sub pondere, quæ me
Musa vocat, nec eam ventura redarguat ætas,
Obscuræ carmen claro tibi condere fumæ,
Et magnum brevibus voluisse intexere chartis.
Nuntius vt vitreas Benaci vectus ad vndas
Muscoso subter pendentia fornice tecta,
Atq; Dei lætis impleuit vocibus aures,
Aduenisse diem, quo formosissima terræ
Ausoniæ Verona sacris, templisq; regendis
Demissum cœlo & magnis virtutibus ductum
Acciperet iuuenem, qualem vix ipsa petebat:
Forte pater gelido in luco syluaq; virenti
Fontibus & riuis cubito subnixus & vrnæ
Iura dabat: cui carbasei mollissima fili
Stamina pingebant fuco, vestemq; parabant
Cæruleam, innumeræ nodis ac retibus aureis
Collectos comptæ crines tempusq; decorum
Incinctæq; auro sutasq; sinusq; fluentis
Vestibulo in thalami natæ, niueosq; lacertos
Nudabant operi: quo pulchro ex agmine Sirme
Docta lyræ digitis percurrere fila canebat
Carmen, quod totidem numeris Gardeq; Saloq;
Reddebant: sol æstiuos circumuagus orbes
Axe terens medio currum librabat olympo.
Ergo auidis allatu Deus postquàm auribus hausit
Promissosq; olim fatis sibi lætus honores

Agnouit, tangens hærentem vligine barbam
Demulcensq; manu iussit vicina vocari
Flumina, dein sese placidum conuexa sub alta
Speluncæ senior solitaq; in sede recepit.
Postera iam cœlo stellas noctemq; fugarat,
Vrebatq; dies multo terrasq; fretumq;
Lumine: cum nitidis venit Ticinus in vndis,
Piscosusq; altus inuoluens Lambrus arenas:
Venit & indigenis fœcundans Ollius arua
Deductus riuis, & cultos Abdua campos
Amne secans, fuluo ripasq; interlitus auro:
Nec rapidus fluuioq; Atheſis spectandus amœno
Defuit, aut Patauu circumq; intraq; pererrans
Mœnia Meduatus triplici circundata muro:
Mœnia, quæ positor pugnas & bella perosus
Musarum Iliacus studijs Phœboq; sacrauit:
Populifer ve Padus genitor, qui flumina centum
Ipse suo accipiens vasto latissimus alueo
Vbera terrarum cursu per pinguia lapsus
Portat, seq; mari septenis ostibus infert.
Quos tunc atq; alios velatus harundine crinem
Mintius excepit venientes limine primo
Obuius, atq; in tecta parentis saxea duxit
Lætifico cordis non celans gaudia vultu.
Qui simul ac vdos posuere sedilibus artus
Crystallo rigida fultis & Iaspide glauca,
Continuò Nymphæ mensas ante ora deorum
Speluncæ in medio niueis mantilibus alte
Consternunt, dapibusq; onerant, Dectæaq; plena
Vina ferunt referuntq; manu, calicesq; madentes
Præcingunt myrto atq; implexis flore coronis
Purpureoq; rosæ Medorumq; arboris albo,

Medorum quondam, sed quæ nunc plurima lætis
Benaci vestit ripas, non illa caduca
Fronde virens, suauiq; auras permulcet odore.
Post vbi prima quies epulis, Deus ipse magister
Vndisoni domitorq; lacus præsentia circùm
Numina respiciens his vocibus ora resoluit.
Quod votis toties nequicquàm optauimus vnum
Vobiscum Diui, fausto modo sydere luces,
Voluentes luces fatorum orbisq; ministræ,
Aduexere, vehit pleno bona copia cornu,
Largaq; pomifera prætendit munera dextra.
Quare vos primo longeui à semine mundi
In mare cœruleum prono labentia cursu
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Flos etenim iuuenum, longa formidine secla
Perdita qui soluat, quiq; adglomerata malorum
Agmina tot belliq; faces, quas vidimus ipsi,
Bactra vltra Thylenq; vltra Scythiamq; releget,
Quiq; vrbes, quiq; arua colat, Ioue missus ab ipso est.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hic primum miseris viduatas ciuibus vrbes
Accipiens, vacuosq; suis cultoribus agros
Replebit numerum exæquans augensq; priorem:
Oppidaq; ingenti multum quassata ruina,
Prostratisq; solo latè mœrentia tectis,
Restituet, pulchroq; dabit splendescere vultu.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Magno nanq; pij iuuenis deuinctus amore
Hetruscis pater, excelsas qui Tibridis arces
Possidet, & nutu Romanum temperat orbem,
Illius eximias virtutes, claraq; docti
Ingenij monumenta, & sancti pectoris artes

Suspiciens, obitosq; inuicto corde labores,
Hoc dedit, has illi rerum permisit habenas.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quid memorem vt tener & primæ sub flore iuuentæ
Ingentem ad ludum properauerit auspicibus Düs:
Indole dein quanta nixus, quàm fortibus ausis,
Robore ceu firmo ventorum flamina Quercus,
Aut scopulus fluctus saxo excurrente marinos,
Sic vndas rerum excipiens & plena pericli
Multa diu casus victor superauerit omnes.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illum abruptis in Vallibus Apennini
Versantem, luctantis equi cum frangeret armos,
Præcipitansq; viam obstrueret torrentibus imber:
Pœnnas vel per fauces, tractusq; volantem
Aërios summo miseratæ è vertice Nymphæ
Optauere, graues cohiberent nubila nimbos.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Sæpe illi ad magnos reges mandata ferenti
Astitit vnigena proles Iouis, aut bona mater,
Vt mater bona, quæ charo timet omnia nato
Et cupit in duros comitem sese addere casus.
Tum pueri mirata oculos & verba loquentis,
Ipse meas arteis iam nunc tibi dixit habeto.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis adest triplices magnas discreta per oras,
Fluuiorum, nemorumq; ferax, pecudumq; virûmq;
Gallia, non auri, pictæ non indiga vestis:
Diuersosq; iugo ad ventos, interq; cadentem
Surgentemq; diem longo portenta Pyrene,
Altis quæ geminas despectat cornibus vndas.
Tum dictis, factisq; potens illa inclyta bello

Latiq;, & in latas Hispania dissita terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Hæ nam te insolitu orantem, auersasq; suorum
Flectentem regum mentes Ghiberte videbant,
Acceptos conuersa sonos, cum vocis imago
Redderet, & dociles iterarent nomina ripæ.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Testis & Hadriacus paruo qui flumine Rhenus
Lambit humum, testis Thuscis haud maximus vndis,
Maior prole virûm, & diuinos Arnus honores
Promeritus, cœlum Diuisq; recentibus augens,
Pulchros qui colles, pulchramq; intersecat vrbem:
Gens quorum imperio dispar nec legibus æqua
Illius in studijs iamdudum & amore quieuit.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Tu vero, tu Roma tui genus ecquod alumni
Iam non curarum, non commemorare laborum
Vna potes? tolle egregium per secula nomen,
Tolle decus, daq; alta virûm volitare per ora.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Quantum Trinacriæ vertex se sustulit Ætnæ,
Aut cinctus stellis Atlas, aut Caucasus ingens,
Tantum clara virûm Romæ se nomina tollunt.
Illa nouos tibi cœlestum concessit honores
Antiquis cumulans, at tu præsentia secla
Firmabis, veterumq; abolebis damna malorum.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Ecce tibi læto vestit se gramine tellus
Et tibi sylua comas nutrit, tibi pabula surgunt,
Fœcundus mites implet tibi pampinus vuas,
Palladis & nigrum tibi ducit bacca colorem:
Tum spisso quem rete trahas vel arundine longa,

Flexiuagus nostris crescit tibi piscis in vndis.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe quæ tibi Parnasi de colle sorores
Dona ferunt, sacram lauri de fronde coronam,
Et plectrum, & cytharam, scriptusq; ab Apolline chartas
Æternùm quas ediscant celebrentq; minores.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Vt Phœbo, vtq; Ioui confectis Græcia lustris
Sacra olim & pleno posuit certamina campo,
Sacra tibi, ludosq; tibi sic Itala tellus
Instituit, sic illa tuo de nomine dicet.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Accipe, quæ calathis porgunt tibi munera Nymphæ,
Luteolum Calthæ florem, Casiamq; virentem,
Liliaq;, violasq;, & purpureos hyacinthos:
Haud porxisse prius poterant: bella impia bella
Pertulimus, dulces & deformauimus agros.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
Vt cum letiferos accendit Sirius ignes
Riuus aquas, hortus flores, pratum nuidet herbas:
Pallet humi nullo facies depicta colore:
Ipsa suos siticns fœtus non educat arbos:
Intereunt fruges siliqua labente perustæ:
Arua colit nemo siccis arentia glebis,
Vomeris & durum non admittentia dentem:
Cuncta iacent nimio cœli contusa calore:
Tristia sic nostris aderant prius omnia terris.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At postquàm lætos effudit Iuppiter imbres,
Riuus aquas, hortus flores, pratum explicat herbas:
Ipsa viret tellus: ripæ collesq; nitescunt:
Dant segetem sulci, nemus altus sufficit vmbras:
Poma suos curuant crescentia pondere ramos

Ruris turba Deam ⁊ venerata ligonibus vdam
Vertit humum, & putres exercet vomere campos:
Cuncta vigent cœli fœcundis roribus aucta:
Nostras sic iucunda manent nunc omnia terras.
Voluite maiores vaga flumina, voluite lymphas.
At vos in septem discreti culmina montes:
Tuq; pater Tiberine, tuum qui flumen olympo
Deuehis, hunc olim vobis multosq; per annos
Sit satis ó tenuisse: meam mihi iam date partem:
Ipse dabo multis, ne sint mea gaudia sola:
Et tandem nostris iuuenem concedite terris.

FINIS.

DIONYSIVS
AB HARSIO
EXCVDE=
BAT
LVGDVNI,
M. D. XXXVIII.

34